6
37–d
60

M. 8/7

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
15 B
6

Ex Bibliotheca
Majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-37-d-60

13-c-2

Digitized by Google

M. ANTONII FERRATII

Epiſtolarum PARS PRIOR,

HOC EST

DE ROMANA REP.

Selectæ Quæſtiones.

Ad Eminentiſsimum Principem

M. ANTONIUM BARBADICUM

CARDINALEM AMPLISSIMVM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PATAVII M. DC. XCIX.

Ex Typographia Io: Baptiſtæ Ceſari.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISS. ET REVERENDISS.

PRINCIPI BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

M. ANTONIO CARDINALI BARBADICO.

M.. ANTONIVS FERRATIVS F.

PRiorem hanc Epiſtolarum mearum Partem in hominum conſpectum daturus, cur Te potiſſimùm, P. E. delectum ex omnibus, Patronum mihi ſumpſerim, & Mecænatem, nullis vel Tuis in me beneficiis devinctus, vel meis erga Tuam Amplitudinem allectus officiis;

ciis;

ciis; exponam breviter Operis initio, ne quiſquam id eſſe temerè factum ſuſpicetur, quod optimo conſilio, ac pænè neceſſario ſuſcepi. Cum enim animadverterem, cæteros Commentatores, qui noſtra, Patrumque noſtrorum ætate ad huiuſcemodi Studiorum genus animum applicuiſſent, ſuas in Veterum monumenta lucubrationes ſummis tantùm commendare Principibus (quæ ipſius Facultatis dignitas eſt, ut majoribus ſemper nitatur Auſpiciis, plebeia reſpuat, ac minora] mihi eandem viam ingredienti, non iiſdem inſiſtere veſtigiis nefas eſſe putabam. ſtetit itaque ab illorum ſententia non diſſentire, quorum præclaros labores coeperam æmulari; & Oratorum more, qui nihil proprium nacti, & peculiare, quo ad amplificandum utantur, locos communes conſectari ſolent; cum magnum Amicum haberem neminem, quem meo jure appel-

larem,

larem, omni Patrocinii genere deſtitutus, in eo ſpem cogitationemque defixi, ut ex Reipub. Litterariæ Patronis quempiam deſignarem, in cujus fidem, & clientelam me ipſe conferrem. Sed, ne diu eſſem, quo me verterem, dubius, Tuæ perfecit ſingularis præſtantia Virtutis, P. E. neque enim divina illa Tua Humanitas, quæ politiores Literas ſtudio quodam principali complectitur, me quædam ejuſmodi pro virili conantem repudiare poterat; neque mihi fas erat, Virum Principem egregiè in noſtrum Ordinem animatum, atque optimè meritum præterire. Non multis abhinc annis Tuarum rerum geſtarum fama ad noſtras uſque aures pervaſerat: & quamquam nemo eſſet adeo barbarus, & humanitatis expers, cui non tantorum conſiliorum ratio probaretur; nihilominùs excitatam ad bonas Artes colendas Iuventutem, Scientiarum omnium, Facultatumque, Lingua-

rum

dicis debetur Principibus, ut Alter maximarum rerum auctor, domeſticum Alter ſequutus exemplum, una eademque ætate commodè poſſent, atque perficerent, quicquid ne cogitarent quidem cæteri, aut minimè certe conarentur, etiamſi maximè vellent. Iamne intelligis P. E. quo mea ſpectet oratio? Tuum erat literarium munus, quod Gregorio Cardinali Barbadico auctore adornaveram. poſtquàm ſatis ſibi Vir optimus, ſatis gloriæ vixiſſe viſus eſt (ò nos miſeros! affligit enim, perditque tanti amiſſi Mecænatis recordatio, Tua quamvis Humanitate magna ex parte lenita) Ille, inquam, Pater, ac Patronus noſter poſtquàm hinc abiit repente, delatus in Cœlum, unde venerat; qua ratione vel Tù abiiceres veterem Barbadicæ Gentis clientem, vel ego, Sua cum eſſent in promptu, ad aliena potius caſtra confugerem? Vides igitur, nomen, quod

me

me Tibi devinctum tenet, extraordinarium non eſſe; illud alterum restat adhuc incertum, num ſatis me facturum officio tùm demum exiſtimaverim, cum exiguum Epiſtolarum volumèn pro Tuis innumeris in literatos homines meritis obtuliſſem. Stultus profectò, ac demens videri poſſim, ſi quidquam tale mihi arrogavero; ipſaque mens tanti nòn ignara diſcriminis, pænè exhorruit, damnavitque verborum inſolentiam, quibus neceſsaria imminentis invidiæ depulſio contineretur. Multo fortaſſe libentiùs Commentarios in Ciceronis Orationes, quos meus idem Eminentiſſimus Auctor Gregorius per me utcumque conficiendos curaverat, exhiberem. at cum emergere illi nondùm potuerint, iaceantque in tenebris, poſt Solis occaſum, hanc veluti eorumdem Appendicem quandam ſub Tuis Auſpiciis in lucem prodire iuſſi; ut quoquo modo teſtarer, ſi deſit inge-

nium,

nium, voluntatem certe ad referendam gratiam non defuiſſe. Præterea, cum utriuſque Veſtrum cernerem parem Dignitatem, idem vitæ inſtitutum, eundemque ad res pulcherrimas animum, tantam inſuper conſiliorum, & gloriæ ſocietatem, in eam ſpem ultrò deveni, ut quem Tibi ab initio propoſuiſſes exemplar ad imitandum, ad Illius etiam incredibilem benignitatem proximè accederes; atque adeo leviſſima quæque Tuorum munuſcula humaniſſimè exciperes, qui pro doctrinæ, facultatumque tenuitate proferre magna non poſſent. Quæ hactenùs præfatus ſum, Tibi P. E. ſi, quemadmodum ſpero, fuerint probata, cui me in præſentia commendo plurimùm, quemque colam in poſterum, atque obſervabo diligentiùs; votorum compos factus acquieſco. nam de reliquis omnibus, in quorum manus parvum hoc Opuſculum aliquandò pervenerit,

nerit,

nerit, abſit dicto arrogantia, nihil laboro. Cum eruditiſſimos interpretes, Auctores ipſos veteris Hiſtoriæ tanta cum libertate perſtrinxerim, non eſt, cur mihi quidquam aut poſtulem, aut deprecer. dies me quidem, noctéſque agit ſolicitum gloriæ ſtudium, & laudis; at ea demum placet, quam neque extorſerit ambitus; neque fucus corruperit. Cenſoriam porrò aliorum notam non defugio; quin imo, ſi juſtam cauſam ſubſcribant, habebo gratiam; ſi ſecùs, & æquo Iudice uti non liceat, apud Populum, hoc eſt Literatorum vulgus, cauſam denuò, altera quaſi Actione detexam.

NO I

NOI REFFORMATORI
Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la fede di reviſione, & approbatione del P. F. Ambroſio Liſotti Inquiſitore, nel Libro intitolato : *Marci Antonii Ferratii Epiſtolarum Pars prior*; non eſſervi cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per atteſtato del Secretario noſtro, niente con ro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo licenza, che poſſi eſſer Stampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padova.

Data li 10. Maggio 1699.

(LORENZO SORANZO CAU. REF.
(FERIGO MARCELLO PROC. REF.
(ASCANIO GIUSTINIAN CAV. REF.

goſtino Gadaldini Segretario.

Digitized by Google

INDEX AVCTORVM;

Quorum dicta, & ſententiæ in hac priori Parte Epiſtolarum nominatim examinantur.

Lib. I. Epiſt. I. De Legibus Judiciariis.

Cicero pluribus locis, & eiuſdem Commentator Manutius.
Ant. Auguſtinus de Rejectione.

Epiſt. 2. De Forma Judiciorum.

Cicero, & Manutius pluribus locis.
Aſconius de Sortitione Judicum.
Frigius de Reſponſione Rei.

Epiſt. 3. De Perſonis Judiciorum.

Ulpianus de Judice Pedaneo.
Cicero, & Manutius de Conſilio Judicis, de Cognitore, & de Advocatis.
Lambinus, & Frigius ad Orationem pro Cæcina.

Epi-

Epiſt. 4. De Judice Quæſtionis.

Hotomanus, Frigius, & Sylvius de loco Quinctianæ.
Sigonius de Judice Quæſtionis.
Cicero, & Manutius.
Aſconius de Junio Quæſitore.

Epiſt. 5. De Judicibus.

Cicero pluribus locis.
Cœlius de Judicibus legis Pompeiæ.
Dionyſius de Suffragiorum æqualitate.
Manutius ad Orationes pro Cluentio, & pro Plancio.

Epiſt. 6. De Patronis, & Accuſatoribus.

Cicero, & Commentator Manutius pluribus locis.
Frigius de Subſcriptoribus.
Aſconius de Cuſtode.

Epiſt. 7. De Quæſtionibus Publicis.

Cicero Oratione pro Cluentio.
Auguſtinus de Judicio Maieſtatis.
Salluſtius, & Aſconius de lege Plautia.
Panvinius de Quæſtionibus.
Manutius ad Orat. pro Cluentio.
Aſconius de P. Caſſio.

Epiſt.

Epiſt. 8. De Judicio Repetundarum.

Cicero, & Commentator Manutius pluribus locis.
Paterculus de Judicio C. Catonis.

Epiſt. 9. De Comperendinatione.

Aſconius, Sigonius, Manutius, Frigius, de Reo Comperendinato.
Cicero Verrina 3.
Sigonius ad eandem Verrinam.

Epiſt. 10. De Legibus Repetundarum.

Cicero pluribus locis.
Aſconius, Manutius, Auguſtinus, Calvinus, Frigius, de Lege Acilia.
Manutius ad Orationem pro Poſtumo.

Epiſt. 11. De Accuſatione C. Antonii.

Aſconius de Judicio Repetundarum.
Cicero, & Manutius nonnullis locis.
Dio de Crimine C. Antonii.
Farnabius in Juvenalem.

Epiſt.

Epiſt. 12. De Judicio inter Sicarios.

Cicero, ejusdemque Interpretes
Manutius,
Sigonius,
Abrahamus,
Alexander ab Alexandro.
Calvinus in Salluſtium.

Epiſt. 13. De Judicio Ambitus.

Cicero, & Manutius pluribus locis.
Gruchius de Præmio Accuſatoris.

Epiſt. 14. De Judicio Perduellionis.

Cicero quibusdam locis.
Manutius de lege Tullia.

Epiſt. 15. De Loco Pomponii.

Martianus de Lege inter Sicarios.
Marcellus de lege Repetundarum.
Cicero pluribus locis.
Pomponius de Quæſtionibus publicis, & de Prætoribus additis à Sylla.
Sigonius de Parricidio.
Modeſtinus, & Marcellus de pœna Parricidii.

Gra-

Digitized by Google

Gruchius de Pratoribus.

Lib. 2. Epiſt. 1. De Senatu.

Cicero, & Commentator Manutius pluribus locis.
Pomponius de Cn. Flavio Scriba.
Feſtus de Senatoribus.
Horatius de Ordine Senatorio.
Panvinius, & Gruchius, de anno Quaeſtura.

Epiſt. 2. De Ordine Equeſtri.

Cicero, & Manutius multis locis.
Livius de Annulis, & de Centuriis Equitum.
Plinius, Dionyſius, Iſidorus, Kirchmannus de Annulis.

Epiſt. 3. De Civitate Romana.

Cicero quibuſdam locis.
Frigius de Antiquiſſimis Civibus.
Livius, & Quintilianus de nobilitate Urbium.
Portinarius, Pignorius, Urſatus, de Padua.
Paterculus de Coloniis Militaribus.
Aſconius de Coloniis Tranſpadanis.
Panvinius de Aſconii ſententia.

Epiſt. 4. De Sacerdotiis.

Florus, Roſinus, Panvinius, de numero Pontificum.
Alexander ab Alex. de Minoribus Pontificibus.

Cicero pluribus locis.
Dempſterus de Pontifice Max.
Panvinius, Calvinus, Dempſterus, de lege Domitia.
Manutius de Pontificatu Octaviani.
Ferrarius de Prætexta Augurum.

Epiſt. 5. De Patritiis.

Manutius de Gente Valeria.
Cicero de Adoptione.

Epiſt. 6. De Publicanis.

Cicero, & Commentator Manutius quibusdam locis.

Epiſt. 7. De Pueris, & Adoleſcentibus.

Cicero, & Manutius nonnullis locis.
Seneca, & Ferrarius de Brachio cohibito.

Epiſt. 8. De Cenſoribus.

Cicero de Sartis tectis.
Aſconius, & Manutius in Verrinas.

Epiſt. 9. De Prætoribus.

Cicero, & Commentator Manutius pluribus locis.

Aſco-

Digitized by Google

Aſconius de Lege Caſſia.
Idem de Judicio C. Antonii.

Epiſt. 10. De Tribunis pl.

Cicero, & Manutius quibusdam locis.
Frigius ad Verrinam 7.
Aſconius ad Verrinam 3.

Epiſt. 11. De Purpura, & Prætexta.

Cicero, & Manutius pluribus locis.
Plutarchus, Quintilianus, Ferrarius, Rubenius, Abrahamus, de Prætexta Tribunorum.
Ferrarius in Manutium, & ad Orationem in Vatinium.
Ferrarius idem de Prætexta Ædilium.
Cornelius Nepos de Purpura.
Plutarchus de Purpura Catonis.

Epiſt. 12. De Quæſtoribus.

Cicero, & Manutius quibusdam locis.
Aſconius de Quæſtura Ciceronis.

Epiſt. 13. De Rectoribus Provinciarum.

Cicero quibusdam locis.
Paulus ad Feſtum.
Manutius de Coborte Prætoria.

Digitized by Google

Frigius ad Verrinam 3.

Epiſt. 14. De Metellis.

Cicero, & Manutius pluribus locis.
Aſconius de Templo Caſtoris.
Eutropius de Metellis.
Frigius de Q. Metello.
Paterculus de Macedonici filiis.
Florus de Metello Cretico.

Epiſt. 15. De Cn. Pompejo.

Cicero, & Manutius pluribus locis.
Florus, & Eutropius de Pompeii triumpho.

Lib. 3. Epiſt. 1. De Lege Ælia Fuſia.

Cicero, & Manutius pluribus locis.
Hotomanus, & Frigius de lege Ælia, & Fuſia.
Dio de Feriis.
Auguſtinus de lege Clodia.

Epiſt. 2. De Obnunciatione.

Cicero, pluribus locis.
Feſtus de Spectione Augurum.
Abrahamus ad Philippicam 2.
Manutius ad Philip. 2. non uno loco.
Gruchius, & Auguſtinus de Nunciatione.

Pli-

Plinius de Auſpiciis.

Epiſt. 3. De Comitiis.

Cicero, & *Manutius pluribus locis*.
Gruchius ad Orationem pro Plancio.

Epiſt. 4. De Creatione Magiſtratuum.

Cicero, & *Manutius pluribus locis*.

Epiſt. 5. De Binis Comitiis.

Cicero, & *Manutius nonnullis locis*.
Livius de Salinatore.
Aſconius de Prærogativis.
Gruchius de Comitiis Ædilitiis, *ad Orat. pro Plancio*, & *ad 2. Agrariam*.
Gellius de Comitus Ædilium.

Epiſt. 6 De Jure Suffragii.

Cicero, & *illius Commentator Manutius*.
Aſconius de L. Domitio.
Sex. Aurelius de L. Sylla.
Florus de Libertinis.

Epiſt.

Epiſt. 7. De Sen. Conſultis.

Cicero, & Manutius pluribus locis.
Feneſtella de S. C.
Abrahamus ad Orationem pro Sextio.

Epiſt. 8. De Lege Sempronia.

Cicero pluribus locis.
Sigonius, Manutius, Auguſtinus, Hotomanus, de eadem Lege.
Panvinius de Provinciis.

Epiſt. 9. De Provinciis.

Cicero, & Manutius pluribus locis.
Sigonius item, & Frigius.
Appianus de L. Sylla, & de C. Cæſare.

Epiſt. 10. De Imperiis Extraordinariis.

Cicero, & Manutius quibusdam locis.
Abrahamus ad Orationem pro Sextio.
Florus de P. *Æmiliano.*
Idem de altero Æmiliani Conſulatu.

Epiſt.

Digitized by Google

Epiſt. 11. De Inceſto P. Clodii.

Cicero quibusdam locis, & Commentator Manutius.
Plutarchus de Sacris Bonæ Deæ.

Epiſt. 12. De Conjuratione Catilinæ.

Cicero, & Manutius pluribus locis.
Aſconius, & Feneſtella de Catilina.
Plutarchus de Audacia Catilinæ.
Aſconius de Computatione annorum.
Tacitus de Othoniana Conjuratione.

Epiſt. 13. De Ciceronis Exilio.

Cicero, & Manutius quibusdam locis.
Gallus de tempore Exilii.
Frigius de Italiæ decretis pro Cicerone.

Epiſt. 14. De Legibus Cæſaris, & M. Antonii.

Cicero, & Commentator Manutius quibusdam locis.

Epiſt. 15. De Lege Voconia.

Manutius de Verbis Legis.
Cicero Verrina 3.

Epiſt.

Epiſt. 16. De Comœdia.

Cicero Oratione pro Flacco.
Aſconius de Perſona primarum partium.
Horatius de Comœdia.

Epiſt. 17. De Pecunia Publica.

Cicero quibusdam locis.
Manutius de Pecunia attributa.
Varro, Aſconius, Budæus, Auguſtinus, de Tribunis Ærariis.

Epiſt. 18. De Mutatione Veſtis.

Ferrarius pluribus locis.
Cicero, & Dio, de Mutata Veſte.
Manutius ad Orationem pro Sextio.

Digitized by Google

LIBRI PRIMI

EPISTOLA PRIMA.

AD NOB. N. N.

DE LEGIBUS JUDICIARIIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

NUlla ferè ſcientia eſt, nullum genus literaturæ, in quo tu non excellas; mentem rerum omnium capacem nactus, & qualibet laude maiorem. O noſtram beatiſſimam Civitatem, ſi reliqua etiam Juventute ita pulchrè animata uteretur! Sed, cum ſtudijs omnibus aliquid ſemper temporis impendas, in libris Antiquorum perlegendis, eruendaque ex numis, lapidibuſque vetuſtiſſimis germana, & paucis obvia Eruditione, ſic dies noctesque verſaris, ut conſtet, antiquius nihil eſſe tibi Antiquitate. Itaque neminem habeo, quem ſæpiùs appellem, Virum nobilem, mihi benevolum, ac ſtudiorum affinitate conjunctiſſimum; ad quem & alia ſcripſi quamplurima, & exaratam proximis hiſce diebus, de legibus Romanorum Judiciarijs, brevem diſputationem mitto, quaſi ad Cenſorem.

Poſt inſtitutas Romæ publicas quæſtiones, judicia penes Senatum fuere, lege deinde Sempronia C.Grac-

ehi penes Equeſtrem ordinem. Sylla Dictator iterùm ad Senatores jus illud tranſtulit, qui per undecim annos integros ſoli judicarunt; donec anno V. C. 680. Pompejo, & Craſſo Coſſ. L. Aurelius Cotta Prætor Urbanus legem tulit, ut, conſtitutis tribus Decurijs, cum Senatoribus Equites etiam & Tribuni Ærarij judices eſſent. Viri eruditi neſcio quas leges alias Judiciarias adjungunt, & primùm quidem veterem quandam ante Semproniam, quæ ſolùm Equeſtrem Ordinem ad publicas Repetundarum Cauſas admittebat; ſed illam non peculiarem legem fuiſſe arbitror, idque additum dixerim legi Calpurniæ, quaſi appendicem, & Corollarium. Septem enim, & viginti annos ante C. Gracchi Tribunatum, L. Piſo Judicium de Repetundis conſtituit; veriſimile eſt, eundem ſimul tuliſſe, ut ſoli Equites judicarent, non Senatores, ad quorum avaritiam, & crudelitatem in Provinciarum adminiſtratione comprimendam, nova illa prima Quæſtio conſtituebatur. Deinde tres commemorant paulo ante Corneliam latas; Conſularem Serviliam à Q. Cæpione Conſule, anno V. C. 644. Tribunitias Liviam, & Plautiam, illam à M. Druſo filio, anno 659. hanc à M. Plautio biennio poſt; quibus Senatores una cum Equitibus R. judicare, & ire cum Prætore in conſilium jubebantur. Ex quibus tamen, Servilia, & Livia ſtatim abrogatæ ſunt; Plautia valuit, quæ, ut habet Aſconius ad Orationem pro C. Cornelio, *quinos denos ex ſingulis Tribubus creabat ſuffragio, qui eo anno judicarent*. Hinc Cicero ibidem: *Cum primùm*; inquit, *Senatores cum Equitibus R. lege Plautia judicarent*; nam ex lege Sempronia apud ſolos Equites judicia fuerant, uſque ad illud tempus. Tres aliæ præterea ſunt Judiciariæ leges poſt Aureliam latæ, Pompeia, Julia, & Anto-

Antonia; de quibus fuſiùs alibi dicendum erit. quarta etiam, quam non adverterunt Viri Docti, cujus fit mentio Oratione in Piſonem: *ecquid vides, ecquid ſentis, lege judiciaria lata, quos poſthàc Judices ſimus habituri?* quæque illius vis, ac ſententia fuerit, ignoratur.

Hæ tamen leges omnes ad Judicia publica referebantur, non ad Jus Civile, & ad privatas Cauſas; hoc eſt, ex certis quibuſdã ordinibus deligi Judices neceſſe erat, ſi quis V. G. de Repetundis, vel de Ambitu, vel de Vi, vel de Falſo, vel de Peculatu, vel de Majeſtate accuſaretur; non autem ſi quid inter privatas perſonas controverſiæ apud Prætorem Urbanum, aut Peregrinum ortum fuiſſet. Tunc enim Prætor ipſe ex quocunque ei videretur Ordine ſive Senatorio, ſive Equeſtri, Judicem dabat, aut Recuperatores, qui rem quamlibet judicarent. Hoc ex ipſo Cicerone manifeſtum eſt Oratione pro Q. Roſcio Comœdo; ubi narrat, Cluvium quendam Equitem R. fuiſſe Judicem inter Fannium Cheream, & Fulvium, quadriennio poſt Syllæ Dictaturam, cum tamen lege Syllæ ſoli Senatores judicare poſſent eo tempore. Officiorum lib. 3. *Fimbriam Conſularem* (ac proinde ſine controverſiâ Senatorem) *audiebam de Patre noſtro puer, Judicem M. Lutatio Pythiæ fuiſſe Equiti R. ſane honeſto, cum is ſponſionem feciſſet; ni bonus Vir eſſet.* Creatus autem fuerat Conſul Fimbria annos decem, & octo poſt latam legem Semproniam, de qua ſupra. Valerius Max. lib. 8. cap. 2. narrat, M. Porcium Catonem incliti Catonis Patrem, quem certè Senatorem fuiſſe nemo dixerit, cum Filius illius inter novos homines numeretur, Arbitrum extitiſſe inter Claudium Centumalum, & Calpurnium Lanarium, multo ante Tribunatum C. Gracchi, cum ſoli adhuc Senatores lege veteri judicarent. Quamobrem etiam in cauſa P. Quinctij, quam egit

Cicero adoleſcens, Judex eſſe poterat C. Aquillius; licèt Eques R. fuiſſet, non Senator, quippe in Cauſa privata, non publica; Manutij verò ſententia, quem hic habeo Adverſarium, nulla vel ratione certa nititur, vel conjectura. Quin ètiam non videtur eſſe probabile, Aquillium, qui, ut à privatis etiam Iudicijs homines Equeſtris Ordinis excludantur, dicitur in Senatum lectus fuiſſe, Cinna II. & Mario VII. Coſs. & biennio poſt obtinuiſſe Quęſturam, per tot annos deinde petitione Magiſtratuum abſtinuiſſe; cum Ciceronis demùm Collega fuerit in Prætura.

Ultimò Vatinia profertur Tribunitia de àlternis Conſilijs rejiciendis, qua porrò quid novi præſcriptum fuerit, ignorari à quibuſdam, valdè miror. lata enim eſt à Tribuno pl. P. Vatinio, anno V. C. 691. Cæſare Conſule; ut Accuſator, & Reus totum Conſilium Judicum ſemel poſſent rejicere, ſicut colligitur ex Oratione in Legis latorem habita. Verùm, quod attinet ad rejectionem Judicum, examinetur locus Verr. 4. ubi Cicero, cum nefas eſſe contendat, ſi C. Verres inter Judices aliquando ſedeat, & de capite Civis R. ſententiam ferat, ſtatim hæc ſubjicit: *De ſe homines, ſi qui extra iſtum Ordinem ſunt, quibus ne rejiciundi quidem amplius, quàm trium Judicum, præclaræ leges Corneliæ faciunt poteſtatem, hunc hominem tam crudelem, tam ſceleratum, tam nefarium nolunt judicare*. Sanxerat L. Sylla, ut Equites, & ex plebe homines, cum ijs cauſa dicenda foret, tres tantùm Judices poſſent reijcere, Senatores Rei, multo plures. Nam Manutij interpretatio ad illum locum non probatur: *In eo*, inquit, *Senatorum exiſtimationi Sylla conſuluit, bene enim illi Ordini conſuluit, cum tres tantùm rejiciendi poteſtatem fecit; nam ſi permiſiſſet, ut rejici plures poſſent, multos eſſe Senatores improbos judicare viſus eſſet*. Quis non videt, cum de Senatoribus

ſupra

.ipra dixerit Orator: *iſtum de Vobis judicem, ſi vultis, ha-e.atis*; quod ſequitur, intelligendum eſſe de duobus re-.quis Ordinibus, Equeſtri, & Plebejo, quibus ille Di-tator trium tantùm Judicũ rejiciendi poteſtatẽ fecerit. 'enator quidem reus plures reijciebat, idque exemplo /erris demonſtro. Verr. 3. *Qui cum T. Galbam udicem rejeciſſet, M. Lucretium retinuiſſet, & cum ejus Patr onus ex eo quæreret, cur ſuos familiariſſimos Sex. Peducæum, Q. Conſidium, Q. Junium rejici paſſus eſſet*, c cæt. habes quatuor à Verre rejectos, Galbam, Pedu-æum, Conſidium, Junium. Verrina 5. de C. Caſſio: *unc tu in hac cauſa teſtem habebis, quoniam Judicem ne habe-es, providiſti*, indicat à Verre rejectum fuiſſe & C. Caſ-ium quinto loco. Verrina 7. de P. Cervio: *qui, quia Lega-us iſto Prætore in Sicilia fuit, primus ab iſto Judex rejectus eſt*. deoque cum ſex, ac fortaſſe etiam plures judices Ver-es rejecerit, nondùm abrogata Cornelia lege Judicia-ia, patet illa nihil innovatum fuiſſe de Ordine Sena-orio, ſed de reliquis tantummodo. Etenim negan-um non eſt, ante Syllam plures, quàm tres rejici ſo-itos fuiſſe ab omnibus Ordinibus promiſcue; cum eo iomine per verbum ironicum *Præclaræ*, Corneliæ leges .rguantur, quòd ſolùm tres rejici juſſerint. Num au-:em id Sylla præſcripſerit iratus Equitibus, & Plebi, quia contra Nobilitatem Mario adhæſerant; an quia putabat, Senatores, quibus judicia mandabat, ſæpius cum Senatoribus inimicitias habituros, quàm cum ho-ninibus aliorum Ordinum, ut incertum omitto. Il-ud quidem pro certo aſſirmaverim, nequaquam legis-atorem tuliſſe de tribus Judicibus rejiciendis, ut Sena-orum exiſtimationi conſuleret; an non enim de Se-iatorum quoque cauſis idem tuliſſet, cum multo plu-es Senatores rei eſſent, quàm vel Equites, vel Plebeii iomines, qui non ita multis legibus tenebantur?

Deinde veteri lege inſtitutum eſt, ut in judicijs tùm Reus, tùm Accuſator, qui ſibi viderentur, rejicerent, non eo conſilio, ne improbi homines judicarent, ſed ne alterutrius partis inimici; rejectiq; illius inimici putabantur eſſe, qui eos rejeciſſet, neque improbitatis notam idcircò ſubibant. Hic præterea Ant. Auguſtinus reprehendendus eſt, qui lege Cornelia Repetundarum, non ſimiliter cæteris, rejectionem trium Judicum præſcriptam docet; nam ſi lex Repetundarum ad Senatores tantùm pertinebat, & aliquanto plures rejiciendi jus Senatores habebant, ut dictum eſt, conſtat alijs quidem legibus tuliſſe Syllam de rejectione trium Judicum, non itidem illa Repetundarum. Cæterùm lege Aurelia, quæ tribus Ordinibus judicia communicavit, cautum deinde fuiſſe exiſtimo, ut pars utrâque quinos ex quolibet Ordine rejiceret, Aſconio teſte in Milonianam: *Peracta utrinque cauſa, ſinguli quinos, Accuſator, & Reus, Senatores, totidem Equites, & Tribunos Ærarios rejecerunt*. Vatiniam deniq; probabile eſt, paulo poſt fuiſſe abrogatam, cum illiùs nuſquã fieri mentionẽ videã, præterquã loco ſuprà laudato.

Hæc hactenus; at redi, amabo, quamprimùm in Urbem, ut quotidie hiſce de rebus præſentes commentari poſſimus. Vale XVII. Kal. Nov. A. S. 1698.

EPISTOLA SECUNDA.

AD NOB. N. N.

De Forma Judiciorum.

Mirari quandoque ſoleo, cur te ſummo ingenio, ac ſingulari doctrina præditum, in æſtimandis

Vete-

Veterum monumentis, vel paulo iniquiorem Iudicem habeam, vel gravem etiam Adverſarium. Quid apud nos eſt admiratione dignum, quodque omnibus exemplo eſſe poſſit, cuius non pulcherrimum Antiquitas ſpecimen dederit? negas, animo ſcilicet ad repugnandum obſtinato. Ideone ſpem omnem abijciam, meq; ad alios convertam? te, tuamque in minimis quibuſcumque rebus ſententiam pluris facio, quàm ut mea à te ſtudia repudiari, & negligi patiar. Alia quidem alibi; de privatis autem Romanorum Iudicijs, quæ colligere ex Ciceronis Orationibus ſummatim potui, hæc habet Epiſtola; ut intelligas, quàm ſapienter eam Reip. partem, quæ maximè ad Civium commoda pertinebat, Veteres conſtituerint.

Explicandus in primis eſt Cicero in Quinctiana; cum ortam Nævium inter, & Quinctium controverſiam delatam narrat ad Arbitros, quodque ij litem componere non poſſent: *rem eſſe in Vadimonium cæpiſſe*; ubi ſuam Manutius interpretationem ſic adiungit: *Res*, inquit, *eſſe in vadimonium dicitur, cum per vadimonia litigatur vel apud Arbitros, vel apud Iudices; erant autē Arbitri* (in Cauſa Quinctij) *Trebellius, & Alphenus*. Duo ſunt, quæ hoc loco emendari poſſe videntur; neque enim cum res in vadimonium eſſe cæpit, litigabant apud Arbitros Nævius, & Quinctius, ſed apud Prætorem Urbanum Burrienum; & omninò nihil opus erat vadimonio, donec per Arbitros controverſiæ cognoſcebantur, ſed ſolummodo cum apud Prætorem litigabatur. Utrumque conſtat ex verbis ipſius Ciceronis: *Tunc*, ait, *appellat ultro Nævium, ut quoniam ſuſpicaretur, aliqua de re fore controverſiam, videret, ut quamprimùm, & quàm minima cum moleſtia tota res tranſigeretur*. Quinctius provocat Nævium, ut controverſia ad Arbitros deferatur, quo citiùs, & mino-

ri cum moleſtia tranſigi poſſit: *Dat iſte amicum M. Trebellium, nos communem neceſſarium Sex. Alphenum:* hi nimirùm à Nævio, & Quinctio delecti ſunt Arbitri, & nulla hucuſque fit mentio vadimonij: *res conuenire nullo modo poterat;* propter nimiam Næuij cupiditatem ſedare, atque componere controuerſiam Arbitri non potuerunt. Quid deinde? *Itaque ex eo tempore res eſſe in vadimonium cæpit;* cum per Arbitros res decidi non poſſet, ad Prætorem ventum eſt, dato utrinque Vadimonio. Iſte enim mos erat, ut litigatores vades darent, fore, ut certo die, qui plerumque erat perendinus, ſiſterent ſe in jure, niſi ex conſenſu utriuſque partis, Vadimonii, hoc eſt veniendi ad Prætorem dies dilatus eſſet, ut in Cauſa P. Quinctij factum eſt. Qui ad diem præſtitutum non veniſset, deſeruiſse vadimonium dicebatur, & litem amittebat; cum uterque advenerat, tùm Prætor decernebat Sponſionis formulam, & Judicem, ſeu Recuperatores dabat.

Equidem non ignoro, Commentatorem noſtrum contra ſentire; quod enim habet Orator de Quinctio paulò poſt: *Te Judicem, C. Aquilli, ſumpſit,* ſic ille perperam exponit; *In quo Quinctius reus eſt, nam ſumendi Judicis poteſtas apud reum, non penes actorem erat; Quod priore loco diceret, actor erat, non reus.* quibus verbis oſtendit, ſe non intellexiſse, qua ratione Quinctius actor ſimul, & reus dicatur; præterquam quod de jure dandi Judicis malè opinatur. Quid ei venit in mentem ſumendi Judicis poteſtatem in Reum transferre, qui dubio procul à Prætore dabatur? Verrina 5. *Cæpit Scandilius Recuperatores, aut Judicem poſtulare,* nimirùm à Prætore Verre; hoc ſatis eſt, ne ſexcenta inſuper congeram. atque adeo quicumque juſsu Prætoris Cauſas hujuſmodi priuatas judicabat,

cabat, Judex datus vulgò dicebatur, id eſt à Prætore. Quomodo igitur ſumpſit judicem Aquillium P. Quinctius? ſicut ipſe Cicero ſuos delegerat Judices. Verr. 7. *Nolo eos Judices, quos ego probarim, atq; delegerim ſic in hac Urbe notatos ambulare*. Cicero delegerat Judices, quos à ſorte datos non rejecerat; Quinctius judicem ſumpſit, quem à Prætore datum non rejecerat. nam dabat Recuperatores, vel Judicem Prætor, & jus rejiciendi, niſi æquum eum ſibi fore ſperarent, litigatores habebant. Idem porrò manifeſtum eſt ex Oratione pro Cluentio: *neminem voluerunt majores noſtri non modò de exiſtimatione cujuſquam, ſed ne pecuniaria quidem de re minima eſſe Judicem, niſi qui inter Adverſarios conveniſſet:* quem uterque Litigator à Pretore datum probaſſet. Nunc videamus, quàm ob cauſam Quinctius reus eſſet, & actor; ut omnis planè difficultas tollatur. Sponſio facta fuerat in hæc verba: *Si bona ſua ex edicto Pretoris Burrieni dies XXX. poſſeſſa eſſent*, decreverat enim Dolabella, ut Nævius tum videretur jure poſſidere bona Quinctij, ſi conſtaret dies triginta ea poſſeſſa fuiſſe ex edicto Burrieni ob deſertum à Quinctio vadimonium. Quare ſi ſecundùm Nævium Aquillius judicaſſet, infamiam deſerti Vadimonij Quinctius non effugiſſet, cum poſſiderentur bona ex Edicto propter deſertum Vadimonium. hinc reus Ille, de cujus fama agebatur; accuſator Nævius, qui diceret id in cauſa, quod adverſarij exiſtimationi maximè obeſſet. Quoniam verò juſſit Dolabella Prætor, Quinctium ſponſionem facere, actor proinde fuit; nã qui ſponſione alterũ provocabat, is erat actor, & priore loco cauſam agebat. Supra in Exordio: *Id accidit Prætoris iniquitate, & injuria; primùm, quòd contra omnium conſuetudinem judicium prius de probro* (de poſſeſſione bonorum, a deo-

deoque de vadimonio deſerto) *quam de re* (de pecunia, quæ petebatur à Nævio) *maluit fieri; deinde, quod ita conſtituit id ipſum judicium* (cogendo Quinctium ſponſionem facere, non autem Nævium) *ut reus, antequàm verbum accuſatoris audiſſet, cauſam dicere cogeretur:* ut ille litem intentaret, facta ſponſione, de cujus fama agebatur.

Sponſio certis quibuſdam verbis fiebat, à Prætore datis, Actore & Reo ultrò accipientibus; proindeque Sponſionis formula anguſtiſſima vocatur in ea pro Comædo, cum Pars alterutrà neceſſariò amitteret pecuniam pro lite depoſitam, quæ erat tertia pars totius Summæ, de qua ageretur. Ut res tota commodiùs explanata, meliùs intelligatur, liceat mihi ad Orationem pro Cæcina tranſitum facere atq; ibidem quærere, quibuſnam verbis in ea privata Cauſa facta fuerit Sponſio. Manutius, alijque Interpretes, à Cæcina quidem ſic: *ni hominibus armatis dejectus ſum:* ab Æbutio autẽ adverſario: *ſi hominibus armatis Cæcinam dejeci;* quorum ego ſententiam probare non poſſum. Nam, cũ orta cotroverſia de Fundo, communium amicorum arbitrio commiſſa fuiſſet, & venientem in ſtatutum locum Cæcinam vi, & armis repuliſſet Æbutius: Cæcina ad Dolabellam Prætorem Urbanum confugit, ſeque vi dejectum de fundo affirmavit, petijtque, ut per Interdictum reſtitueretur in poſſeſſionem fundi. Si factum ſtatim negaſſet Æbutius, & ne interdiceret Prætor, reſtitiſſet; tum ſanè Sponſio facta fuiſſet in hæc verba: *Si paret, Cæcinam vi, & armatis hominibus eſſe dejectum,* at illo quieſcente: *P. Dolabella Prætor interdixit, ut eſt conſuetudo, de Vi hominibus armatis, ſine ulla exceptione, tantùm, ut, unde dejeciſſet, reſtitueret.* Quid Æbutius? cum periculoſum eſſet non parere Interdicto,

&re

& reſtituere fundum nollet, *reſtituiſſe ſe dixit*, hoc eſt modeſto uſus verbo, ſe non teneri eo Interdicto reſpondit. Hinc controverſia; reſtitueritne Æbutius Cæcinam, nimirùm, an teneatur Interdicto. dat Prætor Recuperatores, dat etiam Sponſionis formulam: *Si paret, Æbutium reſtituiſſe ex Interdicto*, quod affirmabat Æbutius, negabat Cæcina. Hæc eadem verba eſſe Sponſionis, ex Oratione colligitur; eo enim omnia Ciceronis argumenta collimant, ut oſtendat, non fuiſſe reſtitutum Cæcinam, Æbutium teneri Interdicto. Cum Adverſarius contenderet, Cæcinam, ſi ſe de fundo dejectum quereretur, agere debuiſſe Injuriarum: *quid*, ait Orator, *ad cauſam poſſeſſionis? quid ad reſtituendum eum, quem oportet reſtitui?* Paulo poſt: *queramur, inquit, licet; tamen hoc Interdicto Æbutius non tenetur. Quid ita? quia vis Cæcinæ facta non eſt*. Argumentum eſt hujuſmodi: Ille non tenetur Interdicto, qui vim non fecit; ſed Æbutius vim non fecit Cęcinæ; non igitur tenetur Interdicto. quis ignorat, Complexionē argumenti contineri verbis Sponſionis? Intrà C. Aquillium Juriſconſultum ſic pro Cæcina loquentem inducit: *nam verba ipſa Sponſionis facere mecum, ſi vellem diligenter attendere*. quænam hæc ſunt verba? *Æbutius, qui fatetur aliquo ex loco dejectam eſſe Cæcinam, is, quomodo ſe reſtituiſſe dixit, neceſſe eſt, male fecerit Sponſionem*; in Sponſione ſcilicet dixerat Æbutius, ſe reſtituiſſe, non autem, ſe non dejeciſſe Cæcinam; cumque nullo modo reſtituiſſet, quem aliquo modo ſe dejeciſſe fatebatur, malè Sponſionem fecerat. Neq; mirū eſt, tam multa verba de dejectione fieri; ſi enim conſtaret, dejectum fuiſſe Cęcinam, patebat, Æbutium teneri Interdicto, adeoque non reſtituiſſe. alterum alterius approbatio-

tio eſt, ſed in quolibet argumento dejectionem Aſſumptio complectitur, reſtitutionem Complexio. Videlicet, ubi Æbutius *reſtituiſſe ſe dixit, Sponſio facta eſt; hac de Sponſione vobis judicandum eſt*; ſic innuit Cicero, quibus verbis Sponſio contineretur.

At, poſtquàm uterque Patronus finem dicendi fecerat, ſemperne Judex, aut Recuperatores ita ſententiam ferebant, ut ſtatim abſolveretur Judicium? Non videtur diſſimulandum illud Quinctianæ: *M. Junius, qui hanc cauſam, Aquilli, aliquoties apud te egit, hoc tempore abeſt*. Quinctij cauſam aliquoties egerat apud Aquillium M. Junius, cujus abſentis vices Cicero ſupplebat. aſſignat rationem Manutius, cur aliquoties hæc Cauſa acta fuerit, *quia fuerat*, inquit, *aliquoties ampliata*. Viri eruditi duas cauſas afferunt differendi Judicij, Comperendinationem, & Ampliationem; ego tertiam addo, ſi Patroni non perorarent. Comperendinatio præſcripta eſt lege Servilia de Repetundis, de qua fuſiùs alibi dicam; neque enim in alijs etiam Cauſis publicis locum habebat, minimè auté in privatis. Ampliatio erat, cum Judices, audita utrimque cauſa, *Non liquere*, pronuntiabant; idque in omni Judiciorum genere fiebat. ſed & alio modo differebatur Judicium, ſi Oratorum alteruter non peroraret, neque defenſionem Rei maximè Patronus concluderet. Nam Cicero Verrina 2. verbo *Dixi* orationi ſuæ finem impoſuit, indicavitque, quod ad primam Actionem ſpectaret, ſe jam peroraſſe. & Aſconius ad eum locum: *Moris veterum fuit*, inquit, *cum ſatis viſum eſſet fluxiſſe verborum, hanc ſibi neceſſitatem finiendæ Orationis imponere, ut dicerent ad ultimum, Dixi; quod etiam ab utraque parte Oratione conſumpta, ut in conſilium dimitterentur*,

Præ-

Prætor ſoleret pronuntiare, Dixerunt. Hinc Verrina 4. de judicio Sopatri: *res illo die non peroratur, dimittitur Conſilium;* idcirco judicium dimiſſum, ac dilatum eſt, quòd Accuſator, & Reus non peroraverant. Cæterum Judicii, de quo ſuprà, dilati cauſam fuiſſe M. Junium, quòd non peroraverit; non autem Aquillium Judicem, quòd ampliaverit, ex Cicerone habetur, hac eadem Oratione. hæc enim ſubjicit poſt Narrationem: *Verùm, quoniam Hortenſius queritur, priore Patrono cauſam defendente, nunquàm perorarì potuiſſe; non patiar iſtam manere ſuſpicionem, nos rem judicari nolle.* Hujuſce rei culpam transfert Hortenſius in Junium, qui perorare noluerat, non in Aquillium, quaſi Cauſam jam peroratam ipſe tamen ampliaverit.

Ut quædam hìc etiam attingam ad Cauſas publicas pertinentiá, facit Manutius, qui ad Verrinam 2. cum adhuc Lex Cornelia Judiciaria valeret, ita commentatur: *Conſcribebantur è Senatu Judices, & eorum nominibus in urnam conjectis, Prætor Urbanus ſortiebatur numerum neceſſarium;* putat enim Prætorem Urbanum cuilibet ſortitioni Judicum ſemper præfuiſſe. Fallitur tamen, & quidem in re manifeſta; nam Prætores ita ſuas Urbanas Provincias ſortiebantur, ut quæ cuique obtigiſſet, propriam haberent, nullius imperio ſubjectam. habuiſſet autem Prætor Urbanus Jus non ſolùm in univerſum Populum, ſed etiam quodammodo in ſuos Collegas, ſi ſortitus ipſe fuiſſet Judices, quibus illi in Quæſtionibus exercendis uterentur; quod eſt abſurdum. Aſconius ibidem ita ſcribit: *Cum multi Judices in conſilio cum Prætore ſuo judicaturi eſſent, qui Quæſitor fuiſſet in cauſa publica, V. G. repetundarum, ambitus, majeſtatis; neceſſe fuerat, eos primùm de Decuria Senatoria conſcribi, cum Senatus judicaret,* quibus verbis ſignificare videtur, quemlibet Prætorem

ſor-

ſortitioni præfuiſſe, quæ pro ſua Queſtione haberetur. Cicero oratione pro Cluentio: *Quid eſt, Q. Naſo, cur tu in iſto loco ſedeas? quæ vis eſt, qua abs te hi Judices, tali dignitate præditi coerceantur?* nunquàm dixerim Q. Naſonem Prętorem de Veneficio non fuiſſe ſortitum Judices, quos ipſe coerceret. Sed quia eo argumento adductus eſt Manutius, ut aliter ſentiret, quòd legitur Verrina 3. C. Verres Prætor Urbanus in judicio Oppianici, tabulas, in quibus conſcripta eſſent nomina Judicum, protuliſſe, quas ipſe domi habebat annulo ſuo obſignatas; ſingula, quæ ad hanc Quæſtionem ſpectant, explicanda ſunt diligentiùs. Quolibet anno certus Judicum numerus ſeligebatur (& id fortaſſe fieri ſolebat operâ Prætoris Urbani) ex iis Ordinibus, qui tunc temporis jus haberent judicandi. cum tres Ordines lege Aurelia judicabant, tres Judicum Decuriæ conſtituebantur; cum unus tantùm, puta vel Equeſter, vel Senatorius, adhuc plures erant ſelectorum ex illo Judicum Decuriæ. Quod ex Cluentiana colligitur, ubi de Falcula hæc habentur: *multa eſt ab eo perita, quòd non ſua decuriæ munere, neque ex lege ſediſſet.* cum enim tunc judicarent ſoli Senatores, & arguatur Falcula non ſediſſe munere ſuæ Decuriæ, patet plures fuiſſe Judicum Decurias, licèt penes unum Ordinem judicia forent. Prætores deinde, qui publicas Quæſtiones exercebant, ubi quis reus factus eſſet, conjectis omnium Judicum nominibus in Urnam, numerum neceſſarium ſortiebantur. ex iis, quos haberent ſuſpectos, accuſator, & reus rejiciebant, in quorum locum alios ſubſortiebatur non Prætor ipſe, ſed Judex Quæſtionis. Facta ſubſortitione, nomina Judicum, qui probati fuerant, conſcripta in tabulis deferebantur ad illum Prætorem, qui Quæſtioni V. G. de repetundis præerat, ſi judicium de repetundis habebatur; eaque Prætor annulo ſuo obſigna-

ſignata ſervabat. Primum illud ſupra ſatis oſtendi ex Cicerone, & Aſconio; unumquemque Prætorem in judiciis ad ſe ſpectantibus ſuos Judices ſortitum fuiſſe. Itaque Cicero oratione pro Domo ſua: *quis* inquit, *in meum locum Judicem ſubdidit?* cum profectus eſſet in exilium. dixit *Quis*, hoc eſt, quis ex tot Prætoribus; quæ verba uni Prætori Urbano minimè conveniunt. Imo Prætor Urbanus, qui juri Civili præerat, nullam habebat in ſelectos illos Judices poteſtatem, cum in cauſis privatis ex quocumq; Ordine daret ipſe, quos vellet, Judices. Secundò de Judicum numero: poſt legem Aureliam, quinquaginta & unus ferè judicabant ſingulas Cauſas, teſte Aſconio in Milonianam; idemque numerus quinquagenarius habetur in judicio Clodii Epiſt. 11. lib. 1. ad Atticum, & in judicio Gabinii Epiſt. 14. lib. 4. Sed ante legem Aureliam, cum unus Ordo Senatorius judicaret, multo pauciores ſententiam ferebant, ſic duo, & triginta in Oppianici cauſa fuerunt, ex Oratione pro Cluentio. Tertiò contra quemlibet Reum peculiarem ſortitionem factam fuiſſe, ne corrumpi multo ante Judices poſſent, manifeſtum eſt. Quartò de ſubſortitione facta à Judice quæſtionis, non à Prætore, dubitare non poſſumus, cum & de ſubſortitione Juniana mentio fiat Verrina 3. & mox ſubjiciat Orator: *ejuſmodi ſubſortitionem homo amentiſſimus* (C. Verres) *eorum quoq; Judicum fore putavit per ſodalem ſuum Q. Curtium, Judicem quæſtionis*, de quo Curtio paulo poſt: *in ſuum conſilium ſine cauſa ſubſortiebatur*. Hic autem mos, num ſervatus fuerit, lata lege Aurelia, non quæro; probabile eſt, multa fuiſſe immutata, ſublatam autem omnino Subſortitionem, cum peracta utrimque Cauſa rejectio fieret, ut in judicio Milonis; quod ex præſcripto legis Aureliæ factum eſt, ſicut
alia

alia multa. Quintò nomina Judicum in tabellis obſignatis ſervata fuiſse non apud Prætorē Urbanum, ſed apud illum, qui præeſset Quæſtioni, docet Asconius loco citato: *moris erat, celebrata Judicum rejectione, & haberi in officio Prætoris, & in arca reponi nomina Judicum ſelectorum;* ſtatimque explicat, de quo Prætore loquatur: *cum Prætore ſuo, qui Quæſitor fuiſset in publica cauſa, V. G. repetundarum, ambitus, majeſtatis.* At enim Verres Prætor Urbanus in judicio Oppianici tabulas habebat, in quibus erant Judicum nomina, nimirùm, quia eo anno Quæſtio de Veneficio peculiarem Prætorem non habebat: qua de re alio loco, ne ſimul omnia in hanc unam Epiſtolam temere conieciſse videar.

Obſervandum tamen eſt, quod initio Verrinę 3. notat Aſconius: *apud veteres citari ſolitos fuiſſe à præcone Prætoris & Judices, & Reos, & Accuſatores, & Defenſores.* Quapropter Oratione pro Flacco: *citat Præco voce maxima legatos Æmonenſes: procedit unus Aſclepiades. Prodeant cæteri;* & laudata Verrina 3. *Neminem veſtrum ignorare arbitror, hunc per hoſce dies ſermonem vulgi, atque hanc opinionem populi R. fuiſſe, C. Verrem altera Actione reſponſurum non fuiſſe.* Tunc igitur dicebantur reſpondere, cum à Præcone citati prodibant, ſeque adeſſe teſtati, debitum ſibi in judicio locum occupabant. Commentator hunc judiciorum morem non probat, cui Frigius aſſentitur in Notis, qui nihil examinat, non modò quod ipſe ſentiat, ſed ne quod exſcribat quidem. nam vult *reſponſurum* accipi pro affuturum, ut pro eo reſpondeat Hortenſius; & itidem ubi eſt infra: *reſpondet, defenditur,* putat ſignificari reſponſionem Hortenſii, qui Patronus erat C. Verris. Quæ porrò interpretatio ſi valeat, non rectè Cicero utrumque ſimul co-

onjungit, cum utriuſque eadem ſententia ſit: *re-onſurum non fuiſſe, neque ad judicium affuturum;* & einde, *præſto eſt, reſpondet, defenditur*, atque alia ujus generis multa; in quibus, ſi reſponſio non dif-ert à defenſione, temerè verba illa idem ſignifican-a coacervantur. Ut proinde cum Aſconio dicendum t, ipſius Verris reſponſionem intelligi, qui citatus à ræcone prodierit, ſeque cum defenſore Hortenſio deſſe reſponderit; quemadmodum habetur Verrina . de Sthenii judicio: *Citat Reum, non reſpondet; citat ccuſatorem; citatus Accuſator M. Pacilius, neſcio quo ſu, non reſpondit, non affuit*. an de ipſa Cauſę dictio-e hoc etiam loco ſermo eſt?

Nonne videor obtuliſſe ſatis multa? quòd ſi te ravioribus curis, cauſiſque naturę latentibus per-eſtigandis occupatum detinui diutius, quàm opor-bat, venia homini amico, tuique ſtudioſo danda t. Vale. XII. Kal. Jun. A. S. 1698.

EPISTOLA TERTIA.

AD NOB. N. N.

De Perſonis Judiciorum.

Um jam diu abſim ab Urbe, tuique deſiderio te-near, cuius conveniendi nulla eſt facultas; hinc , ut crebris te literis appellem. Vertentis menſis itio, exaravi neſcio quid ad te contra Ferrarium mutatione Veſtis in luctu, idque ſcripſiſti, tibi rquàm jucundum fuiſſe. Tum ego, perſona-m, rerumque habita ratione: ſi probat, inquàm, r ſapiens aliena; quid deindè, ubi ea retulero æ cum illius condicione vitæ, atque ſtudiorum con-

juncta ſunt? Quamobrem, cum haberem quædam ad priuata Judicia Romanorum pertinentia, quæ in promptu eſſe omnibus nollem, tibi quaſi dono mittenda eadem cenſui, qui Judicis perſonam, quoties opus eſt, tanta cum dignitate ſuſtineas.

Judicium vulgo definitur, *Actus legitimus Actoris, & Rei, de re vel Ciuili vel Criminali, vel publica vel priuata, apud eundem Judicem*; atque adeo tres tantùm Perſonę neceſſariæ ſunt ad quodlibet judicium conſtituendum, Judex, Actor, & Reus. De duabus reliquis nullum oritur dubium, quod ad meum inſtitutum ſpectet; perſonam Judicis aliquantò accuratiùs examinare certum eſt, quod attinet ad Cauſas ciuiles, & priuatas; nam de publicis, et criminalibus ſæpe mihi alibi erit inſtituenda Diſputatio. In Cauſis igitur priuatis, ſi de jure quærendum eſset V. G. uter litigatorum ex teſtamento hæres eſset, judicabant Centumviri, proprium Prætoris Vrbani Conſilium; ſi de facto, cum quippiam alter affirmabat, quod alter negaret, aliquando Prætor Recuperatores, aliquando Judicem dabat. Hinc illud Ciceronis Verrina 5. *Cæpit Scandilius Recuperatores, aut Judicem poſtulare*. quoniam verò de Arbitris etiam, ac de Pedaneis Judicibus mentionem fieri à quibuſdam video; quærendum eſt breuiter, Judex datus, Recuperator, Arbiter, & Judex Pedaneus, unamne, & eandem perſonam ſignificent, quod nonnulli temerè affirmant; an omninò diuerſas. Primò, Judicem datum, & Recuperatorem, qui tamen & ipſe à Prætore dabatur, diuerſas fuiſse Perſonas contendo; idque ex eo manifeſtè colligitur, quòd Cicero, cum utrumque ſimul nominat, diſiunctiua ſemper utitur particula, quæ nuſquam res illas coniungit, quarum eadem vis eſt, atque ſententia. Pro Cæcina: *at ſi quis mihi hoc Judex, Recuperatorue dicat*. Verrina 5.

de

de conuentu nullum unquam Judicem, vel Recuperatorem dedit. ibidem *: cœpit Scandilius Recuperatores, aut Judicem poſtulare.* Et paulo pòſt *: ſi ex prouincia Sicilia ſtatuebas idoneum Judicem, aut Recuperatorem nullum poſſe reperiri.* Audeo dicere, in Latina lingua nullum exemplum extare, quo conſtet, duo verba idem penitùs ſignificantia, particula diſiunctiua *Aut* coniungi poſse. Itaque Cicero, cum apud Recuperatores pro Cæcina diceret, pro Quinctio apud Aquillium Iudicem, pro Q. Roſcio apud Piſonem; in prima illa Oratione ſemper Recuperatores, nuſquam Iudices; in his duabus, Aquillium, & Piſonem Iudices, non autem Recuperatores appellat, ſuis videlicèt utroſque nominibus. Secundò venit in controuerſiam, quanam rè differrent Iudex, & Recuperator. uterque enim dabatur à Prætore; uterque notionem, & cognitionem obtinebat ſine juriſdictione; utrique certa aliqua, & peculiaris Cauſa privata demandabatur, qua cognita, ſuo perfunctus munere putabatur. Præterea uni, eidemque Cauſæ pro arbitrio Prætoris, ſeu Iudex, ſeu Recuperatores præeſse poterant; nam Verrina 5. Scandilius à Prætore Verre Recuperatores, aut Iudicem poſtulabat, qui de Sponſione judicarent, qua ipſe Apronium Verris familiarem laceſſiuerat. Quo magis veritas pateat, adverto, unum fuiſse Iudicem Aquillium in cauſa Quinctii; unum Piſonem in cauſa Roſcii; unum Cluuium judicaſse inter Flauium, & Cheream, Oratione pro Roſcio; unum Fimbriam de M. Lutatio, Offic. lib. 3. unum Catonem inter Centumalum, & Lanarium, ex Valerio lib. 8. cap. 2. & ubicumque de Iudice à Prætore dato ſermo eſt, eum unum tantummodo fuiſſe reperio. Plures contra in quolibet priuato judicio ſediſse Recuperatores ſemper video. pro

deoque de vadimonio deſerto) *quam de re* (de pecunia, quæ petebatur à Nævio) *maluit fieri; deinde, quod ita conſtituit id ipſum judicium* (cogendo Quinctium ſponſionem facere, non autem Nævium) *ut reus, antequam verbum accuſatoris audiſſet, cauſam dicere cogeretur:* ut ille litem intentaret, facta ſponſione, de cujus fama agebatur.

Sponſio certis quibuſdam verbis fiebat, à Prætore datis, Actore & Reo ultrò accipientibus; proindeque Sponſionis formula anguſtiſſima vocatur in ea pro Comœdo, cum Pars alterutra neceſſariò amitteret pecuniam pro lite depoſitam, quæ erat tertia pars totius Summæ, de qua ageretur. Ut res tota commodiùs explanata, meliùs intelligatur, liceat mihi ad Orationem pro Cæcina tranſitum facere atq; ibidem quærere, quibuſnam verbis in ea privata Cauſa facta fuerit Sponſio. Manutius, alijque Interpretes, à Cæcina quidem ſic: *ni hominibus armatis dejectus ſum:* ab Æbutio autẽ adverſário: *ſi hominibus armatis Cæcinam dejeci;* quorum ego ſententiam probare non poſſum. Nam, cũ orta controverſia de Fundo, communium amicorum arbitrio commiſſa fuiſſet, & venientem in ſtatutum locum Cæcinam vi, & armis repuliſſet Æbutius: Cæcina ad Dolabellam Prætorem Urbanum confugit, ſeque vi dejectum de fundo affirmavit, petijtque, ut per Interdictum reſtitueretur in poſſeſſionem fundi. Si factum ſtatim negaſſet Æbutius, & ne interdiceret Prætor, reſtitiſſet; tum ſanè Sponſio facta fuiſſet in hæc verba: *Si paret, Cæcinam vi, & armatis hominibus eſſe dejectum*, at illo quieſcente: *P. Dolabella Prætor interdixit, ut eſt conſuetudo, de Vi hominibus armatis, ſine ulla exceptione, tantùm, ut, unde dejeciſſet, reſtitueret.* Quid Æbutius? cum periculoſum eſſet non parere Interdicto,

&c.

& reſtituere fundum nollet, *reſtituiſſe ſe dixit*, hoc eſt modeſto uſus verbo, ſe non teneri eo Interdicto reſpondit. Hinc controverſia; reſtitueritne Æbutius Cæcinam, nimirùm, an teneatur Interdicto. dat Prætor Recuperatores, dat etiam Sponſionis formulam: *Si paret, Æbutium reſtituiſſe ex Interdicto*, quod affirmabat Æbutius, negabat Cæcina. Hæc eadem verba eſſe Sponſionis, ex Oratione colligitur; eo enim omnia Ciceronis argumenta collimant, ut oſtendat, non fuiſſe reſtitutum Cæcinam, Æbutium teneri Interdicto. Cum Adverſarius contenderet, Cæcinam, ſi ſe de fundo dejectum quereretur, agere debuiſſe Injuriarum: *quid*, ait Orator, *ad cauſam poſſeſſionis? quid ad reſtituendum eum, quem oportet reſtitui?* Paulo poſt: *queramur, inquit, licet; tamen hoc Interdicto Æbutius non tenetur. Quid ita? quia vis Cæcinæ facta non eſt.* Argumentum eſt hujuſmodi: Ille non tenetur Interdicto, qui vim non fecit; ſed Æbutius vim non fecit Cęcinæ; non igitur tenetur Interdicto. quis ignorat, Complexionẽ argumenti contineri verbis Sponſionis? Intrà C. Aquillium Juriſconſultum ſic pro Cæcina loquentem inducit: *nam verba ipſa Sponſionis facere mecum, ſi vellem diligenter attendere.* quænam hæc ſunt verba? *Æbutius, qui fatetur aliquo ex loco dejectum eſſe Cæcinam, is, quomodo ſe reſtituiſſe dixit, neceſſe eſt, malè fecerit Sponſionem*; in Sponſione ſcilicet dixerat Æbutius, ſe reſtituiſſe, non autem, ſe non dejeciſſe Cæcinam; cumque nullo modo reſtituiſſet, quem aliquo modo ſe dejeciſſe fatebatur, malè Sponſionem fecerat. Neq; mirũ eſt, tam multa verba de dejectione fieri; ſi enim conſtaret, dejectum fuiſſe Cęcinam, patebat, Æbutium teneri Interdicto, adeoque non reſtituiſſe. alterum alterius approba-

nio eſt, ſed in quolibet argumento dejectionem Aſſumptio complectitur, reſtitutionem Complexio. Videlicet, ubi Æbutius *reſtituiſſe ſe dixit, Sponſio facta eſt; hac de Sponſione vobis judicandum eſt;* ſic innuit Cicero, quibus verbis Sponſio contineretur.

At, poſtquàm uterque Patronus finem dicendi fecerat, ſemperne Judex, aut Recuperatores ita ſententiam ferebant, ut ſtatim abſolveretur Judicium? Non videtur diſſimulandum illud Quinctianæ: *M. Junius, qui hanc cauſam, Aquilli, aliquoties apud te egit, hoc tempore abeſt.* Quinctij cauſam aliquoties egerat apud Aquillium M. Junius, cujus abſentis vices Cicero ſupplebat. aſſignat rationem Manutius, cur aliquoties hæc Cauſa acta fuerit, *quiafuerat*, inquit, *aliquoties ampliata*. Viri eruditi duas cauſas afferunt differendi Judicij, Comperendinationem, & Ampliationem; ego tertiam addo, ſi Patroni non perorarent. Comperendinatio præſcripta eſt lege Servilia de Repetundis, de qua fuſiùs alibi dicam; neque enim in alijs etiam Cauſis publicis locum habebat, minimè auté in privatis. Ampliatio erat, cum Judices, audita utrimque cauſa, *Non liquere*, pronuntiabant; idque in omni Judiciorum genere fiebat. ſed & alio modo differebatur Judicium, ſi Oratorum alteruter non peroraret, neque defenſionem Rei maximè Patronus concluderet. Nam Cicero Verrina 2. verbo *Dixi* orationi ſuæ finem impoſuit, indicavitque, quod ad primam Actionem ſpectaret, ſe jam peroraſſe. & Aſconius ad eum locum: *Moris veterum fuit*, inquit, *cum ſatis viſum eſſet fluxiſſe verborum, hanc ſibi neceſſitatem finiendæ Orationis imponere, ut dicerent ad ultimum, Dixi; quod etiam ab utraque parte Oratione conſumpta, ut in conſilium dimitterentur,*

Præ-

Prætor ſoleret pronuntiare, Dixerunt. Hinc Verrina 4. de judicio Sopatri: *res illo die non peroratur, dimittitur Conſilium*; idcirco judicium dimiſſum, ac dilatum eſt, quòd Accuſator, & Reus non peroraverant. Cæterum Judicii, de quo ſuprà, dilati cauſam fuiſſe M. Junium, quòd non peroraverit; non autem Aquillium Judicem, quòd ampliaverit, ex Cicerone habetur, hac eadem Oratione. hæc enim ſubjicit poſt Narrationem: *Verùm, quoniam Hortenſius queritur, priore Patrono cauſam defendente, nunquàm perorari potuiſſe; non patiar iſtam manere ſuſpicionem, nos rem judicari nolle*. Hujuſce rei culpam transfert Hortenſius in Junium, qui perorare noluerat, non in Aquillium, quaſi Cauſam jam peroratam ipſe tamen ampliaverit.

Ut quædam hìc etiam attingam ad Cauſas publicas pertinentiá, facit Manutius, qui ad Verrinam 2. cum adhuc Lex Cornelia Judiciaria valeret, ita commentatur: *Conſcribebantur è Senatu Judices, & eorum nominibus in urnam conjectis, Prætor Urbanus ſortiebatur numerum neceſſarium*; putat enim Prætorem Urbanum cuilibet ſortitioni Judicum ſemper præfuiſſe. Fallitur tamen, & quidem in re manifeſta; nam Prætores ita ſuas Urbanas Provincias ſortiebantur, ut quæ cuique obtigiſſet, propriam haberent, nullius imperio ſubjectam. habuiſſet autem Prætor Urbanus Jus non ſolùm in univerſum Populum, ſed etiam quodammodo in ſuos Collegas, ſi ſortitus ipſe fuiſſet Judices, quibus illi in Quæſtionibus exercendis uterentur; quod eſt abſurdum. Aſconius ibidem ita ſcribit: *Cum multi Judices in conſilio cum Prætore ſuo judicaturi eſſent, qui Quæſitor fuiſſet in cauſa publica, V. G. repetundarum, ambitus, majeſtatis; neceſſe fuerat, eos primùm de Decuria Senatoria conſcribi, cum Senatus judicaret*, quibus verbis ſignificare videtur, quemlibet Prætorem ſor-

ſortitioni præfuiſſe, quæ pro ſua Quęſtione haberetur. Cicero oratione pro Cluentio: *Quid eſt, Q. Naſo, cur tu in iſto loco ſedeas? quæ vis eſt, qua abs te hi Judices, tali dignitate præditi coerceantur?* nunquàm dixerim Q. Naſonem Pretorem de Veneficio non fuiſſe ſortitum Judices, quos ipſe coerceret. Sed quia eo argumento adductus eſt Manutius, ut aliter ſentiret, quòd legitur Verrina 3. C. Verres Prætor Urbanus in judicio Oppianici, tabulas, in quibus conſcripta eſſent nomina Judicum, protuliſſe, quas ipſe domi habebat annulo ſuo obſignatas; ſingula, quæ ad hanc Quæſtionem ſpectant, explicanda ſunt diligentiùs. Quolibet anno certus Judicum numerus ſeligebatur (& id fortaſſe fieri ſolebat operá Prætoris Urbani) ex iis Ordinibus, qui tunc temporis jus haberent judicandi. cum tres Ordines lege Aurelia judicabant, tres Judicum Decuriæ conſtituebantur; cum unus tantùm, puta vel Equeſter, vel Senatorius, adhuc plures erant ſelectorum ex illo Judicum Decuriæ. Quod ex Cluentiana colligitur, ubi de Falcula hæc habentur: *multa eſt ab eo petita, quod non ſuæ decuriæ munere, neque ex lege ſediſſet.* cum enim tunc judicarent ſoli Senatores, & arguatur Falcula non ſediſſe munere ſuæ Decuriæ, patet plures fuiſſe Judicum Decurias, licèt penes unum Ordinem judicia forent. Prætores deinde, qui publicas Quæſtiones exercebant, ubi quis reus factus eſſet, conjectis omnium Judicum nominibus in Urnam, numerum neceſſarium ſortiebantur. ex iis, quos haberent ſuſpectos, accuſator, & reus rejiciebant, in quorum locum alios ſubſortiebatur non Prætor ipſe, ſed Judex Quæſtionis. Facta ſubſortitione, nomina Judicum, qui probati fuerant, conſcripta in tabulis deferebantur ad illum Prætorem, qui Quæſtioni V. G. de repetundis præerat, ſi judicium de repetundis habebatur; eaque Prætor annulo ſuo obſigna-

ſignata ſervabat. Primum illud ſupra ſatis oſtendi ex Cicerone, & Aſconio; unumquemque Prætorem in judiciis ad ſe ſpectantibus ſuos Judices ſortitum fuiſſe. Itaque Cicero oratione pro Domo ſua: *quis* inquit, *in meum locum Judicem ſubdidit?* cum profectus eſſet in exilium. dixit *Quis*, hoc eſt, quis ex tot Prætoribus; quæ verba uni Prætori Urbano minimè conveniunt. Imo Prætor Urbanus, qui juri Civili præerat, nullam habebat in ſelectos illos Judices poteſtatem, cum in cauſis privatis ex quocumq; Ordine daret ipſe, quos vellet, Judices. Secundò de Judicum numero: poſt legem Aureliam, quinquaginta & unus ferè judicabant ſingulas Cauſas, teſte Aſconio in Milonianam; idemque numerus quinquagenarius habetur in judicio Clodii Epiſt. 11. lib. 1. ad Atticum, & in judicio Gabinii Epiſt. 14. lib. 4. Sed ante legem Aureliam, cum unus Ordo Senatorius judicaret, multo pauciores ſententiam ferebant, ſic duo, & triginta in Oppianici cauſa fuerunt, ex Oratione pro Cluentio. Tertiò contra quemlibet Reum peculiarem ſortitionem factam fuiſſe, ne corrumpi multo ante Judices poſſent, manifeſtum eſt. Quartò de ſubſortitione facta à Judice quæſtionis, non à Prætore, dubitare non poſſumus, cum & de ſubſortitione Juniana mentio fiat Verrina 3. & mox ſubjiciat Orator: *ejuſmodi ſubſortitionem homo amentiſſimus* (C. Verres) *ſuorum quoq; Judicum fore putavit per ſodalem ſuum Q. Curtium, Judicem quæſtionis*, de quo Curtio paulo poſt: *in ſuum conſilium ſine cauſa ſubſortiebatur*. Hic autem mos num ſervatus fuerit, lata lege Aurelia, non quæro; probabile eſt, multa fuiſse immutata, ſublatam autem omnino Subſortitionem, cum peracta utrimque Cauſa rejectio fieret, ut in judicio Milonis; quod ex præſcripto legis Aureliæ factum eſt, ſicut

alia

Alia multa. Quintò nomina Judicum in tabellis obſignatis ſervata fuiſſe non apud Prætorē Urbanum, ſed apud illum, qui præeſſet Quæſtioni, docet Aſconius loco citato: *moris erat, celebrata Judicum rejectione, & haberi in officio Prætoris, & in arca reponi nomina Judicum ſelectorum*; ſtatimque explicat, de quo Prætore loquatur: *cum Prætore ſuo, qui Quæſitor fuiſſet in publica cauſa, V. G. repetundarum, ambitus, majeſtatis*. At enim Verres Prætor Urbanus in judicio Oppianicī tabulas habebat, in quibus erant Judicum nomina, nimirùm, quia eo anno Quæſtio de Veneficio peculiarem Prætorem non habebat: qua de re alio loco, ne ſimul omnia in hanc unam Epiſtolam temere, conieciſſe videar.

Obſervandum tamen eſt, quod initio Verrinę 3. notat Aſconius: *apud veteres citari ſolitos fuiſſe à præcone Prætoris & Judices, & Reos, & Accuſatores, & Defenſores*. Quapropter Oratione pro Flacco: *citat Præco voce maxima legatos Æmonenſes: procedit unus Aſclepiades. Prodeant cæteri*; & laudata Verrina 3. *Neminem veſtrum ignorare arbitror, hunc per hoſce dies ſermonem vulgi, atque hanc opinionem populi R. fuiſſe, C. Verrem altera Actione reſponſurum non fuiſſe*. Tunc igitur dicebantur reſpondere, cum à Præcone citati prodibant, ſeque adeſſe teſtati, debitum ſibi in judicio locum occupabant. Commentator hunc judiciorum morem non probat, cui Frigius aſſentitur in Notis, qui nihil examinat, non modò quod ipſe ſentiat, ſed ne quod exſcribat quidem. nam vult *reſponſurum* accipi pro affuturum, ut pro eo reſpondeat Hortenſius; & itidem ubi eſt infra: *reſpondet, defenditur*, putat ſignificari reſponſionem Hortenſii, qui Patronus erat C. Verris. Quæ porrò interpretatio ſi valeat, non rectè Cicero utrumque ſimul

co-

conjungit, cum utriuſque eadem ſententia ſit: *reſponſurum non fuiſſe, neque ad judicium affuturum*; & deinde, *præſto eſt, reſpondet, defenditur*, atque alia hujus generis multa; in quibus, ſi reſponſio non differt à defenſione, temerè verba illa idem ſignificantia coacervantur. Ut proinde cum Aſconio dicendum ſit, ipſius Verris reſponſionem intelligi, qui citatus à Præcone prodierit, ſeque cum defenſore Hortenſio adeſſe reſponderit; quemadmodum habetur Verrina 4. de Sthenii judicio: *Citat Reum, non reſpondet; citat Accuſatorem; citatus Accuſator M. Tacilius, neſcio quo caſu, non reſpondit, non affuit*. an de ipſa Cauſę dictione hoc etiam loco ſermo eſt?

Nonne videor obtuliſſe ſatis multa? quòd ſi te gravioribus curis, cauſiſque naturę latentibus perveſtigandis occupatum detinui diutius, quàm oportebat, venia homini amico, tuique ſtudioſo danda eſt. Vale. XII. Kal. Jun. A. S. 1698.

EPISTOLA TERTIA.

AD NOB. N. N.

De Perſonis Judiciorum.

CUm jam diu abſim ab Urbe, tuique deſiderio tenear, cuius conveniendi nulla eſt facultas; hinc fit, ut crebris te literis appellem. Vertentis menſis initio, exaravi neſcio quid ad te contra Ferrarium de mutatione Veſtis in luctu, idque ſcripſiſti, tibi perquàm jucundum fuiſſe. Tum ego, perſonarum, rerumque habita ratione: ſi probat, inquam, Vir ſapiens aliena; quid deindè, ubi ea retulero, quæ cum illius condicione vitæ, atque ſtudiorum con-

juncta ſunt? Quamobrem, cum haberem quædam ad priuata Judicia Romanorum pertinentia, quæ in promptu eſſe omnibus nollem, tibi quaſi dono mittenda eadem cenſui, qui Judicis perſonam, quoties opus eſt, tanta cum dignitate ſuſtineas.

Judicium vulgo definitur, *Actus legitimus Actoris, & Rei, de re vel Ciuili vel Criminali, vel publica vel priuata, apud eundem Judicem*; atque adeo tres tantùm Perſonæ neceſſariæ ſunt ad quodlibet judicium conſtituendum, Judex, Actor, & Reus. De duabus reliquis nullum oritur dubium, quod ad meum inſtitutum ſpectet; perſonam Judicis aliquantò accuratiùs examinare certum eſt, quod attinet ad Cauſas ciuiles, & priuatas; nam de publicis, et criminalibus ſæpe mihi alibi erit inſtituenda Diſputatio. In Cauſis igitur priuatis, ſi de jure quærendum eſset V. G. uter litigatorum ex teſtamento hæres eſset, judicabant Centumviri, proprium Prætoris Vrbani Conſilium; ſi de facto, cum quippiam alter affirmabat, quod alter negaret, aliquando Prætor Recuperatores, aliquando Judicem dabat. Hinc illud Ciceronis Verrina 5. *Cœpit Scandilius Recuperatores, aut Judicem poſtulare*. quoniam verò de Arbitris etiam, ac de Pedaneis Judicibus mentionem fieri à quibuſdam video; quærendum eſt breuiter, Judex datus, Recuperator, Arbiter, & Judex Pedaneus, unámne, & eandem perſonam ſignificent, quod nonnulli temerè affirmant; an omninò diuerſas. Primò, Judicem datum, & Recuperatorem, qui tamen & ipſe à Prætore dabatur, diuerſas fuiſse Perſonas contendo; idque ex eo manifeſtè colligitur, quòd Cicero, cum utrumque ſimul nominat, diſiunctiua ſemper utitur particula, quæ nuſquam res illas coniungit, quarum eadem vis eſt, atque ſententia. Pro Cæcina: *at ſi quis mihi hoc Judex, Recuperatorue dicat*. Verrina 5.

de

de conuentu nullum unquam Judicem, vel Recuperatorem dedit. ibidem *: cœpit Scandilius Recuperatores, aut Judicem poſtulare*. Et paulo pòſt *: ſi ex prouincia Sicilia ſtatuebas idoneum Judicem, aut Recuperatorem nullum poſſe reperiri*. Audeo dicere, in Latina lingua nullum exemplum extare, quo conſtet, duo verba idem penitùs ſignificantia, particula diſiunctiua *Aut* coniungi poſse. Itaque Cicero, cum apud Recuperatores prò Cæcina diceret, prò Quinctio apud Aquillium Iudicem, pro Q. Roſcio apud Piſonem; in prima illa Oratione ſemper Recuperatores, nuſquam Iudices; in his duabus, Aquillium, & Piſonem Iudices, non autem Recuperatores appellat, ſuis videlicèt utroſque nominibus. Secundò venit in controuerſiam, quanam rè differrent Iudex, & Recuperator. uterque enim dabatur à Prætore; uterque notionem, & cognitionem obtinebat ſine juriſdictione; utrique certa aliqua, & peculiaris Cauſa privata demandabatur, qua cognita, ſuo perfunctus munere putabatur. Præterea uni, eidemque Cauſæ pro arbitrio Prætoris, ſeu Iudex, ſeu Recuperatores præeſse poterant; nam Verrina 5. Scandilius à Prætore Verre Recuperatores, aut Iudicem poſtulabat, qui de Sponſione judicarent, qua ipſe Apronium Verris familiarem laceſſiuerat. Quo magis veritas pateat, adverto, unum fuiſse Iudicem Aquillium in cauſa Quinctii; unum Piſonem in cauſa Roſcii; unum Cluuium judicaſse inter Flauium, & Chercam, Oratione pro Roſcio; unum Fimbriam de M. Lutatio, Offic. lib. 3. unum Catonem inter Centumalum, & Lanarium, ex Valeriò lib. 8. càp. 2. & ubicumque de Iudice à Prætore dato ſermo eſt, eum unum tantummodo fuiſſe reperio. Plures contra in quolibet priuato judicio ſediſse Recuperatores ſemper video. pro

B 2 Cæci-

Cæcina apud Recuperatores, non apud Recuperatōrem dixit Cicero. apud Plautum in Bacchide.

Poſtquam quidem Prætor Recuperatores dedit.

Verrina 5. de C. Verre: *Recuperatores dicit ſe daturum;* & alio loco: *Recuperatores dicit, ſe de Coborte ſua daturum*, in judicio Scandilii, qui, ut ſupra memini, aut Recuperatores, aut Iudicem poſtulabat. Quin illos fuiſse plerumque tres, ex laudata toties Verrina colligitur: *qui plus exiſtimet apud lectiſſimos Senatores pecuniam, quàm apud tres negotiatores* (de Recuperatoribus autem loquitur) *metum valere*. Ex his omnibus conſtat, Iudicis, & Recuperatorum eandem omninò poteſtatem fuiſse, & eaſdem fuiſse perſonas nulla alia re, quàm ſolo numero diſtinctas; ita ut, ſi Prætor uni tantùm Cauſam aliquam priuatam demandaret, is Judex diceretur; ſi pluribus, iidem non Judices, ſed Recuperatores appellari vulgo ſolerent. Neque obeſt illud Ciceronis: *de conventu nullum unquam Judicem, vel Recuperatorem dedit*, & ſi quod eſt ejuſmodi, ubi vox illa Recuperator perſonam deſignat, quæ inter Recuperatores cauſas priuatas judicare poſſit, & debeat. Tertiò vocabantur Arbitri, quos Litigatores ipſi delegiſsent, nullo interpoſito Prætoris decreto, ut more amicorum, intra domeſticos parietes, & minima cum moleſtia, controverſias dirimerent. de his tamen nunc ſermo non eſt. Erat enim etiam Arbiter datus à Prętore, qui neque idem munus, neque poteſtatem eandem obtinebat, ac Judex datus. Hujuſce rei teſtis eſt Cicero Oratione pro Comædo: *Aliud eſt judicium*, inquit, *aliud eſt arbitrium; judicium eſt pecuniæ certæ, arbitrium incertæ. ad judicium hoc modo venimus, ut totam litem aut obtineamus, aut amittamus; ad arbitrium hoc animo adimus, ut neque nihil, neque tantum, quantum poſtulavimus,*

mus, conſequamur. Quamobrem, qui ſe à Socio, vel à Tutore fraudatos putabant, neque certam pecuniæ ſummam, quæ ſibi deberetur, proferre poterant, arbitrio, non judicio contendebant; hoc eſt Arbitrum ſibi dari à Prætore poſtulabant, non Judicem; qui deinde ex bono, & æquo judicabat. Qui verò certam pecuniam petebant, ad Iudicem adibant; V. G. peto ab Antonio ducentos Philippos, mihi Judex adeundus eſt; niſi tantumdem ad libellam mihi deberi oſtendo, cauſam amitto. Sic apud Ciceronem loco citato, Fannius, qui ſe à Roſcio in ſocietate fraudatum dicebat, Roſcium ad Arbitrum Piſonem adegit; & poſt latam ab Arbitro ſententiam, rurſùs ad eundem Piſonem Iudicem venit, petiitque certam pecuniæ ſummam, quam ſibi à Roſcio deberi profitebatur. In quem jure Orator invehitur hoc modo: *quem ad Arbitrum circumvenire non poſſes, cujus de ea re proprium erat judicium; hunc per Judicem condemnabis, cujus de ea re nullum eſt arbitrium?* Quartò, de Iudice Pedaneo, Ciceronis temporibus, nulla mentio; ut proinde Illum inſtitutum exiſtimem ab Imperatoribus, ſublata jam libertate, qui minora judicia diſcerneret. Ulpianus in l. 1. *Item Sen. Conſulto etiam apud Judices Pedaneos poſtulare prohibetur calumniæ cauſa, publico judicio damnatus*. Dabatur igitur poſtulatio apud Judices Pedaneos, qui ſemel à Præſide conſtituti, judicandi jus de quolibet minori negotio habebant, donec ipſius Præſidis juriſdictio maneret. at apud Judicem à Prætore datum, apud Recuperatores, apud Arbitrum non dabatur poſtulatio, quibus certa aliqua, & peculiaris Cauſa nominatim mandabatur à Prætore, apud quem facta fuerat ab Actore poſtulatio; diſcrimen manifeſtum eſt.

BIBLIOTECA

Judex deinde, quem Prætor dederat, rarò ſolus judicabat, plerumque unum, aut plures ſibi advocabat in conſilium. Cicero pro Quinctio non Aquillium judicem tantùm appellat, ſed etiam alios quoſdam: *Et vos, qui tibi in conſilio adſunt*, L. Lucullum ſcilicet, P. Quinctilium, M. Marcellum, qui in conſilio aderant C. Aquillio. Ad hoc idem firmandum, luculentiſſimum ex Verrina 4. teſtimonium profertur, ubi de C. Verre narrat Cicero: *M. Petilium Equitem R. quem habet in conſilio, jubet operam dare, quòd rei privatæ Judex eſſet*, Cauſæ ſcilicet privatæ Judex à Verre Prætore datus; deinde: *Petilius recuſabat, quòd ſuos amicos, quos ſibi in conſilio adeſſe vellet, ipſe Verres retineret*. ipſius igitur Judicis partes erant nominare, quos habere volebat in conſilio, neque certus erat numerus definitus; ut proinde Judex Prætoris, ab ipſo advocati Judicum vicem gerere viderentur. In Cauſa porrò P. Quinctii hunc ſervatum morem fuiſſe, patet ex verbis, quæ ſubſequuntur: *aut quo non in iis, quos tibi advocaſti, viris electiſſimis Civitatis, ſpem ſummam habere P. Quinctius debeat*. Pro Q. Roſcio Comœdo, cum de Judice commemoraſſet Orator, ſtatim adjungit: *& advocatio ea eſt, quam propter eximium ſplendorem, ut judicem unum vereri debeamus*; idque ad M. Perpernam refertur, quem advocaverat, ſibique in conſilio eſſe juſſerat Piſo Judex. Manutius, qui hunc Romanorum morem fortè non agnovit, ſicut in Quinctiana exiſtimat, Lucullum, Quinctilium, & Marcellum fuiſſe Recuperatores, una cum Judice Aquillio datos à Prætore Urbano, non autem advocatos ab ipſo Aquillio in conſilium; ſic in iſta pro Comœdo, Advocationem vult eſſe *Viros graves, qui ad reum ſublevandum ad judicium veniebant, ut præſentia ſua reo ſuf-*

fragarentur. rectène, an perperam, conſideremus. Profitetur Cicero hoc eodem loco, ſe jam abſolviſſe cauſam Q. Roſcii, dicturum alia quædam non victoriæ, ſed bonæ exiſtimationis gratia; argumento verò utitur ab Adjunctis perſonarum, quòd & Reus Roſcius ſuam exiſtimationem plurimi faciat, & Piſonem judicem benè de ſe exiſtimare maximè velit, & advocationem, ut Judicem unum vereatur, propter eximium ſplendorem. Cur non eſt de Perpernæ, Viri Cenſorii exiſtimatione æquè ſolicitus? vitioſa eſt Diſtributio, nam illum affuiſſe negari non poteſt. Cur dubitat Roſcius, an de ſe bene ſentiant ii, quos ipſe ſibi Advocatos ob eximiam benevolentiam delegerat, qui, niſi de eodem optimè ſenſiſſent, nequaquam Reo ſuffragari præſentia ſua voluiſſent? hæ partes erant Accuſatoris, ut malevolos faceret. Cur vereatur, ut Judicem unum, quos ut Patronum unum adhibebat? nam Reus, Patroni, & Advocati, una eademque cenſentur eſſe Perſona. Sed non loquitur Cicero de Roſcii Advocatis, loquitur de Advocatis à Piſone Iudice, de Perperna, aliiſque nobiliſſimis hominibus, quos in conſilio ſibi adeſſe Piſo voluerat; eodem planè ſenſu, ac in ea pro Quinctio; de C. Aquillio Judice: *aut quo non in iis, quos tibi advocaſti*, & cæt. Qui ſic advocabantur, Conſultores Iudicis erant, & cauſa perorata, ſimul omnes de ferenda ſententia conſultabant; conſultationes autem dici Advocationes, colligitur etiam ex Verrina 3. *Quo ſæpe numero Senatus convocatur, quo maximarum rerum quotidie frequentiſſimæ advocationes fiunt*; quo ſæpe advocari Senatus ſolet, de maximis rebus conſilium initurus.

Teſtes quoque in Iudiciis adhibebantur, pro ſingulis rebus comprobandis, & cum dicerent teſtimo-

nium coram Iudicibus, interrogari poterant ab Adverſariis. Verùm obſeruandum eſt, non in omnibus Cauſis ſimiliter fuiſſe interrogatos, ac diverſo tempore pro Cauſarum diverſitate teſtimonium dixiſſe. Si Iudicium privatum eſſet, audiebantur teſtes, antequàm Oratores verba facerent; nam Oratione pro Cæcina, adverſariorum teſtimonia recenſentur, & qua Ciceronis interrogatione fracta fuerit Falculę decimi teſtis audacia, etiam habetur. Si Iudicia publica forent, & criminalia, ubi Accuſator, & Reus peroraverant, tùm demum teſtes prodibant; ut pro Sex. Roſcio Amerino: *de Capitone poſt viderimus, ſi, quemadmodum paratum eſſe audio, teſtis prodierit.* nondùm prodierat, cum jam cauſa diceretur, atque alia ſunt hujus generis ſexcenta. In Repetundarum tantùm Cauſis, comperendinato Reo, hoc eſt poſt primam Actionem, teſtes interrogandi Adverſariis dabantur, ut conſtat ex Verrinis, & Aſconii Commentariis in eaſdem.

An nulla alia Perſona in judiciis locum habebat? imò quamplures, de quibus tamen non quæro, duabus exceptis, Cognitore, ſeu Procuratore, & Juriſconſulto, quas præterire ſilentio non poſſum. Quod attinet ad primam, Verrina 5. hæc habet Cicero: *Sponſio facta eſt cum Cognitore tuo Apronio;* Cognitorem Verris Apronium vocat. an, ut Manutius putat, *quòd illum optimè noſſet, eique id dictitanti credi oporteret?* nihil minùs. Non equidem negaverim, cum de ſupplicio alicujus ageretur, & incertum eſſet, an foret Civis R. necne, datos fuiſſe Cognitores quoſdam, qui ſe illum optimè cognoſcere faterentur; ut videre eſt in Oratione de Suppliciis. At in Cauſis privatis, hujuſmodi Cognitores nullum obtinent locum, aut aliud quiddam admodùm diverſum ſignificant.

ſicant. Nam, ſi quis abſentem Reum defenderet, Procurator; ſi præſentẽ, Cognitor dicebatur. ut Oratione pro Quinctio, cum Quinctius in Gallia eſſet, contendebat Romæ cum Nævio, Quinctii Procurator Alphenus. Oratione pro Q. Roſcio, Cherea, cum Roſcii præſentis nomine, Q. Flavium judicio damni conveniſſet, *in hanc rem*, inquit, *me Cognitorem dediſti*. Utar exemplo: Craſſum vocat in judicium Pompejus, ab eoque pecuniæ vim maximam, quę ſibi deberetur, petit; Craſſus dat Cognitorem Cæſarem, qui ſe, ſuaſque fortunas defendat. nonne tùm Sponſio fieri dicitur inter Cæſarem Cognitorem Craſſi, & Pompejum de Craſſi fortunis omnibus? Scilicèt, quia non Cæſaris res agitur, ſed Craſſi. Itidem loco citato, Scandilius utrum ſponſione laceſſivit? *cum in foro celeberrimo, tanta frequentia, verbo, & ſimulatione, Apronio, revera tibi objectum eſſet.* tua ne, Verres, an Apronii res agitur? *ſponſio fit de capite, & fortunis tuis*; adeoque bene Cicero ait: *Sponſio facta eſt cum Cognitore tuo Apronio, de fortunis tuis omnibus*; cum Apronius non ſuas, ſed præſentis Verris fortunas tueretur, quaſi illius Cognitor, contra petitorem Scandilium. Ubi notanda eſt obiter incredibilis Joan. Frigii oſcitantia, qui cum temere omnia ex aliorum Commentariis exſcriberet, audiſſet autem aliquando, quæ vis eſſet hujuſce Verbi *Cognitor*, neutrum diſcernens, ita retulit in ſuas Notas: *qui te optimè noſſet, cuique credi oporteret, ſocium te ſibi in decumis eſſe dictitanti; Cognitor autem præſentis dicitur, qui Procurator abſentis*; neque ſatis intelligit, quænam vel aliorum ſententia eſſet, vel ſua. In illuſtrando Verrinæ loco, liquido oſtendi, quid fuerit Cognitor, & Procurator.

Eadem plane via ad alteram quoque partem accedam

dam de Juriſconſulto; & primus mihi locus ex Oratione pro Cæcina ſumatur, ubi legimus de C. Aquillio: *cum eum auctorem noſtræ defenſionis eſſe dicitis*. Lambinus apud Frigium vult eſſe legendum, *Veſtrę Defenſionis*, & penitùs ea, quæ ſequuntur, immutat; perinde ac Adverſarii pugnantia loquentes, laudent Aquillium, quippe ſuæ defenſionis auctorem, eidem negent eſſe credendum, quòd aliquid etiam pro Cæcina reſpondiſſet. Ego verò lectionem veterem retinendam eſſe, & Lambini ſententiam probari nullo modo poſſe contendo. Nam fere in omnibus Cauſis Juriſconſultus aderat illi, cui reſpondiſſet de Jure; ut Nævio contra P. Quinctium, præter Patronum Hortenſium, L. Philippus aderat Juriſperitus. Aquillius autem utri affuit? Æbutio ne, an Cæcinæ? ſuprà: *Hoc loco percommodè accidit, quòd non adeſt is, qui paulo ante affuit, & adeſſe nobis frequenter in hac cauſa ſolet, Vir ornatiſſimus, C. Aquillius*. idem igitur Cæcinæ, non Æbutio de jure reſponderat. Deinde, quis putet eundem Juriſconſultum, in eadem Cauſa, utrique, tùm Actori, tùm Reo reſpondiſſe? at certè negari non poteſt à Cæcina conſultum fuiſſe C. Aquillium, proindeque non ab Æbutio. Poſtremò ipſa Ciceronis verba conſiderentur: *Quare permagnam initis à nobis gratiam, cum eum auctorem noſtræ* (vel ſecundùm Lambinum veſtræ) *defenſionis eſſe dicitis*. quid ſibi vult illud Adverbium *Quare?* unde pendet? ab iis nimirùm, quæ antecedunt, à laudibus C. Aquillii, hoc ſenſu: quia Vir optimus, & Juriſconſultus peritiſſimus eſt C. Aquillius, idcircò permagnam à me init gratiã Piſo; qua in re? cum ſuę defenſionis eundem auctorem facit? nemo dixerit, abſurdum eſt. an enim in cauſa Quinctii magnam inierat Nævius adverſarius à Quinctio gratiam, quòd ſibi & bonũ

Ora-

Orãtorem Hortenſium, & Juriſconſultum peritiſſimum L. Philippum, & homines nobiliſſimos Advocatos comparaverat? merę nugæ. Dicendum itaque, gratiam inde pendere: *quòd eum auctorem noſtræ defenſionis eſſe dicitis*. Neque negligenda ſunt, quæ ſequuntur: *cum eum auctorem Vos pro me appelletis, noſtrum nominetis*, de C. Aquillio: *veruntamen quid ait iſte noſter auctor?* Paulo poſt: *quo nos auctore rem iſtam agere, & defenſionem cauſæ conſtituere dicitis*; infra: *velim hoc totum ſic exiſtimetis, primùm, alium, non me excogitaſſe*. Hæc omnia indicant, genus illud defenſionis ab ipſis verbis petitum, inventum fuiſſe C. Aquillii, quem proinde auctorem ſuæ defenſionis Cicero dicit, ſtatimque ſubjicit, quid ſibi de jure conſultus reſponderit. Quamvis autem plerumque iis Juriſconſulti adeſſent in Cauſis agendis, quibus reſponderant de jure, ut Cæcinæ aderat Aquillius, Philippus Nævio in Quinctiana; quandoque tamen contra eveniebat, ut litigantium alteri reſponderent conſulti, alteri pręſentes adeſſent. hoc amicitiæ dabant, officio ſatisfacturi: illud ſcientiæ, quam profitebantur, ne cui per arrogantiam deeſſe viderentur. Cicero pro Murena, narrat contigiſſe aliquandò, ut Ser. Sulpicius de jure conſuleretur ab Adverſario ſui cujuſdam Amici. quid tum Sulpicius? conſultus reſpondebat de jure contra ſuum Amicum, neque propterea violari putabat leges amicitiæ. quid præterea? veniebat idē Sulpicius Amico ſuo Advocatus, ſuãque illi præſentiam commodabat; eo tamen animo aderat, ut ſibi turpe eſſe crederet, ſi contra, ac ipſe reſponderat, ſecundum Amicum, cui erat Advocatus, judicaretur: *Si tibi neceſſe putas etiam adverſariis Amicorum tuorum de jure conſulentibus reſpondere*; hęc eſt prima pars, deinde & ſecunda conſequitur: *&*

ſi tur-

ſi turpe exiſtimas, te Advocato (cum tu eidem Amici adverſario de jure reſponderis) *illum ipſum, quē contra veneris, cauſa cadere;* non judicari ſecundùm illum, contra quem veneris Advocatus amici tui. Nam hęc vox Advocatus multa, & diverſa ſignificat; in hac eadem Cauſa Sulpicius amici Adverſario fuerat Advocatus, quippe de jure ab eo conſultus; & aderat Advocatus Amico, & præſentiā ſuam commodabat, contra eundem, cui de jure reſponderat. Neque id intelligendum eſt, quaſi alio tempore, alio judicio, contra ipſum venerit. an enim illud non ſolùm Juriſconſultis, ſed Patronis etiam Cauſarum inuſitatum, ne dum Advocatis? ipſe Cicero, poſt defenſum contra Sulpicii accuſationem Murenam, eundem Sulpicium aliquo crimine accuſatum, ſtatim defendere potuiſſet; multique Nobiles, qui contra Sulpicium venerant in cauſā Murenę, eidem illi tùm affuiſſent Advocati. Cur, quaſi aliquid ſingulare, neque valdè uſitatum profertur, putare Sulpicium ſibi eſſe turpe, eum, ſe de jure conſulto, cauſa cadere, contra quem venerit alio judicio? Hāc ipſa Oratione pro Murena, paulo infra, videtur *J*uriſperitus Tibicinis Latini more tradere litigatori utrique formulam, qua in Cauſa utantur; ſed loquitur Cicero in communi, ut vulgò dicitur, de profitentibus juris ſcientiā, non de particulari aliquo *J*uriſconſulto, qui utrique Parti reſpondere de jure non poterat.

Plura fortaſſe res ipſa deſiderat, non Sapientia tua; cui, ſi quibuſdam in rebus occurram, haud tamen inauditum quippiam afferre poſſum. Vale. XV. Kal. Sept. A. S. 1697.

EPI-

EPISTOLA QUARTA.

AD AMICUM N. N.

De Judice Quæſtionis.

UTinam tibi veniat in mentem, quid officii, quid amicitiæ jura poſtulent, cogitare; non enim jam integrum Menſem, procul ab Urbe, in tanto mærore animi, ac non ſatis firma valetudine corporis, literarum tuarum conſolatione caruiſſem. Scis, quanta te benevolentia, quantoq; amore complectar; præſentem commentandi, colloquendique tecum ſatietas me nunquàm tenet, abſens igniculum deſiderii tui vix ferre poſſum. Quamobrem, quòd poſt diuturnum ſilentium, aliquid tandem literarum ad me dederis, grätias habeo; quòd mihi præterea locum Ciceronis ex Oratione pro Sex. Roſcio explicandum aſſignaveris, multo magis. quælibet de te bene merendi placet occaſio.

Loci laudati verba ſunt hujuſmodi: *Te quoque magnopere, M. Fanni, quæſo, ut qualem te jam antea populo R. præbuiſti, cum huic idem Quęſtioni Judex pręeſſes, talem te & nobis, & populo R. hoc tempore impertias.* Mirum eſt, quàm inter ſe omnes diſſentiant Interpretes, explicaturi, qua ratione M. Fannius ei Quæſtioni Judex præfuerit, quam deinde Prætor exercebat. Frigius ex Hotomano (nulla enim ferè ſententia eſt, cujus ipſe ſit Auctor) putat, Fannium decennio ante fuiſſe Prætorem, & de Sicariis quæſiviſſe, ſicut nunc in Sex. Roſcium Parricidii reum quærebat, denuò Prętor creatus; quod omninò conſtat eſſe contra mentem Ciceronis, Dicitur pręfuiſ-

ſe

ſe huic Quęſtioni, ut Judex, non ut Prætor; quis autem ſeu Veterum, ſeu Recentiorum Prætorem appellavit Judicem? Pretor, ut optimè animadvertit Manutius, non judicat, ſed quærit; non fert ipſe ſententiam, Juriſdictionem tantùm habet, aut cogendi Conſilii, exercendique Judicii poteſtatem; ac proinde non jurabat in leges, ſicut jurare Judices oportebat, nemine excepto. Nam ex his, qui Judex quæſtionis dicebatur, Poteſtate ille quidem præditus quaſi Prætoria, quærendi jus habebat; æquè tamen, ac cæteri, jurare in legem cogebatur. Hinc de Quinctio accuſatore Junii in Cluentiana: *Multam petivit; qua lege? quòd in legem non juraſſet*. Error igitur Frigii manifeſtus excuſari nullo modo poteſt. quid Sylvius? de hac eadem Cauſa, eodemque Roſcii Judicio ſermonem eſſe arbitratur: *Intelligendum eſt*, inquit, *cum accuſator diceret; nam Pediano teſte, dies viginti dabantur ad accuſandum legitimi*. quaſi nimirùm illud à Fannio Cicero poſtulaverit, ut ſe talem Roſcii Patronis impertiret, qualem ſe antea præbuerat ejus Accuſatoribus. Sed neque advertit, viginti dies accuſatori, totidemque (ut probabile eſt) defenſori datos fuiſſe lege Cornelia in judicio tantùm Repetundarum, non autem, ſi quis V. G. accuſaretur inter Sicarios; neque meminit, eodem die cauſam Sex. Roſcii fuiſſe utrimque peroratam, ut manifeſtum eſt ex iis, quæ infra habentur: *peroravit aliquando* (Erutius accuſator) *aſſedit; ſurrexi ego; reſpirare viſus eſt, quòd non alius potiùs diceret; cœpi dicere*. ſtatim, ac aſſedit Erutius, cauſam Cicero dixit, unoque die abſolvit. Melius igitur hunc locum exponunt Sigonius lib. 2. de Judiciis, & Manutius in Commentariis: Fannium præfuiſſe antea Judicem quæſtionis, qui nunc Pretor erat;
non

non enim dixerim, unum ex Prætoribus quæſiviſſe inter Sicarios, ante Dictaturam L. Syllę, qui mutato genere Quæſitorum, hac maximè de cauſa, tùm illam ipſam, tùm alias ejuſmodi publicas Quęſtiones conſtituiſſe dictus eſt apud Pomponium, de Origine Juris. Addit Sigonius ibidem, Judicem quæſtionis neque Pretorem fuiſſe, neque omninò privatum, ſed tamen cum poteſtate; eum verò Magiſtratum captum fuiſſe poſt Ædilitatem, & ante Pręturam. Quòd ſi Judex quęſtionis erat Magiſtratus, quomodo condemnari potuit C. Junius, Judex quęſtionis in cauſa Oppianici, antequàm ſui muneris annus elaberetur? Oratione pro Cluentio: *quo tempore illum à quæſtione ad nullum aliud Reip. munus abduci licebat, eo tempore ad quæſtionem ipſe abreptus eſt*. Nemo certè, qui in Magiſtratu eſſet, in judicium vocabatur; quin ea ratione Clodius de vi poſtulatus à Milone lege Plautia, ne cauſam diceret, obtinuit, quia deſignatus fuerat Ædilis. Quis pręterea ſibi perſuadeat, neminem fuiſſe Judicem quęſtionis, niſi poſt geſtam Ædilitatem, cum tam multi, omiſſa Ædilitate, Pretores, & Conſules fierent? Non ignoro Ædilitium hominem appellari à Cicerone C. Junium, & antiquos lapides quoſdã proferri, in quibus Iudices quęſtionis nominantur ii, qui jam fuerant Ædiles; at ea conjectura non evincit, ita fieri ſemper debuiſse; iiſque monumentis non Magiſtratus tantùm, ſed & alia munia, quęcumque honoris aliquid pręſeferunt, ſępiſſimè commemorantur. Utcumque non videtur eſſe veriſimile, Ædilitatem neceſsariam fuiſse, ut quis Iudex Queſtionis fieret, cum, ea interverſa, & relicta, quilibet ſummos Magiſtratus conſequeretur. Nunc ad Manutium veniamus; qui, cum fateatur, Fanniũ fuiſſe

fuiſse Iudicem queſtionis ante bella civilia, hoc demùm anno Pretorem, hec ſubjicit: *Prætor non judicat, ſed quærit;* audio, nec repugno: *Judex quæſtionis non quærit, ſed judicat; neque audio Pedianum dicentem, Junium fuiſſe Quæſitorem in Oppianici cauſa, Prætore Verre, ex quo ſequeretur, duos Prætores fuiſſe in eadem cauſa, Verrem, & Junium.* duo ipſe temerè affirmat, & docet, dubio procul abſurda; tertium, quod ex verbis Aſconii conſequi putat, nullum eſt. An non omnes, qui Prætori in conſilio aderant, judicabant, & non quærebant? nihil ergo habebat Iudex quæſtionis, quod non & reliqui Iudices haberent, juxta Manutium. quid huic reponat Sigonius, qui Magiſtratum illum fuiſse tradit, & quidem Curulem, quippe poſt Ædilitatem gerendum? Improbat Pedianum dicentem, Iunium fuiſſe Quæſitorem in Cauſa Oppianici, Prætore Verre; cur non etiam Ciceronem improbet? cujus hæc ſunt verba in Oratione pro Cluentio: *atque in hanc flamam recentem C. Junium, qui illi Quæſtioni præfuerat, injectum eſſe memini,* niſi forte arbitratur, eum, qui præſit quæſtioni, non eſſe Quæſitorem. Ibidem paulo poſt: *Jubet lex ea, qua lege hæc Quæſtio conſtituta eſt, Judicem quæſtionis cum iis judicibus, qui ei obvenerint, quærere de Veneno;* & pro Sex. Roſcio Amerino: *vel illo ipſo Judice quærente* (de L. Caſſio, qui Judex quæſtionis fuerat in celebri Cauſa Veſtalium) *vel apud Caſſianos Judices*. an id quoque Manutius contendet, eum, qui quærat, non eſſe Quæſitorem? Dicendum eſt igitur, Judicem quæſtionis aliquandò quæſiviſſe, non ſemper. quærebat, ſi nullus eſſet Prætor, qui quæreret; itaque Junius quæſivit in Oppianicum, quòd Verres Prætor Urbanus non quæreret. de quo Cicero Verrinâ 3. *Atque etiam judicium in Prætura publicum exer-*

cuit

cuit: petita eſt multa apud iſtum Prætorem à Q. Opimio; adeoque ſi unum tantùm judicium exercuit Verres, & illud fuit in Opimium, hoc alterum in Oppianicum ipſe non exercuit, ſed Junius. Tunc porrò nō quærebat Judex quęſtionis, cum Prætor ipſe Quæſtioni præerat. ſic in cauſa Verris, cum M. Glabrio Prætor de repetundis Quæſitor eſſet, Q. Curtius Iudex quæſtionis, cujus ſit mentio Verrina 3. non quærebat, ſed ſolùm judicabat. & hunc quidem Iudicem quæſtionis delectum ſibi ab ipſo Prætore in partem curarum exiſtimo; illum verò, de quo ſupra, ſuffragiis Populi creatum. Neque hæc Manutius ipſe non vidit, qui loco laudato, Aſconium, quem reprobaverat, tueri deinde quodammodo videtur. Vale, meque certò ſcias, nihil non velle cauſa tua. IV. Kal. Sept. A. S. 1697.

EPISTOLA QUINTA.

AD NOB. N. N.

De Judicibus.

INtelligo, te non ſine aliquo ſtomachi, oculorumque faſtidio ea legiſſe, quæ de Patronorum numero ſcripſi nupèr ex Aſconio. an etiam Judicum multitudinem reprehendas? Venit enim mihi in mentem hujuſce Quæſtionis: quotnam in Cauſis publicis ſedere Judices conſueverint; nam quod attinet ad Privatas, alibi dictum eſt. Plurium longe ſatius videtur, bona, fortunas, ac vitam ſuam, quàm unius arbitrio committere; ſi vulgi temeritas abſit. cùm vitium arrogantiæ minùs à multitudine timetur, tùm clementię ſpes certior affulget.

Verum quodnam hoc tandem conſilium meum eſt? quid has nugas obtrudo Viro in graviſſimis diſciplinis, atque Arte recondita, ſubtilique occupato? neque fortaſſè tutò Romam venire liceat Philoſopho, Matheſim profitenti. Sciens tamen prudenſq; id feci; animum tuum maximarum rerum aſſidua meditatione pænè fractum, mitiori quadam lectione recreabo paulùlum; teq; inter Judicum ſubſellia verſantem, nemo eſſe Mathematicum ſuſpicabitur.

Poſt legem Judiciariam L. Cottæ, unus & quinquaginta ferè ſedebant in ſingulis Cauſis, quod ex multis locis colligitur; quandòque tamen aliquantò plures, ut ad Orationem pro Scauro notat Aſconius: *Sententias tulerunt Senatores duo, & viginti, Equites tres, & viginti, Tribuni Ærarii viginti quinque*, & in Piſoniana: *An ego expectem, dum de te quinque, & ſeptuaginta tabellæ diribeantur?* Sed ante legem Aureliam, cum ſolus Ordo Senatorius judicaret, multo pauciores fuiſſe, habetur ex Verrina 2. ubi, octo Judicibus commemoratis, qui poſt Kal. Januar. ire in conſilium non poterant, adiungit: *ita ſecundum Kal. Januar. & Prætore, & prope toto Conſilio commutato*; an enim, niſi admodum pauci ſediſſent, octo Judices, totum propè Conſilium, quamvis Oratorum more, dicerentur? Similiter in Cluentiana, (nam hunc præcipuè locum explicandum mihi ſumo) contra Oppianicum, *in conſilium erant ituri Judices triginta, & duo*; addit autem Manutius, *præter Stalenum*, facitq; tres, ac triginta. quod eum ſenſiſſe puto, vel quia Judicum numerus ſemper debebat eſſe impar; vel quia infra decem, & ſeptem ſententiæ neceſſariæ fuiſſe ad abſolutionem Oppianici dicuntur. Primum illud refellitur auctoritate tum Aſconii, qui in Cauſa M. Scauri de Repetundis, ſeptua-

ptuaginta Iudices numerat; tùm Cælii Epiſt. 7. lib. 8. ad Ciceronem, qui in M. Servilii judicio, ſcribit æquo numero fuiſſe ſententias. nam qua ratione æquo numero, ſi numerus Iudicum impar fuiſſet? Jam & ad alteram partem accedo: Poſtquam commemoravit Cicero duos, ac triginta Iudices in conſilium ituros, hoc modo proſequitur: *Sententiis decem, & ſex abſolutio confici poterat; HS X L. in ſingulos Judices diſtributa, eum numerum ſententiarum conficere debebant, ut ad cumulum ſpe majorum præmiorum, ipſius Staleni ſententia ſeptima decima accederet.* quippe ſumma pecuniæ depoſitæ erat HS. DCXL. Quæro; cum & Iudicum, & ſententiarum, quibus confici abſolutio poterat, mentio fiat; tertium illud de ſeptima decima Staleni ſententiâ, ad primumne refertur de Iudicum numero, an ad alterum de numero ſententiarum? Equidem arbitror ad ſententias abſolutionis referri, ut ſignificetur, quot ad ſummum ſententiis abſolui poſſit Oppianicus; non igitur ſeptima decima Staleni Sententia Iudices facit triginta tres. Cur, inquies, ſi duo, ac triginta tantummodo judicabant, Sententiis decem, & ſex, abſolutio Oppianici confici omninò non poterat? quia, ſi æquarentur ſententiæ, non habebatur Reus pro legitimè abſoluto. Cęlius Epiſtola ſupra citata, exitum Serviliani Judicii ſic exponit: *cum ęquo numero ſententiæ fuiſſent, Laterenſis* (Prætor Repetundarum) *leges ignorans pronuntiavit, quid ſinguli Ordines judicaſſent, & ad extremum, ut ſolent, Non redigam. Poſtquam diſceſſit, & pro abſoluto Servilius haberi cęptus, legiſque unum, & centeſimum caput legit, in quo ita erat: Quod eorum Judicum major pars judicarit, id jus ratumque eſto; in tabulas abſolutum non retulit, Ordinum judicia perſcripſit;* quod probabile eſt in aliis etiam legibus cautum fuiſſe,

non ſolùm in Iulia Repetundarum. At Dionyſius lib. 7. narrat, legem Romę extitiſſe, quę juberet, ęqualitate ſuffragiorum Reum abſolutum haberi debere. audio, tria tamen obſervanda ſunt. 1. Hiſtoricum loqui de Populi judiciis, non de iis Quęſtionibus, quę per Prętores, aut Iudices quęſtionis exercebantur; de ſuffragiorum videlicèt, non de ſententiarum ęqualitate. 2. ſignificari æqualitatẽ Suffragiorum in hac, vel illa Tribu, aut Centuria; V. G. ſi ex ſexcentis, qui in Tribu Claudia ſuffragium ferrent, trecenti abſolverent, totidem damnarent; Tribus abſolviſſe dicebatur; non autem de ęqualitate ſuffragiorum, hoc eſt Tribuum, & Centuriarum, quæ cùm eſſent impari numero, Tribus trigintaquinque, Centurię centum, & nonaginta tres, illarum ſuffragia ęquo numero eſſe non poterant. 3. Legem illam veterem, ſicut & alias multas, potuiſſe abrogari poſterioribus.

Deinde videamus, quot deligerentur Iudices ſingulis annis, & in ſuas Decurias ex lege Iudiciaria diſtribuerentur; ex quibus unuſquiſque Prętor ſuum ſortiretur Conſilium. Veriſimile eſt, trecentos ſatis fuiſse, donec vel ſoli Equites lege Sempronia, vel ſoli Senatores lege Cornelia judicarunt; Plautius quingentos viginti quinque conſtituerat, cum quinos denos ex ſingulis Tribubus, quę xxxv. erant, ſuffragio creari juberet; cujus lex abrogata eſt per L. Syllam, qui trecentos inductos à Graccho reſtituit. Aurelia lex L. Cottę, quę tribus Ordinibus judicia communicavit, novis additis Decuriis, auxit procul dubio etiam Iudicum numerum; tùm quia plures in ſingulis criminibus judicandis mittebantur in conſilium, & ferè unus, & quinquaginta, cum, lege Cornelia manente, triginta duo ſederint in Oppianicum;

tùm

tùm quia legibus, queſtionibus, ſceleribus multiplicatis, trecenti illi Iudices non videntur ſufficere potuiſſe. Quidam nullam factam huiuſmodi mutationem exiſtimant, & legem Aureliam penitùs cum lege Syllę conveniſſe de numero, ex eo deducunt, quòd Epiſt. 7. lib. 8. mentio fiat de Iudicibus trecentis, cum adhuc lex Aurelia ſervaretur. Laudatę Epiſtolę verba ſunt hęc: *cum de ea re ad Senatum referretur à Conſulibus, qui eorum in trecentis Iudicibus eſſent, ſex abducere liceret; ſi quid de ea re ad populum, plebemve lato opus eſſet, ut Ser. Sulpicius, M. Marcellus Coſſ.* & cęt. Scilicet Sulpicio, & Marcello Coſs. trecenti fuiſſe dicuntur, qui res judicarent, anno poſt Pompeii tertium Conſulatum. Occiſo enim à Milone, cum Lanuvium proficiſceretur, P. Clodio, ut fusè refert Aſconius, Pompejus tertiùm Conſul creatus ſine Collega, anno V. C. 698. duas maximè tulit leges ex S. C. alteram de Ambitu, pœna graviori addita; alteram de cęde in Appia via facta, & Curiæ incendio nominatim. utraque autem lex novam Iudicii formam conſtituebat, ut auditis per triduum teſtibus, uno deinde, eodemquè die Accuſator, & Reus perorarent. Præterea, ut Quęſitor ex Conſularibus Populi ſuffragiis crearetur, latum eſt; iique delecti Iudices à Pompejo, quibus nunquam antea neque clariores viros, neque ſanctiores propoſitos eſſe conſtabat. Quis ignorat, lege ſua Pompejum retinuiſſe tres Ordines per legem Aureliam Iudiciis pręeſſe juſſos, & alia quędam ad formam Iudiciorum pertinentia; at certè numerum Iudicum immutaſſe? Itaquè ille numerus, quem habet Cęlius, legis Pompeję eſt, non Aurelię; & quidem non relatus fideliter, ut ex Velleio patet, lib. 2. & ex Plutarcho in Pompejo. Velleius Avo ſuo hoc reddit teſtimonium; *quippe C.*

Vellejus honoratiſſimo inter illos trecentos ſexaginta Judices loco a Cn. Pompejo lectus eſt . Plutarchus : *in Scipione Socero, qui tùm damnari videbatur, crimen non effugit ; num trecentis , & ſexaginta Judicibus domi convocatis , auxilium illi attulit*. totidem Pompejus ipſe delegerat, non trecentos tantùm .

Duo ſunt ad hanc eandem rem quodammodo pertinentia, teſtimonia Ciceronis , quę me valdè perturbant; alterum ex Oratione pro Flacco, alterum ex ea pro Plancio deſumptum . In Flacci defenſione fingit Orator , ſe ignorare, quem potius imploret, Deoſne immortales, an Senatum, deinde adjungit: *An Equites R.? judicabitis principes ejus Ordinis quinquaginta, quid cum omnibus ſenſeritis*; quid de Rep. ſenſeritis me Conſule contra Catilinam, & reliquos Conjuratos. Sed hoc non quęro, aliud eſt, quod me dubium facit . an enim cum quinquaginta Equitibus R. totidem Senatores, totidemque Tribuni Ærarii, ex lege Aurelia Iudices ſedebant contra Flaccum? at Iudicum tantum numerum nuſquàm reperio. An Cauſas Repetundarum ſoli Equites judicabant, veteri lege, non autē unà cū reliquis Ordinibus? ſic Epiſt. 11. lib. 2. ad Q. Fr. *C. noſter Lamia paulo ferociùs, cum Domitius dixiſſet; veſtra culpa hæc acciderunt, Equites R. diſſolutè enim judicatis; nos judicamus, vos laudatis, inquit*, quaſi ad Senatores nihil judicia de Repetundis ſpectarent. at non modò Aſconius tradit in Scauri judicio Repetundarum, non minùs Senatores, ac Tribunos Ærarios ſententiam tuliſſe, quàm Equites; verùm hac eadem Oratione habetur L. Lucullus, Vir Conſularis inter Iudices L. Flacci. An ſingulas Iudicum Decurias conſtitutas fuiſſe dicamus ex quinquaginta, lege Aurelia, ut ſit ſenſus: Vos judicabitis, qui

ex numero quinquagenario veſtræ Decuriæ ſorte ad judicandum ducti eſtis? at neque talem Ciceronis ſententiam eſſe conſtat, & multarum Cauſarum ratione habita, plures, quàm centum, & quinquaginta, delectos fuiſſe in ſingulos annos Judices neceſſe eſt, maximè poſt legem Aureliam. Fateor, me nihil certi habere, quod affirmem. Oratione quidem pro Plancio commemoratur quædam Lex de Ambitu, quæ tamen perlata non eſt, qua judicium illud ſoli Ordini Equeſtri demandabatur. cum nihil occurrat, quod contra reponam, locum ipſum explicabo accuratiùs. Ut enim Liciniæ legis de Sodalitiis acerbitatem amplificet, per quam Accuſator Tribus edebat, ex quibus Prætor Judices ſortiretur in Reum; exponit, quàm ſit acerbum Judicium illud, quod à Judicibus editis ab Accuſatore fiat. ſic autem arguit à Comparatione: *An verò nuper clariſſimi Cives nomen editi Judicis non tulerunt, cum ex CXXV. Judicibus, principibus Equeſtris Ordinis, quinque & ſeptuaginta Reus rejiceret, quinquaginta referret; nos neque ex delectis Judicibus, ſed ex omni populo; neque editos ad rejiciendum, ſed ab Accuſatore conſtitutos Judices ita feremus, ut neminem rejiciamus?* Actum fuerat in Senatu paulo ante, ut Ambitus judicia hoc modo fierent: Ederet Accuſator ex Ordine tantùm Equeſtri Judices centum viginti quinque; Reus ex iis rejiceret ſeptuaginta quinque; quinquaginta reliqui judicarent. ſed hujuſmodi Judicii formam clariſſimi homines repudiaverunt. Nam Judices illos centum viginti quinque, edendos fuiſſe ab Accuſatore, non à Prętore ipſo, ut vulgò docent Commentatores, perſpicuum eſt; alioquin deterrima fuiſſet Accuſatoris condicio, qui neque recuſare poſſet datos à Prætore Judices, neque ex illis quemquam rejicere; cum tã

multos rejiciendi facultatem Reus haberet. Quod etiam ex iis, quæ ſequuntur, ſi rectè attendamus verborum vim, ac ſententiæ, apertè colligitur: *nos neque ex delectis Judicibus, ſed ex omni populo; neque editos ad rejiciendum, ſed ab Accuſatore conſtitutos Judices ita feremus, ut neminem rejiciamus?* Senſus eſt: Judices feremus non editos ex delectis Judicibus, ſed ex omni populo; non editos ad rejiciendum? Tria notanda veniunt; delectus Judicum, editio, & rejectio. neceſſe erat prius deligere Judices, quàm edere: *ex delectis Judicibus editos*; priùs edere quàm rejicere: *editos ad rejiciendum*. non igitur, ut putat Manutius poſt factam rejectionem à Reo, ex quinquaginta reliquis edebat Judices Accuſator; ſed jam illi centum viginti quinque Judices editi fuerant ab Accuſatore. Hinc Lex ipſa, quam ex S. C. quidã ferre cogitaverant nuper, Judices deligebat, cum ex Equitibus R. tantùm eos edendos eſſe præſcriberet, quos oratoriè Cicero principes Equeſtris Ordinis vocat; ex Equitibus R. Judicibus à lege datis, centũ viginti quinque Accuſator edebat; Reus ultimò ex editis quinque, & ſeptuaginta rejiciebat; proindeq; illi centum vigintiquinque Judices dicuntur editi ex delectis Judicibus, editi ad rejiciendum. Contra verò multo acerbiorem legem tulerat Craſſus; primùm, ut Accuſator edere poſſet Judices, non ex delecta aliqua parte populi, V. G. ex Equitibus R. ſed prorsùs ex omni populo, etiam ex plebe; deinde, ne ex editis ab Accuſatore, Reo liceret quemquam rejicere. Legem illam ſuperiorem, ait Cicero, adeò lenem non tulimus, hanc tanto iniquiorem feremus? *nos neq; ex delectis Judicibus, ſed ex omni populo; neque editos ad rejiciendum, ſed ab Accuſatore conſtitutos Judices ita feremus, ut neminem rejiciamus?*

Præ-

Præterea, cum ſuperioris legis commoda cum alterius incommodis conferantur, ex delectis Judicibus, ex omni populo; editos ad rejiciendum, conſtitutos ſine rejectione: ſi Prætor, non Accuſator edidiſſet Judices illos centum vigintiquinque, dixiſſet procul dubio Cicero: *neque editos à Prætore ad rejiciendum, ſed ab Accuſatore conſtitutos*, & cæt. quòd enim non ſolùm rejectionem non tolleret, verùm jüberet etiam edi à Prætore Judices, quanto lenior lex illa fuiſſet, quæ tamen fuerat repudiata? Hactenùs argumentum à Comparatione: at, ne videretur Orator improbare, quod lege Licinia ſancitũ erat, ſtatim ſubjicit: *neque ego nunc legis iniquitatem queror, ſed factum tuum à ſententia legis doceo diſcrepare*. non dico, Liciniam legem de Sodalitiis iniquam eſſe, dico Accuſatorem contra eandem legem feciſſe: *Et illud acerbum judicium (ſi quemadmodum Senatus cenſuit, Populuſque juſſit, ita feciſſes, ut in hunc & Suã, & ab hoc obſervatas ederes) non modò non quererer; ſed hunc, Judicibus editis, qui teſtes iidem eſſe poſſent, abſolutum putarem*. Illa admiſſa Interpunctione, quæ mihi neceſſaria viſa eſt; tùm quod ſupra habetur, egregiè explicatur, tùm conſtat, hunc locum perperàm à Manutio fuiſſe notatum; quæ tamen hic obiter dicta ſint.

Nunc denique ad priora ſtudia redire licet; te jam nemo tenet. Vale. VI. Kal. Janu. A. S. 1698.

EPISTOLA SEXTA.

AD NOB. N. N.

De Patronis, & Accuſatoribus.

IDibus Novemb. pòſt abſolutam ab Academicis diſputationem, quinto decimo quoq; die haberi ſolitam, de ratione agendarum litium, deque Patronis Cauſarum incidit mentio. Cum alii alia quererentur incommoda, tu maximè dolebas, Judicia quædam per fraudem, atque calumniam ita protrahi, atque implicari, ut iis peragendis litigatorum ætas, pertractandis duo, triumve Patronorum Eloquentia vix ſuffectura videatur. Cur enim, ajebas, Veritas, quæ nuda, & aperta eſt, non ſtatim patet? cur quãlibet Cauſam explicare dicendo nequeat unus Orator? En Romanæ Reip. pro diverſa condicione temporũ hac in re diverſa inſtituta. erit autem Sapientię tuę judicare, quid optimum factu ſit, ſi quod homines non ſtultiſſimi fecere, manifeſtè cognoveris.

Quædam præmittantur de Calumniatorum pęnâ, ex Oratione pro Sex. Roſcio; ubi Cicero Erutium, alioſque ejuſdem generis accuſatores, qui hominis etiam innocentis nomen deferre ſolebant, ſic additis minis, increpat: *Si ego hos bene novi, literam illam, cui vos uſque eo inimici eſtis, ut etiam alias omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, ut* & cæt. Commentator noſter ſignificari vult literam C. notam condemnationis, ſicut A. erat abſolutionis, N. L. Ampliationis; quaſi id tantùm Cicero minitetur Erutio accuſatori; periculum eſſe, ne de calumnia condemnetur. Hæc ſententia multis argumentis op-

pugna-

pugnatur. 1. Quo alio in loco idem Orator, vel quis inter Latinos, ad Caput alicujus literam C. affigere, dixit, pro condemnare? 2. Similitudo claudicaret, ſumpta ex Canibus, quibus temere cuilibet latrantibus crura ſuffringebantur; neque damnatio, ſi generice accipiatur, quicquam habet ſimile cruribus fractis, quemadmodum habent ſtigmata fronti inuſta. 3. Sententia ipſa non videretur eſſe abſoluta; nō enim condemnationem modò minari Erutio debebat, ſed etiam genus pœnę, qua erat afficiendus, notare. Poſtremò attendatur Iudiciorum conſuetudo apud Romanos. nam, ſi quis alterum accuſaret, eum, priuſquàm audiretur, jurare oportebat, ſe calumnię cauſa ad accuſandum non veniſse; iſque tum dicebatur *jurare calumniam*. Cęlius Ciceroni Epiſt. 7. lib. 8. *De divinatione Appius, cum calumniam juraſſet, contendere auſus non eſt, Pilioque ceſſit;* & Aſconius in Cornelianam de Q. Metello Nepote; *Huc ergo illud pertinet, cum juraſſe dixit Cicero, ſemel privatum, & iterū legatum, ſcilicet cum in Curionem calumniam juravit*. Accuſator itaque, ſi neq; jure neq; in ſuſpicione latraſſet, ſi neq; perſpicuā neq; probabilia objeciſſet; quippe qui contra juramentum feciſse arguebatur, ſtatim à Judicibus iis pęnis affici poterat, quæ lege in Calumniatores ſancitæ erant. hæ autem pęnæ quæ fuerint, hic locus oſtendit, quo quidem propria, & peculiaris Calumniæ pœna deſignatur, Erutio, ejuſque ſimilibus adeò metuenda. Quòd ſi ſola damnatio ſignificaretur, non video, cur literam illam C. condemnationis notam, reliqui omnes Rei non æquè, ac ipſi Calumniatores oderint; cum tamen hoc odium Cicero in illam literam, exprobret quaſi peculiare, perfidis tantùm Accuſatoribus. Hinc Turnebus, & alii, quos libenter ſequor, literam C. inuſtam fronti Calumniatorum

torum exponunt, ignominiæ cauſa. Aſconius ad Orationem pro Scauro: *Cato Prætor, cum vellet de Accuſatoribus in conſilium mittere*. abſoluto Scauri judicio, uqærebat ſtatim Cato, an eſſent accuſatores illius pœnaafficiendi, nec ne, quippe qui falsò calumniam juraverant: non autem expectavit aut accuſationem eorum, aut damnationem. Hinc paulo poſt: *poſtero die in conſilium de calumnia accuſatorum miſit*; an viderentur per calumniam accuſationem inſtituiſſe, dignique pœna calumniatorum. idem porrò factum fuiſſet non dubito in reliquis etiam Judiciis, ubi multis partibus plures ſententiæ abſolverent reum, quã damnarent.

Cætera nobis Divinatio in Verrem ſuppeditat; poſt exploſum enim Cæcilium, quem ſatis ingenii, ſatis virium habere negabat ad accuſationem Verris peragendam, hæc ſubjicit Orator; *At venit paratus cum Subſcriptoribus exercitatis*; quaſi Cæcilius ſuam ipſe inſcitiam non diſſimularet, ſupponeret autem operæ ſuæ vicariam Eloquentiam Subſcriptorum, eorum ſcilicet, qui ſecum accuſaturi erant C. Verrem. Cum de numero Accuſatorum, & Patronorum quærendum eſſe videatur: *Accuſatores ferè quatuor erant*, inquit Manutius, *de Patronorum numero non conſtat*; mihi rem univerſam diligenter examinare in animo eſt. Primis Reip. temporibus unus tantummodo Defenſor dabatur Reo, ex quo colligere poſſumus, unum etiam fuiſſe, qui accuſaret; illud autem patet ex hiſce verbis, quæ ſunt in Cluentiana: *qui totam hanc Cauſam vetere inſtituto ſolus peroravi*. Quamvis enim hoc Ciceronem dixiſſe putet Manutius, quia perorandi locus ei dari ſolebat in Cauſis, quod ipſe ſcibit in Bruto; quis tamen non videt, Oratorem de ſe ea verba protuliſſe loco citato, quòd ſolus eſſe Cluen-

tii

tii Defenſor, non quòd extremo loco peroraret? an cum defendit Cornelium Balbum, quia poſt Pompejum, & Craſſum dicebat, idcircò ſolus peroraſſe totam Cauſam putaretur? Miror equidem, hominem latini ſermonis plus, quàm mediocriter peritum in interpretationem adeò abſurdam lapſum fuiſſe; ſed interea pro certo habendum eſt, vetere inſtituto, unum Patronum cuilibet Reo contra unum Accuſatorem aſſuiſſe. Hic deinde mos, ſicut & alia multa, cum obſoleviſſet, plures ſimul cœperunt Reum eundem & accuſare, & defendere, de quorum numero nulla erat præſcripta certa lex. Unus Cicero Cluentii cauſam dicit, unus Erutius Sex. Roſcium accuſat; nam T. Magnus, qui in iiſdem ſedebat ſubſelliis, mutus accuſator appellatur. L. Murenam idem Cicero defendit cum Hortenſio, Laterenſis cum Subſcriptore uno L. Caſſio, Cn. Plancii nomen de Ambitu detulit, ad ſummum, quatuor ferè utrimque dicebant. & hic numerus Accuſatorum colligitur, tùm ex Divinatione in Verrem, tùm etiam ex Orationibus pro Murena, & pro Cælio; de Patronis autem, ex Aſconio in Orationem pro Scauro: *Defenderunt Scaurum ſex Patroni, cum ad id tempus raro quiſquam pluribus, quàm quatuor uteretur; ac poſt bella Civilia ante legem Juliam, ad duodenos Patronos eſt perventum.* Quæ porrò lex Julia quid præſtiterit, habemus ex Tacito lib. 3. nam in vindicanda Germanici morte, qua quidem Cauſa nulla in Rep. gravior eſſe poterat, quatuor Accuſatores, tres Patroni fuiſſe memorantur. Verùm, ut omnes intelligant, quanta cum oſcitantia ſuas in Ciceronis Orationes Notas Frigius confecerit, illius verba reſcribam ad hunc locum: *Hi quatuor fuiſſe videntur* (loquitur porrò de Subſcriptoribus) *ut colligitur ex verbis paulo inferiùs poſitis, &*

ex

ex Aſconio in Orat. pro Scauro; at poſt bella civilia ante legem Juliam, ad duodenos Patronos eſt perventum, dicebantque Subſcriptores ſecundo, tertio, & quarto loco. 1. Nemo fuiſſe quatuor Subſcriptores dixit unquàm. 2. Ex verbis Ciceronis infra poſitis colligimus tres fuiſſe, præter Accuſatorem Cæcilium, non quatuor. 3. Aſconius loquitur de Patronis, non de Subſcriptoribus. 4. Quid citat Aſconii verba de Patronis, cum ipſe de Subſcriptoribus verba faciat? 5. Cur ex Budæo ſecundum, tertium, & quartum locum aſſignat Subſcriptoribus, quos ſupra quatuor facit? omnia ſcilicet ex aliorum Commentariis transfert in Notas, neque verò ipſe intelligit, quicquid exſcribit.

Cuſtodis quoque meminit ibidem Cicero; quippe Cæcilius ab accuſatione excluſus: *Cuſtodem, inquit, Tullio me apponite*. Cuſtodes dicebantur Subſcriptores, Aſconio teſte, quòd non tantùm Accuſatorem juvarent, ſed etiam obſervarent, ne corruptus à Reo pecunia, vel gratia, prævaricaretur; ſic ergo Pedianus: *Subſcriptorem non dixit, ſed Cuſtodem, ut, quia acerbè reſponſurus erat, laceſſitus convicium facere videretur; nam Subſcriptores non ſolùm juvandi Accuſatoris cauſa adhiberi ſolent, ſed etiam, ut non facilè corrumpatur*. Quid Frigius ad hæc emendator Aſconii? vix poſſum riſum tenere. vult non Subſcriptorem intelligi, ſed cuſtodem illum, qui à Reo ex lege dabatur Accuſatori, ad obſervandam accuſationem ejus. an dici quippiam poteſt magis ineptè? Si Cuſtos ille à Reo dabatur Accuſatori, cur, ut ſe apponerent, à Judicibus Cæcilius petebat, non autem à C. Verre? Deinde Cuſtodem hujuſmodi, qui aſſignaretur Accuſatori, fuiſſe ex eorum numero, qui Reo faverent, nemo non videt. tùm verò, quomodo hoc ſibi munus Cæcilius depoſceret, cum ſe palàm inimiciſſimum

mum Verri profiteretur? Præterea, ſi ſana mente utitur, advertat, quid ipſe Cicero de iſto Cuſtode reſpondeat: *Nunquam eſſe hos tales viros commiſſuros, ut ad Cauſam tantam, à me ſuſceptam, mihi creditam, quiſquam Subſcriptor, me invito, aſpirare poſſit.* Invitò Accuſatori dabatur ille Cuſtos, de quo Plutarchus in Catone Uticenſi; ſibi invito, ut addatur Cuſtos, hoc eſt Subſcriptor quiſquam, negat Cicero fieri poſse. Cæterùm, ne fruſtra cum homine imperito contendiſse videar in re luce meridiana clariore, colligat Lector, potuiſse Judices, ne forte Accuſator prævaricaretur, (ut monet Aſconius) illi etiam invito Subſcriptorem aliquem apponere, quem maximè fidelem arbitrarentur. hinc adjungit: *fides mea Cuſtodem repudiat*; ea nimirùm fide cauſam Siculorum ſuſcepi, ut nemo de Prævaricatione dubitare poſſit, ne dum Cęcilium omnium minimè idoneum, in partem accuſationis accipiam. non enim ſemper dabatur talis Subſcriptor, ſed cum dubia erat fides Accuſatoris.

Tuum modò judicium eſt, quonam tempore putes maximam ſibi laudem Romanos, in conſtituendis Judiciis peperiſse. Vale. Prid. kal. Dec. A. S. 1698.

EPISTOLA SEPTIMA.

AD NOB. N. N.

De Quæſtionibus Publicis.

MEminiſtine, ut acer nudius tertius pro Ariſtotele, ut vehemens, ut pænè iratus? egiſsem cauſam multo mitiùs, ſi tuas antea literas legiſsem, quibus meam de privato Judicio diſputationem tùm demum non ingratam penitùs tibi fore ſignificas, ſi quis

ſi quid præterea de publicis Queſtionibus attigero. Fateor, me iſta legentem, cum aliquantò acerbiora timuiſſem, cum recentiore illa tua Philoſophorum Scholâ tantùm non rediiſſe in gratiam. ſed & eandem amare cępero, ubi tu noſtram deſinas Antiquitatem odiſſe. Interea, ne fruſtrà quippiam à me optaſſe videaris, hęc ſtatim habeto; plura adhuc, quin potius omnia impetraturus, dum me res hujuſmodi conſulere perſeveraveris.

Oratione pro A. Cluentio, fusè oſtendit Cicero, damnationes quorumdam Judicum, qui ſederant in Oppianicum, non eſſe Præjudicia in Cluentium, accuſatorem Opppianici, quique, data pecunia eum condemnaſſe dicebatur; cum aliis criminibus, quàm corrupti Judicii, damnati fuerint. & ſupra quidem de Bulbo, Popillio, & Gutta; nunc de Staleno ita diſputat: *Non dico hoc tempore, Judices, id quod neſcio, an dici oporteat, illum majeſtatis eſſe damnatum.* quę verba Commentator ad hunc modum exponit: *accuſatus eſt Stalenus corrupti Judicii nomine, ſed ideò damnatus, quia Maieſtatem læſiſſet*; ubi dupliciter peccat; tùm quòd affirmet ea, quæ à Cicerone negantur; tùm quòd putet, quempiam alio crimine damnari potuiſſe, quàm quo accuſaretur. Primùm, dicit corrupti Judicii nomine accuſatum fuiſſe Stalenum. quid Cicero? hac eadem Oratione: *imo verò ante hoc tempus* (quo dicebat cauſam Cluentius) *omninò iſta ipſa res ſuo nomine in judicium nunquàm eſt vocata*; hoc eſt, nemo illorum Judicum accuſatus eſt corrupti Judicii nomine, ſed Reis, vel de Majeſtate, vel de Ambitu, vel de Peculatu, vel quòd in legem non juraverant, hoc etiam illis crimen obiectum eſt. itaque Cicero apertè negat, quod affirmat Manutius. Deinde, ſinguli Prætores ſuas habebant Quæſtiones,

nes, eorumque Juriſdictio una illa Lege continebatur, ſecundùm quam Judicia exercebant; ut is, qui de Repetundis quærebat, nullo modo damnare poſſet Reum Majeſtatis. De Milone jam damnato lege Pompeja, Pedianus: *Milo poſtera die factus reus Ambitus apud Manlium Torquatum abſens damnatus eſt. poſt paucos dies, apud Favonium Quæſitorem, de Sodalitiis; deinde apud L. Fabium Quæſitorem iterùm abſens damnatus eſt de Vi*. Cicero Epiſt. 4. lib. 3. ad Q. FR. hæc habet de A. Gabinio majeſtatis abſoluto: *Eſt omninò tam gravi fama hoc judicium, ut videatur reliquis Judiciis periturus, & maximè de pecuniis repetundis.* Cur enim Milo,& Gabinius non apud eundem Quæſitorem poſtulati ſunt? quia videlicèt unus Prætor, ſeu Quæſitor de uno tantùm crimine quærebat; neque Reus aliquis damnari poterat Majeſtatis ab eo Conſilio, cui Repetundarum judicium delatum eſſet. Cæterùm plurimum oberat Reo V. G. Majeſtatis, ſi contra alias etiam leges feciſſet, ideòque Accuſatores nihil omittebant, quod exprobrare poſſent, omnia turpiter, nefarièque facta enumerantes ad augendam invidiam; quod luculenter facit Cicero contra Verrem. Quin imò eveniebat aliquando, ut alias quoque cauſas Accuſator ſubſcriberet, eaſque Prætor acciperet extra Ordinem, atque adeò extra ordinem quoque judicaret. Quàm multa ſubſcripta ſunt in Cælium accuſatum de Vi lege Lutatia? quàm multa in C. Rabirium Perduellionis reum, quamvis apud Populum Cauſam diceret? ne illud quidem omiſerant, Rabirium nec ſuæ, nec alienæ pudicitiæ peperciſſe, quod erat, ut innuit Orator: *in eadem multæ irrogatione perſcriptum*. Tùm Reum, ſi damnaretur, omnibus iis pœnis affici neceſſe erat, quæ ſingulis ſubſcriptis ab Accuſatore cri-

minibus ex unaquaque lege debebantur; & rationem Cicero aſſignat 2. de Invent: *Quoniam & id Cauſæ Subſcriptum, & ex eare nomen extra ordinem ſit acceptum*. Sed jam locus Cluentianæ explicandus eſt. Stalenus accuſatus fuerat Majeſtatis; nam: *teſtimoniis palàm factum eſt, maximè ejus opera, cum Quæſtor eſſet, in exercitu ſedicionem eſſe conflatam*. damnatus eſt etiam eo crimine; cum tamen eidem obiecta fuiſſet pecunia accepta contra leges in duobus Judiciis, Safiniano, & Albiano; niſi potius dicamus illud idem ab Accuſatore ſubſcriptum fuiſse. Orator ingeniosè: *non dico hoc tempore id, quod neſcio, an dici oporteat, illum Majeſtatis eſſe damnatum*; per Figuram Præteritionem aſſirmat, eum majeſtatis fuiſse damnatum. dubitat inſuper, an dici id opoteat, ne Cluentii cauſæ noceat. quam ob cauſam? quia inſimulatus fuerat Stalenus, accepiſse pecuniam ab Oppianico Reo, non ab accuſatore Oppianici Cluentio; cujus ea erat optima defenſio, ſi pateret, Oppianici pecuniam damnationis cauſam extitiſse Staleno. Dubitat jure Cicero, an debeat negare, quod objiciebant falsò adverſarii, & concludit: *poteſt eſſe dubium, quin illa damnatio Staleni non modo non ſit contra Cluentium, ſed maximè noſtram cauſam, defenſionemque confirmet*? non eſt contra Cluentium, quia Stalenus damnatus eſt Majeſtatis; confirmat Cauſam noſtram, quia pecunia, quam accepiſse Stalenus arguebatur, data fuerat ab Oppianico, non à Cluentio. Obiter notandum, hoc uno Staleni exemplo, ne alia etiam perſequar, apertè refelli Ant. Auguſtinum, qui ſcribit lege Cornelia majeſtatis neminem alium accuſatum fuiſse, præter C. Cornelium, cujus ſit mentio apud Aſconium.

Locus alter eſt in Cluentiana, qui commentatores non

non parùm torquet; nam, cum enumerentur Quæſtiones publicæ: *quid*, ait Cicero, *M. Plætorii, & C. Flaminii inter Sicarios?* Miratur Manutius, unam Quæſtionem duorum Prætorum eſſe: *ſuſpicari tamen licet*, inquit, *ita multos accuſatos eſſe inter Sicarios, ut unus non ſufficeret;* quod an verum ſit, accuratè pro inſtituti noſtri ratione quærendum eſt. Veterum Romanorum ea fuit animi affectio, ut, cum omnes ad virtutem ſponte ſua contenderent, nullis opus eſse legibus putarent, quæ ſcelera nominatim prohiberent; aut certè, ſi quippiam nova lege cavendum aliquando videbatur, nulla mentio pœnarum, addebantque nihil ultra, quàm improbè factum, ſi quis adverſùs ea feciſſet: *id (qui tum pudor hominum erat) viſum credo vinculum ſatis validum legis; nunc vix ſervo ita minetur quiſquam*. Livius lib. 10. Simul verò, ac ſcelus aliquod deprehenſum fuerat, quod eſſet animadvertendum; ex Populi plerumque rogatione, Senatus Quæſtionem inſtituebat, & alicui ex magiſtratibus demandabat, certo crimine, ac tempore definitam. quin imo ne rogabatur quidem Populus in re per ſe mala, quæque jam videretur eſſe contra leges, quoniam apud Patres Judicia erant antiquitùs. idque manifeſtum eſt ex univerſa hiſtoria Livii. Lib. 31. de pecunia Locris ex Proſerpinæ theſauris clàm ſublata: *C. Aurelio Conſuli negotium datum, ut ad Prætorem in Bruttios ſcriberet, Senatui placere, quæſtionem de expilatis theſauris eodem exemplo haberi, quo M. Pomonius Prætor triennio ante habuiſſet*. Lib. 39. de Bacchanalibus: *Quæſtionem deinde de Bacchanalibus, ſacriſque nocturnis extra ordinem Conſulibus mandat*. Lib. 40. de Veneficiis: *& veneficii quæſtio ex S. C. quod in Urbe, propiuſve Urbem decem millibus paſſuum eſſet commiſſum, C. Claudio Prætori decreta*. Lib. 42. de M. Popillio reo Majeſtatis: *Ex*

eo Plebiſcito C. Licinius Prætor conſuluit Senatum, quem quærere ex Rogatione vellet; Patres ipſum eum quærere juſſerunt. Quæ cum ita ſe haberent, atque hæc extraordinaria ſemper, & peculiaris conſtitutio Queſtionum, ad comprimendam improborum hominum audaciam, parùm valere videretur; anno demùm V. C. 601. Marcio, & Manilio Coſſ. ut refert Cicero in Bruto, prima Quæſtio Repetundarum perpetua facta eſt, lege lata à L. Piſone Tribuno pl. aliæque deinde ab aliis, uſque ad Syllam Dictatorem, qui reliquas ferè omnes dicitur conſtituiſſe. Tria verò hìc obſervanda ſunt, quæ ſequuntur: Primò, ante conſtitutas Quæſtiones publicas, non modò de Perduellionis crimine Populus judicabat Centuriatis Comitiis, tùm ex inſtitutione Regis Hoſtilii, tùm ex lege xii. Tabularum (ſic enim vulgò appellantur veteres leges, quæ apud Ciceronem extant libro de Leg.) verùm etiam, ſi quid à Viris principibus peccatum eſſet, in Magiſtratibus gerendis, poterant Tribuni pl. eos in judicium Populi vocare, & apud Tribus in Foro de multę irrogatione certare; quo modo damnatus eſt L. Scipio Aſiaticus de Peculatu, & alii multi. Secundò, Quæſtionibus publicis conſtitutis, ante Syllam quidem ut plurimùm ii præerant, qui Judices Quæſtionis dicebantur; poſt illius autem Dictaturam, ipſi Prætores, quorum unuſquiſque ſuam quaſi Urbanam Provinciam Sortiebatur. ſic Fannius Prætor anno poſt Dictatorem Syllam lege inter Sicarios quærebat, qui aliquanto ante Judex quæſtionis eadem lege quæſierat, ut colligitur ex Oratione pro Sex. Roſcio. Tertiò, ultimis etiam Reip. temporibus, nova quandoque lex ferebatur pro conſtituenda nova Quæſtione, ubi novum aliquod ſcelus vindicandum erat, de quo non commemoraverant veteres

teres

Digitized by Google

teres leges, vel ut majori cum acerbitate judicia fierent: quo ſeu conſilio, ſeu neceſſitate lex Varia lata eſt. judiciumque nominatim conſtitutum in amicos Tib. Gracchi, ac deinde in P. Clodium, poſt ſacra Bonæ Deæ violata. Quęſtionibus igitur publicis præeſſe Prætores leges juſſerant, & ſingulæ leges ſingulas Quæſtiones conſtituerant; adeòque unus Prætor uni tantùm præerat quæſtioni, & ex unius legis præſcripto de uno tantùm crimine quærebat. Quod ſi plures leges de eadem re latæ fuiſſent; eæ vel augebant pœnam, & crimen non mutabant, ut de Repetundis Acilia, Servilia, Cornelia, Julia; tùm autem non inſtituebantur novæ Quæſtiones. vel ſic erant inter ſe diverſę, ut duo diſtinguere, vel plura crimina viderentur; atque ita legum, & criminum aucto numero, quęſtionum quoque numerus augebatur. Ante L. Syllam Dictatorem, quęſtionem fuiſſe inter Sicarios lege conſtitutam, teſtis eſt Cicero Oratione pro Sex. Roſcio: *ſexcenti ſunt, qui inter Sicarios, & de Veneficiis accuſabant*, eidemque ante bella Ciuilia pręfuiſſe dicitur M. Fannius Judex quæſtionis. Legem illam veterem Sylla reſtituit, nova tamen idcircò Quęſtio inſtituta non eſt; cum idem crimen, & eandem vim alicui privatim illatam reſpiceret. Erat & Plautia lex de Vi publica, lata à M. Plautio Silvano Tribuno pl. Cn. Pompeio, & L. Porcio Coſs. quam deinde Q. Lutatius Catulus Conſul renovavit, *ut de ſediciosis Civibus Judicium quotidie inſtitueretur*, etiam feſtis diebus. cumque hæc lex vim publicam ſpectaret, illa privatam; neceſse eſt, duas diverſas fuiſse Quæſtiones, quas duo Prætores exercerent; anno, quo dixit Cicero pro Cluentio, Plætorius, & Flaminius. Nam utramq; Quæſtionem dictam fuiſse inter Sicarios, ſic oſtendo. Salluſtius de Catilina hæc habet

de Bello Catil. *& ipſe lege Plautia interrogatus erat à L. Paulo*. Aſconius in Orationem contra Competitores : *poſt effecta enim Comitia Conſularia, & Catilinæ repulſam, fecit eum reum inter Sicarios L. Lucullus* (legendum eſt L. Æmilius Paulus) Eadem nimirùm Quæſtio & à Salluſtio vocatur lege Plautia conſtituta, de Vi publica, & ab Aſconio appellatur inter Sicarios. ſicut ipſe Cicero duos Prætores quæſiviſse ait inter Sicarios ita, ut unus lege Plautia de Vi publica quæreret, alter lege Cornelia de Vi privata. Neque tamen ſatis mihi explicatus videtur Cluentianę locus. cum enim ſex recenſeantur Quęſtiones totidem Pretoribus aſſignatę, & alię quoque fuiſſe dicantur : cumque manifeſtum ſit, Ciceronis temporibus octo Pretores ferè creari ſolitos fuiſſe; iine Quęſtiones publicas omnes exercebant? nam poſt Syllam manebant in Urbe toto anno Preturę, quo elapſo proficiſcebantur in Provincias. Laudato loco, Q. Voconio Naſoni tribuitur *Queſtio* lege Cornelia de Veneno, deque corruptis Judiciis (alias vocatur de Falſo) Plętorio, & Flaminio de Vi lege Plautia, & inter Sicarios lege Cornelia; Orchinio de Peculatu lege (ut quidam tradunt) Cornelia; M. Tullio de Repetundis, lege pariter Cornelia (patet enim error Panvinii, qui hęc duo crimina uni aſſignat Pretori.) Aquillio de Ambitu, lege Calpurnia. His ſex Queſtionibus publicis enumeratis, ſubiicit Cicero: *quid reliquæ Quæſtiones?* innuens, alias quaſdam eſſe, quas ſilentio pręteriret. Et ſanè Aſconius in Orationem pro C. Cornelio ſeptimam nominat de Majeſtate, cui hoc eodem anno pręfuerit P. Caſſius, lege Cornelia; fuiſſe & octavam de Civitate Romana, lege Licinia Mucia, ſeu Papia, conſtat ex Orationibus pro Archia, & pro Balbo. Quamobrem, ſi octo Queſtiones

Digitized by Google

ſtiones publicas habemus, duo autem Prętores quotannis juri dicendo operam dabant, alter inter Cives, qui Vrbanus, alter inter Cives, & Peregrinos, qui Prętor Peregrinus dicebatur; quomodo à ſex reliquis Prętoribus omnes publicę Quęſtiones exerceri poterant? Scilicet per Iudices Quęſtionis ea judicia fiebant, & ſortitioni Iudicum pręerat Prętor Urbanus. cur enim Verres Prętor Urbanus ſortitus eſt Iudices in cauſa Oppianici, Iudice quęſtionis C. Iunio? quia cum Quęſtio de Veneficiis lege Cornelia, nemini illius anni Prętorum obtigiſſet, Prætor Urbanus cogebatur ejuſdem ſortitioni præeſſe. Anno, quo Cluentii cauſa dicta eſt, ſex, qui commemorantur, ſuas Quęſtiones habebant, prȩter Ulrbanum, & Peregrinum. duę, quę reſtant quæſtiones de Majeſtate, & de Civitate Romana, & ſi quæ aliæ erant, à Judicibus quæſtionis à populo creatis gubernabantur; quorum proinde nomina reticentur ab Oratore, & de Prætoribus tantùm fit mentio nominatim; & in Aſconio arbitror eſſe mendum, ut legi fortaſſe debeat: *& cum T. Caſſius Prætor decimo die, ut mos eſt, adeſſe juſſiſſet*, non Prætor, ſed Quæſitor, ideſt Judex quęſtionis.

Hęc, opinor, legiſti non ſine ſtomacho; meâ quidem culpa, qui parùm copioſè, dilucidèque exponere Cauſam optimam potui. Valę. Kal. Aug. A. S. 1698.

Quæſtioni ſatisfacere. Septimius Scævola ex Apulia provincia reverſus accuſatus fuerat de Repetundis, & eo crimine damnatus: *Scævola condemnatus eſt aliis criminibus, frequentiſſimis Apuliæ teſtibus*. Poſt damnationem, ut mos erat, certatum eſt apud eoſdem Judices, de litis æſtimatione. ii, qui accuſaverant, volebant æſtimari litem capitis, ut ire in exilium Septimius cogeretur: *omni contentione pugnatum eſt, ut lis hæc capitis æſtimaretur*; at id obtinere non potuerunt. Hac ſpe fruſtrati Accuſatores, cum viderent pecuniariam multam irrogandam eſſe Septimio, non Capitis; quo magis inimicum affligerent, contenderunt, ut lis illi æſtimaretur, non ſolùm eo nomine, quòd in Apulia res Sociis abſtuliſſet, ſed etiam, quòd in Oppianici judicio accepiſſet pecuniã, & id à Judicibus impetrarunt. Verrina 2. *quid ſit, quòd P. Septimio Senatore damnato, Q. Hortenſio Prætore de pecuniis repetundis, lis æſtimata ſit eo nomine, quòd ille ob rem judicandam pecuniam accepiſſet*. Attius accuſator Cluentii, ut ab eo datam pecuniam oſtenderet contra Oppianicum, hanc litis æſtimationem commemoraverat. Cicero triplici argumento reſpondet. Primò à Cauſis, id contigiſſe propter indulgentiam, aut negligentiam Iudicum: *nunquàm enim ea diligentia, quæ ſolet adhiberi in cæteris Judiciis, eadem, reo damnato, adhibita eſt*. Bis de eodem Reo ſententiam Judices ferebant; primùm eſſetne nocens, an innocens, ſive accuſaretur Repetundarum, ſive Peculatus crimine, quæ per ſe non erant Capitalia; & in hoc genere Judiciorum ſumma adhibebatur diligentia, ut fidei, & religioni ſuæ ſatisfacerent. iterùm ferebant ſententiam, ſi Reum condemnaverant, de modo, quo lis erat illi æſtimanda; tunc autem non eadem diligentia utebantur, ob duas cauſas; *In-*

liti-

litibus æſtimandis ferè Judices, aut, quòd ſibi eum, quem ſemel condemnarunt, inimicum putant eſſe, ſi qua in eum lis capitis illata eſt, non admittunt: hoc eſt, vel propter indulgentiam, ne videantur à ſe condemnatum, proindeque inimicum hominem ſæviùs punire, capitalem pęnam non admittunt, & multam irrogant pecuniariam: *aut, quòd ſe perfunctos jam eſſe arbitrantur, cum de Reo judicarunt, negligentiùs attendunt cætera*; hoc eſt, vel propter negligentiam, rati ſe ſuo jam ſatis feciſſe officio in Reo condemnando; ęſtimationem litis, & ſi quid eſt hujuſmodi, non attendunt. Hanc in litibus Reis damnatis æſtimandis, Judicum negligentiam, & indulgentiam confirmat Exemplis; *Itaque & Majeſtatis abſoluti ſunt permulti, quibus damnatis de pecuniis repetundis lites eſſent æſtimatæ.* quibuſdam Repetundarum damnatis, qui contra legem Majeſtatis etiam feciſſe arguebantur, non tamen pęnam Capitis, quæ lege Majeſtatis præſcribebatur, infligere voluerunt, ſed tantùm æſtimarunt lites captarum pecuniarum nomine. Sequitur alterum Exemplum: *& hæc quotidie fieri videmus, ut, Reo damnato de pecuniis repetundis, ad quos perveniſſe pecunias in litibus æſtimandis ſtatutum ſit, eos illi Judices abſolvant.* V.G. Judices condemnant Gabinium, quòd in reſtituendo Rege Ptolomæo, pecuniam contra leges acceperit. æſtimant damnato Gabinio litem cùm de aliis quibuſdam, tùm etiam de ea pecunia, quæ perveniſſe dicebatur ad Rabirium; hinc Rabirius in judicium vocatur, & cum neceſſariò videretur damnandus, nihilominùs abſolvitur. in primo indulgentia Judicum manifeſta eſt, in altero negligentia. Omittit Cicero ſecundam partem illius argumenti, quæ talis eſſet: Sic in Septimii jam damnati judicio, aut per indulgentiam, pęnam capitis, quæ petebatur ab Accuſatoribus,

bus, commutare pecunia voluerunt; aut per negligentiam, jure, an injuria de omnibus pecuniis lis illi æſtimaretur, non adverterunt. Utcumque Judicium vocari non poteſt, ubi indulgentia, & negligentia locum habent.

Nam altera precipuè Ciceronis ratio eo nititur fundamento, quòd æſtimatio litis non ſit Judicium; cumque Præjudicium Cluentio nihil eſſe poſſit, quod Judicium non ſit, contendit litem æſtimatam Septimio, nomine pecuniæ acceptæ ob rem judicandam, Cluentii cauſæ non nocere. Sic igitur arguit ex ſupradictis: *quod cum ſit, non judicia reſcinduntur, ſed hoc ſtatuitur, æſtimationem litium non eſſe Judicium*. Si enim litis æſtimatio judicium eſſet, cum judicia reſcindi nullo modo poſſint, non abſolveretur Rabirius, ad quem perveniſſe pecuniam, in æſtimanda lite Gabinio, Judices ſtatuerant; at ſe impediri illa æſtimatione litis non putant, quin Rabirium poſſint abſolvere, itaque abſolvunt; non igitur æſtimationem litis putant eſſe Judicium, qui reſcindere judicia procul dubio neque auderent, neque poſſent.

Tertia ratio conjectura quædam eſt, & hiſce verbis continetur: *quæ res, ſi rei judicatæ pondus habuiſſet, ille poſtea vel iiſdē, vel aliis inimicis reus hac lege ipſa factus eſſet*; quamvis ſuperioris potius rationis comprobatio eſſe videatur. Cum Judicia, inquit Cicero, reſcindi non poſſint; ſi litis æſtimatio judicium eſset, qui accuſarunt Septimium de Repetundis, iidem, aut alii certè illius inimici, cum in judicium vocaſsent corrupti Judicii nomine, quia non potuiſset non condemnari. Ut paucis verbis cuncta complectar; cur lis æſtimata Septimio non obeſt Cluentio? quia litis æſtimatio non eſt Judicium. cur Judicium non eſt? quia tùm Judices indulgentes, & negligentes ſe præbent,

bent; quia contra deinde judicant, ac in æſtimanda lite ſtatuerunt; quia Septimius ipſe lege de corruptis Judiciis accuſatus fuiſset. Cæterùm ex hoc uno loco multa colligi poſsunt. 1. In Judicio Repetundarum bis in conſilium mittebantur Judices, tùm de ipſo crimine, tùm de litis æſtimatione ſententiam laturi: 2. Damnati Repetundarum vel exilio multabantur, quæ lis capitis, ſeu Majeſtatis dicebatur; vel pecunia tantùm, qua perſoluta, Romæ manebant. 3. Unum Conſilium non poterat quærere, niſi una lege, & de uno crimine; ſic Iudices, qui damnaverant Septimium de Repetundis lege Cornelia, eum condemnare non poterant de falſo, ſed alia lege opus erat. 4. Cicero dedita opera, quippe in re dubia, brevitate utitur, neque fusè, ac perſpicuè, ut ſemper ſolet, illa pertractat, quæ erant quodammodo contra Cluentium.

Ut hæc res magis pateat, duas nobiliſſimorum hominum damnationes examinemus, C. Catonis, & A. Gabinii, quos Repetundarum leges ſumma omnium expectatione, maximè perculerunt. Æmilia L. Pauli filia, ſoror Africani minoris nupta M. Catoni Cenſorii illius filio hunc C. Catonem peperit, qui Conſul cum M. Acilio, anno V. C. 636. & Provinciam ſortitus, Repetundarum damnatus eſt. Eum Siciliæ Proconſulem fuiſse putant Interpretes, adducti Ciceronis teſtimonio, Verrina 6. *Mamertina Civitas improba antea non erat, etiam erat inimica improborum; quæ C. Catonis illius, qui Conſul fuit, impedimenta retinuit.* explicant, ut opinor, cum de Sicilia provincia decederet. Alii tamen aliter de eodem Catone ſcribunt. Florus lib. 3. cap. 4. *itaque non fuſus modò ab his* (à Scordiſcis Thraciæ populis) *aut fugatus, ſed ſimili prodigio omninò totus interceptus exercitus,*

tus, quem duxerat Cato. Epit. Liu. lib. 63. *Cato Porcius Conſul malè in Thracia adverſus Scordiſcos pugnavit*. Eutropius lib. 4. *C. Cato Conſul Scordiſcis intulit bellum, ignominioſeque pugnavit*. Paterculus lib. 2. *quippe Coſ. Cato Conſularis* (legendum eſt C. Cato Conſularis) *M. Catonis nepos, Africani Sororſis filius, Repetundarum ex Macedonia damnatus eſt, cum lis ejus IV. millibus æſtimaretur*. quamvis multo major fides ſit habenda Ciceroni, qui litem illi XVIII. mil. æſtimatam fuiſse, dixit 5. in Verrem: *qua in civitate C. Catoni HS* XVIII. *mil. lis æſtimata ſit*. Pręterea obſervandum eſt, quod habetur Verrina 4. de Sicilię populis: *Magiſtratuum autem noſtrorum injurias ita multorum tulerunt, ut nunquàm ante hoc tempus ad aram legum, præſidiumque veſtrum publico conſilio confugerint*. quomodo enim neminem antea publico conſilio accuſaverant Siculi, ſi poſtulantibus iiſdem, Cato fuerat damnatus? Itaque reſtat, ut illud de Mamertinis interpretemur; cęterùm ipſa per ſe veritas patet. Nimirùm fieri potuit, ut de Macedonia Cato decedens poſt bellum cum Scordiſcis improſperè geſtum, Meſsanam appelleret, aut eodem ſaltem illius impedimenta deferrentur, quę deinde, capta occaſione, Mamertini retinuerint. Non enim arbitror, idcircò damnatum fuiſse C. Catonem, quòd Sociis HS XVIII. abſtulerit: ſed iratos Judices ob acceptam ejus culpa fœdiſſimam cladem, Repetundarum nomine, inſcitiam illius, & negligentiam ulciſci voluiſse; hoc eſt litem capitis, ſeu majeſtatis admittere illatam ab Accuſatoribus (quemadmodum alios quoſdam legimus non eorumdem criminum, quibus accuſabantur, invidia periiſſe) qua pariter amiſſi exercitus fama, & malè geſtę Provinciæ effectum eſt, ut hanc à Mamertinis injuriam pateretur.

Nunc

Nunc de A. Gabinio Conſulari, qui poſt adminiſtratam Syriam, reſtitutumque in Regnum Ptolomæum, cum Majeſtatis judicium Pompeii gratia evaſiſset, Repetundarum lege pęnas dedit. At quoniam poſt æſtimationem litium, tantum ex damnati Gabinii bonis redigi non potuerat, quantum reſtituere cogebatur, ab Accuſatore nomen Rabirii delatum eſt eo legis Capite: *quo ea pecunia pervenerit*; quippe ad Rabirium Gabinianæ pecuniæ maximam partem perveniſſe dicebant. Cicero, cum, ut abſolveretur Gabinius, fruſtra contendiſſet, ad alterum defendendum, cauſam meliorem nactus, longe paratior acceſſit. cuius defenſionis quædam decerpam ex Oratione pro C. Rabirio, & explanabo; Manutius enim, qui parùm videtur percepiſse ea omnia, quę ad leges, & judicium repetundarum pertinent, hoc etiam loco fęde labitur, & Oratoris ſententiam perperam interpretatur. Cum igitur Gabinius ſolvendo non eſſet, ut ſuprà dictum eſt, proindeque cauſam Rabirius diceret, hujuſmodi argumento utitur Cicero: *In litibus, Poſtumi nomen eſt nuſquam* (nomen illi erat C. Rabirius Poſtumus) *in litibus dico? modo vos iidem in A. Gabinium Judices ſediſtis, num quis teſtis Poſtumum appellavit?* nullus teſtis appellavit Poſtumum, non modò in litibus ęſtimandis damnato Gabinio, ſed ne in Cauſa quidem ante latas de Gabinio ſententias. Ita porrò diſputat: nemo cauſam dixit illo Legis capite, *quo ea pecunia pervenerit*, qui in ęſtimandis litibus Reo damnato, appellatus non eſſet, vel ex teſtium dictis, vel ex tabulis privatorum, vel ex literis Civitatum; Rabirius autem nuſquàm appellatus eſt, cum lites Gabinio ęſtimarentur, adeòque non poterat eo nomine in judicium vocari, quòd ad illum perveniſse pecunia diceretur.

Pro-

Propoſitio nititur & conſuetudine, & coniectura, quę talis eſt: *Itaque in inferendis litibus adeſſe ſolebant, qui aliquid de ſe verebantur*. quicumque cum Reo iam damnato Repetundarum, fuerant in Provincia, timoris juſtam cauſam habebant, ne putarentur veniſse in partem ablatę pecunię. quamobrem adeſse ſolebant in æſtimatione litium, non in Cauſæ dictione, ut vult Manutius; an enim inferre litem in aliquem, idem eſt apud Ciceronem, ac poſtulare legibus, & accuſare? *Et cum erant appellati, ſi videbatur, ſtatim contra dicere ſolebant*. quid eſt illud *Statim*? an abſoluto Judicio? ſed inferri lites non poterant, niſi reo jam damnato; neque reſpondiſse dicuntur *Statim*, cum de Reo latę erant ſententię, verùm *Statim cum erant appellati*. Simul ac nominari ſe ab aliquo teſte animadvertebant, quaſi ablatę contra leges pecunię participes; vel ſtatim reſpondebant, antequàm illa litis ęſtimatio abſolveretur, *Si videbatur*, ſi commodè, & opportunè id ſe facere poſſe arbitrabantur: *Sin ejus temporis memoriam recentem pertimuerant, reſpondebant poſtea*; poſtquàm, abſoluta litium æſtimatione, ipſi quoque in judicium vocati fuerant: *quod cum feciſſent, permulti ſępe vicerunt*. Arguit à Comparatione maiorum: Rabirius à nemine appellatus damnabitur, cum multi, qui erant appellati in inferendis litibus, dicta cauſa, abſoluti fuerint? Hùc ſpectat illud Cluentianæ: *& hęc quotidiè fieri videmus, ut, Reo damnato de pecuniis repetundis, ad quos perveniſſe pecunias in litibus ęſtimandis ſtatutum ſit, eos illi Judices abſolvant*.

Cum alia multa ex ipſa lectione Veterum facilè intelligantur, reſtat, ut neſcio quid attingam de Accuſatorum inquiſitione; quod ut pręſtem, ad Orationem pro Flacco tranſitum faciam. Accuſatores

Re-

Repetundarum, cum in Provinciam inquirendi cauſa veniſſent, in qualibet Civitate Senatum, Populumque adire ſolebant, eoſque docere, quo conſilio Sociorum injurias vindicandas ſuſcepiſſent, ut à ſingulis teſtimonia, literaſque publicas adverſùs Reum obtinerent. Sic Verrina 6. querebatur Senatus Syracuſanus, quòd Cicero, *cum in cæteris Siciliæ Civitatibus Senatum, Populumque docuiſſet, quid eis utilitatis, quid ſalutis afferret, & cum ab omnibus mandata, legatos, literas, teſtimoniaque ſumpſiſſet, in illa Civitate nihil ejuſmodi faceret.* Quod in Sicilia Cicero, idem fecit in Aſiâ Lælius accuſator L. Flacci. at, quia nemo privatus publicè verba facere poterat, niſi ei à Magiſtratu Senatus, aut Concio daretur, hinc dicitur: *Data Lælio concio eſt*, nempe à Magiſtratu Cymeo, in quam tùm Civitatem accuſationem comparaturus pervenerat; Accedit & ad hunc locum emendator Manutius: *non Lælius*, inquit, *ſed Athenagoras concionatus eſt, ut è ſequentibus patet; quare legendum puto, A Lælio, qui hanc facultatem dederit Athenagoræ.* In primis nullum tota Antiquitas exemplum habet vocatæ, datæque Concionis ab homine privato, qualis erat Lęlius; hoc enim ſi licuiſſet, quanta in Provinciis conſecuta fuiſſent abſurda? Deinde, ſi non ipſe Lęlius, ſed Athenagoras concionatus eſt, ſequitur, Gręcum ſermonem barbarum, & peregrinum Lęlio fuiſſe. an verò quiſquam erat Romæ liberaliter educatus, qui brevem Orationem Græcè ſcribere, & ex ſcripto ſaltem dicere non poſſet? Fac tamen Athenagoram pro Lælio locutum; fac item Legatum quempiam Parthorum latinę linguæ ignarum quædam per interpretem diſſeruiſſe in Senatu Romano; Legatone, qui nihil dixit, an Interpreti dicemus Senatum datum? eodem modo data Lælio

concio

concio eſt, licèt vocem ſuam Athenagoras illi commodàverit. Poſtremò, qua de re Cicero diſputet, videamus. Græcorum Conciones deridet, ut publicis illorum teſtimoniis fidem deroget, & utitur exemplo duorum populorum, qui Flaccum oppugnabant, Cymæi, & Pergameni: *Cęſus eſt virgis Cymęus ille Athenagoras* (nam aderat ſuæ Civitatis Legatus) *qui in ſame frumentum exportare erat auſus*; deformat hominem auctorem Teſtimonii: *data Lælio concio eſt*, proculdubio à Magiſtratu Cymæo, omittit autem referre, quæ Lælius dixerit, quia nemo dubitare poterat, quin de ſua accuſatione diſſeruerit, neque ad hanc partem cauſæ ipſa per ſe pertinebant. Poſtquam Lælius docuit, qua de cauſa veniſſet, quid peteret; neceſſe erat, ut aliquis ex Principibus Civitatis, ſuaſurus, vel diſſuaſurus prodiret; itaque: *proceſſit ille* (Athenagoras) *& Græcus apud Græcos non de culpa ſua dixit, ſed de pœna queſtus eſt*; aſſenſus eſt Lælio, iratus Flacco, quo Prætore virgis cæſus fuerat. Orator ſubjungit: *porrexerunt manus, pſephiſma natum eſt; hoc teſtimonium eſt?* Inde tranſit ad alterum Exemplum: *nuper epulati, paulo ante omni largitione ſaturati Pergameni, quod Mithridates, qui multitudinem illam non auctoritate, ſed ſagina tenebat, ſe velle dixit, id ſutores, & Zonarii conclamarunt: hoc teſtimonium eſt Civitatis?* Duo principes duarum Civitatum faviſſe Lælio dicuntur; Mithridatem, qui *ſe velle dixit*, hoc eſt Pſephima ſuaſit, Pergameni ſecuti ſunt; cur non idem putemus Cymæos feciſse, ſuadente Athenagorâ, non concionante pro Lælio? Controverſiam quidem ipſe Cicero dirimit, cum de Trallianis loquitur paulo poſt: *quo cum veniſſet Lælius ad iratos, & illud Caſtricianum vulnus dicendo refricuiſſet.* etiam ne dubitabimus, num ipſe per ſe Lælius, an per

Interpretem apud Græcos concionatus fuerit? quid poſtea? *Silverunt Principes, neque in illa Concione affuerunt, neque ipſius decreti, ac teſtimonii auctores eſſe voluerunt.* ut apud Cimęos, & Pergamenos publicorum teſtimoniorum auctores fuerant Athenagoras, & Mithridates. Aliquantò prolixiùs, quàm putabam, pro retinenda veteri lectione cum nobili Adverſario decertavi.

Verùm poſſumne hac etiam vice ferre palmam, te Judice? fac, ne diu pendeam, ſtatimque aliquid ſcribe. Vale. Id. Octobr. A. S. 1698.

EPISTOLA NONA.

AD ABB. N. N. P. P.

De Comperendinatione.

NUnquàm tui conveniendi mihi facultas datur, quin plurima doctus, & erga genus illud ſtudiorum, quod ſequor, benè animatus diſcedam. Paucis autem abhinc diebus, cum Auditoribus tuis Juris antiqui fontes, eruditionis, ac ſapientiæ pleniſſimos reſerares, & ego forte adeſſem; de Prætore, de Judicibus, de forma Judiciorum, de Comperendinatione, hoc eſt mutua litigatorum denunciatione in perendinum diem, tam multa, tam perſpicuè dixiſti, ut in tanta varietate rerum, nihil non ſuo loco poſitum, dilucidèque explanatum adverterim. Quòd hujuſcemodi vim ingenii aſsequi nullo modo poſſim, egone propterea quieſcam? non faciam; & quidem te auctore, qui, num adinvenerim novi quippiam, vel ſcripſerim, rogare identidem ſoles. En, quod offeram tibi, literarium munus, ſummà cum fide, ac dili-

diligentia pertractatam de Reo Comperendinato quæſtionem; hoc ſi probaveris, profiteor me daturum aliquandò majora.

Contra eos magiſtratus, qui avarè, & crudeliter ſpoliaſsent Socios, & Provincias adminiſtraſsent, Romæ inſtituta eſt Quæſtio de Repetundis: ut ab avaris Prætoribus ea repeterentur judicio, quæ per vim Sociis abſtuliſsent. Cum alii alias leges hac de re tuliſsent, acceſſit etiam Servilia lata à Servilio Glaucia, qua cavebatur, ut, poſtquàm dicta ſemel utrimque cauſa fuiſset, poſt interrogatos ab Adverſariis teſtes, productaſque tabulas, & literas publicas, non ſtatim Judices Reum de Repetundis vel abſolverent, vel damnarent; ſed Comperendinatio interponeretur, hoc eſt ſpatium trium dierum, quo elapſo, iterum citaretur Reus, & Cauſa de integro ageretur; quæ ſecunda Actio dicebatur. Hinc dubium exoritur, nùm in ſecunda Actione idem dicendi ordo ſervaretur, qui ſervabatur in Prima, an omninò diverſus. nùm ſcilicet in ſecunda, ſicut in prima Actione, priore loco diceret Accuſator, poſtea Defenſor; an contra Defenſor primùm, mox Accuſator. Aſconius Pedianus ad Verrinam 3. hæc habet: *ſimul accuſator dixerit, reſpondet prima Actione Defenſor, & rurſum comperendinato judicio, dicit prior Defenſor, & defenſionem tanquàm duplicem in medio poſitam obruit ultimus Accuſator*. Sequuntur Aſconium, quos adhuc videre potui, Literati omnes; maximèque Sigonius lib. 2. de Judiciis, Manutius in Commentariis, Frigius in Notis, qui Budæum quoque citat ejuſdem ſententiæ aſſeclam in Annotationibus ad Pand. à quo tamen de hujuſmodi Romanorum inſtituto nullum verbum factum reperio. Id porrò colligunt ex Cicerone Verrina 3: *Si bis dicere eſt commodum*, ait ille, *certè utrinſ-*

que commune eſt; ſin eum, qui poſteriùs dixit, opus eſt redargui, Accuſatoris cauſa, ut bis ageretur, conſtitutum eſt; patet igitur, inquiunt, Accuſatorem in ſecunda actione ultimo loco dicere conſueviſſe, ut redarguere Defenſorem potuerit. Ego verò nihil mutatum exiſtimo, & in utraque Actione primum dicendi locum datum fuiſſe Accuſatori, Defenſori poſtremum contendo, tribus rationibus; tùm quia probabiles conjecturæ repugnant, tùm quia manifeſtè Cicero contrarium affirmat, tùm etiàm quia laudatum Verrinę locum perperam Adverſarii interpretantur. quod quidem eorum bona pace dictum ſit.

Ratio itaque, Aſconii, aliorumque ſententiæ repugnat, quæ apud optimos humanarum rerum ęſtimatores valere plurimùm debet. Quis enim putet, Romę mitiſſima Civitate, id lege cautum fuiſſe, ut tum demum Reus accuſaretur, cum ſe defendere ampliùs non poſſet? quod quàm illi obeſſet, nemo non videt. Secundò legem adeo Civibus pernicioſam, uſque ad extrema Reip. tempora perduraſſe, cum bonas etiam ſępe emendarent? imò ne mentionem quidem hujuſce rei factam legimus vel in Senatu, vel ad Populum. Tertiò, coactum fuiſſe Defenſorem dicere, cum nihil, quod defenderet, reliquum foret? nam totus eſſe ſolebat in diluendis Adverſariorum criminibus, quibus in priori Actione ad ſatietatem reſponderat. Quartò, L. Syllam Dictatorem, qui reliquis oppreſſis Ordinibus, Senatus auctoritatem maximè auxit, hanc iniquiſſimam impoſitam Senatui condicionem (ſoli enim Senatores accuſari poterant de Repetundis) non modò non ſuſtuliſse, ſed etiam nova ſua lege Cornelia confirmaſse? cum omnibus in rebus ſaluti, ac dignitati Nobilium conſultum eſse voluerit. Denique, Ciceronem multas ejus generis Cauſas

ſas agentem, nihil uſquàm de hac Rei comperendinati condicione innuiſſe, cum alia minora ingenioſe pertractaverit, nihilque omiſerit, quòd Cauſę ſuæ conducere arbitraretur? & ſanè hoc unum habuiſset præcipuum excitandę Miſericordię argumentum. Quis, inquam, tot, tantaque incredibilia, ac penè Monſtra facilè admittat, ambagibus quibuſdam dubii, incertique teſtimonii deceptus?

Hęc tamen levia ſint, & nullius ponderis; quid, ſi ipſum Ciceronem, quo uno Teſte Adverſarii nituntur, contra dixiſſe demonſtrem? Inſimulabatur P. Quinctius, quòd vadimonium deſeruiſset, privatamque fidem fregiſset. ſuſcepta illius defenſione, M. Tullius ſic exclamat in Quinctiana: *Quid hoc iniquius, aut indignius dici, aut commemorari poteſt, quàm me, qui caput alterius, ſamam, fortunaſque deſendam, priore loco cauſam dicere?* Cui ego hæc libenter reponerem: Quid tu, mi Cicero, factum quereris in Cauſa privata, quod in publico Repetundarum Judicio, jure & lege fit? an ſi agatur de privata fide violata, id erit iniquum, & indignum, quod in læſa publica fide, multo gravioribus pęnis propoſitis, ęquum eſt, & legitimum? Conſulamus Orationem pro Fonteio. hic reus erat Repetundarum, poſtulantibus Gallis, quibus Prętor jus dixerat; Reum Cicero apud Judices defendit, & in extrema Oratione hæc ſubiicit: *M. Fontejus ita duabus Actionibus accuſatus eſt, ut obiectum nihil ſit, quo ſignificari veſtigium libidinis, aut audaciæ poſſit.* Duabus igitur Actionibus accuſatus jam fuerat Fontejus, & in ſecunda Actione poſtremo loco defenſor Tullius dicebat. Quid plura? ex Verrinis hæc oritur Controverſia; ex iiſdem veritas eruatur. Ciceronis, qui Verris accuſator erat, primam Actionem habemus, cujus unica eſt Oratio; priore loco eum dixiſſe,

fate-

fatemur omnes. habemus & ſecundam Actionem, quinque Orationibus comprehenſam; poſtremo loco eas habitas fuiſſe, Aſconius, cæterique exiſtimant, poſtquàm jam dixerat iterùm pro Verre defenſor Hortenſius; aut ita ſaltem exaratas, atque editas, quaſi nihil eſſet ille reſponſurus. Quædam ex iis loca decerpam, ut inde coniicere unuſquiſque poſſit, ſintne hujuſmodi dicta illius, qui poſt Hortenſium dixerit, quod Aſconius docet; an illius, poſt quem dicturum fuiſſe Hortenſium aſſirmo. Lib. 1. *Niſi fortè illud dicet Hortenſius*; nondùm igitur dixerat. Lib. 2. *Quid defendet Hortenſius? Poſtulabit, ut literas Canuleii proferam? crimen hujuſmodi, niſi literis confirmetur, inane eſſe dicet?* Lib. 3. *Convincam, ſi priùs illud propugnaculum, quo contra omnes meos impetus uſurum ſe putat, defenſione ejus dejecero*. Lib. 4. *Quoniam in toto hoc genere, hac una defenſione uſurus es*. Lib. 5. *Video, ubi ſe jactaturus ſit Hortenſius: belli pericula, tempora Reip. Imperatorum penuriam commemorabit; tum deprecabitur à Vobis*. Paulò poſt: *Scilicet eſt metuendum, ne ad exitum defenſionis tuæ, vetus illa Antoniana dicendi ratio, atque auctoritas proferatur*. Quis, modo ſana mente utatur, putet hæc, & alia ejuſdem generis plurima, dicenda à Cicerone fuiſſe, cum jam nihil reſponſurus eſſet Hortenſius?

Reſtat, ut Ciceronis teſtimonium, ex Verrina 3. deſumptum explicemus, quo Adverſarii abutuntur, germanam Oratoris ſententiam minimè aſſequuti. Comperendinationem ſublatam in cauſa Verris ab accuſatore Cicerone querebatur Hortenſius; reſpondet Cicero, id profuiſſe Verri potius, quàm obfuiſſe, quòd Comperendinatio obeſſet Reo magis, quàm prodeſſet. Hæc ſunt illius verba: *Bis ut cauſa dicatur, aut mea potius cauſa eſt conſtitutum, quàm tua,*

tua; *aut nihilo tua potius*, *quàm mea*; Comperendinatio, inquit, vel æquè gratioſa eſt utrique, vel Accuſatori magis, quàm Defenſori. ſecundam partem, quòd ſit æquè gratioſa utrique, ſic ſtatim confirmat: *Nam, ſi bis dicere eſt commodum*, *certè utriuſque commune eſt*, cum uterque denuò & accuſet, & defendat. ſequitur deinde approbatio primę partis, in qua tota difficultas conſiſtit. *Sin eum*, *qui poſteriùs dixit*, *oups eſt redargui*, *Accuſatoris cauſa*, *ut bis ageretur*, *conſtitutum eſt*. Senſus autē eſt hujuſmodi: Si opus eſt redargui Defenſorem, qui in prima Actione poſteriùs dixit, ſecunda Actio inſtituta eſt in gratiam Accuſatoris, ut hic poſſit redarguere in ſecunda Actione, quæ Defenſor dixerit in prima. Quamobrem nego ex iis verbis manifeſtè colligi poſse, in ſecunda Actione poſteriore loco dixiſſe Accuſatorem; neque id Sigonius ipſe non vidit, proindeque Ciceronis teſtimonium haud fidelitèr retulit, quibuſdam additis verbis, quaſi commentandi gratia, maluitq; crimen falſi ſubire, quàm per ſe infirmum, ac dubium argumentum proferre. Præterea Ciceronis, & Oratorum omnium ille mos eſt, ut quæ ſibi nocent, juvare aliquandò contendant; quę paululùm proſunt, plurimùm ſibi prodeſſe dicant; Amplificationem vocamus. Nunc utar exemplo: Acta fuerit Cauſa aliqua à duobus Patronis; reum alter accuſaverit, alter ad ſatietatem defenderit. uter horum petit, ut rurſùs cauſa agatur? Defenſor, qui poſtremo loco dixit? nequaquàm; quid enim defendat, cum nihil novi objectum ſit? Accuſator igitur id poſtulat, ut refellat dicta à Defenſore, quoniam *eum*, *qui poſterius dixit*, *opus eſt redargui*. Utri hoc eſt magis commodum? Accuſatori procul dubio, & ſic oſtendo: Omnia crimina deprompta ex teſtibus, tabulis,
 & li-

& literis,& in prima Actione obiecta ab Accuſatore cū audiat Defenſor, intelligit etiam, quibus coniecturis, & rationibus fulciantur, adeòque ſingula ita poteſt diluere, ut nihil intactum relinquat. At contra Accuſator neque poteſt prævidere, neque occupare omnia, quæ in ſui excuſationem Defenſor dicturus eſt. Illi ergo magis eſt commodum accuſare denuò in altera Actione, & univerſam defenſionem Rei confutare; ſed neque Defenſori illud videtur incommodum, cui reſpondendi iterùm ſuus locus patet. Quapropter jure Cicero id inſtitutum aſſerit in gratiam Accuſatoris potius, quàm Defenſoris; aut æquè in gratiam utriuſque. Quòd ſi ea condicione agatur iterùm Cauſa, ut prior dicat Defenſor, poſterior Accuſator; quis non videt, quàm diſſimili ſorte ſecunda vice contendant? tùm vero Cicero, qui augere, & amplificare omnia ſolet, ne dum imminuere quippiam velit, quod tractandum ſibi ſumit, nunquàm utrique commodum dixiſſet; quod ſibi quidem admodùm proderat, nocebat autem Adverſario ſine controverſia quàmplurimùm. Supra locus quidam eſt, qui huic alteri lucem affert: diſputat enim contra Hortenſium Orator, eique de ſublata Comperendinatione querenti, ad hunc modum reſpondet: *Adimo enim Comperendinatum, quod habet lex in ſe moleſtiſſimum, bis ut Cauſa dicatur.* ademptam Comperendinationem excuſat; qua ratione? quia illa Reo erat moleſtiſſima. qua de cauſa tantam Reo moleſtiam Comperendinatio afferebat? quia Cauſa bis dicebatur, & ex repetitione criminum, invidia, & odium creſcebat. Hinc infra, ut Adverſariis morem gereret: *Ego tibi*, inquit, *illam Aciliam legem reſtituo, qua lege multi ſemel accuſati* (ante inſtitutam Comperendinationem) *ſemel dicta cauſa,*

ſemel auditis teſtibus, condemnati ſunt. Non enim audiendus eſt Manutius, qui locum illum de adempta Hortenſio cauſæ iterùm agendę moleſtia interpretatur. tùm quia Hortenſius non ſibi, ſed Verri factam injuriam querebatur; tùm etiam quia Cicero non tam Hortenſio, quàm ſibi eam moleſtiam ademiſſe videri poterat. Itaque bis cauſam dicere moleſtiſſimum erat Reo; quanto magis moleſtum, ſi in ſecunda Actione prior ipſe, poſterior dicat Accuſator? Orator autem, qui ſummam à ſe moleſtiam ademptam Adverſariis jactabat, nunquàm id attigiſſet, quod minus habebat moleſtiæ, omiſiſſet illud, quod re ipſa erat moleſtiſſimum.

Vides, quanta cum libertate reliquos omnes, & graviſſimos Commentatores reprehendam; tu, ſi videtur, Cenſorium ſtylum in ipſum emendatorem converte. Vale. Id. Januar. A. S. 1698.

EPISTOLA DECIMA.

AD ABB. N. N. P. P.

De Legibus Repetundarum.

QUòd ea humaniter probas, quæ de Reo Comperendinato ſcripſi nuper ad te; gaudeo, mihique in primis gratulor. nam laudari, cùm per ſe dulce eſt, tùm à tali Viro glorioſum. Quòd autem novam me Quæſtionem perſequi jubes, vel ſuperioris potius alteram partem, de Legibus Repetundarum, eamque ad te mittere quamprimùm, videlicet noctuam Athenas; mirari non deſino, ſi temea illa, qualiſcumque ea tandem fuit, Epiſtola aut delectare potuit, aut à curis gravioribus paululùm

lùm avocare. Rem præterea profers in medium à Comperendinatione non alienam ; ut eo libentiùs has mihi delatas partes ſuſcipiam , atque agam accuratiùs. utrum feliciter , an ſecus ; tu quidem extemplo , ſed & alii fortaſſe judicabunt aliquando .

Primam Repetundarum legem habemus Calpurniam, latam à L. Piſone Tribuno pl. Anno V.C. 601. & ab eodem puto cautum fuiſſe, ut de illo ipſo crimine Equites R. judicarent. Sequuntur Acilia, & Servilia, quarum utra prior fuerit, dubitant Interpretes; plerique enim poſt Calpurniam, ſecundum locum Serviliæ tribuunt; ſed aberrant, ut dicitur, toto Cœlo. Cicero Verrina 3. utriuſque collatione facta, legem veterem Aciliam vocat, ſi ad alteram Serviliam, quam proinde recentiorem eſſe vult, referatur; habita inſupèr ratione temporum, quibus earum Latores vixere, M. Acilius Glabrio, Pater illius, qui deinde Prætor quæſivit in Verrem, & Servilius Glaucia auctor ſedicionis cum Saturnino, Mario VI. Conſule, idem affirmare neceſſe eſt. Quid porrò inter utramque intereſſet, innuit Orator laudata Verrina 3. cùm ad Repetundarum Prætorem M. Glabrionem converſus ; *Fac*, inquit , *tibi Paternæ legis Aciliæ veniat in mentem* , atque eandem rem fusè pertractat ; utque res tota emineat magis, & appareat , Commentatores hoc loco cum illo, qui Verrinas ſcripſit, conferamus . Aciliam legem *Severiſſimam* vocat Aſconius ; Manutius rationem aſſignare videtur , quia *Comperendinationem adimebat , ampliandi poteſtatem dabat* ; Frigius *id novi latum fuiſſe* , docet , *ut neque comperendinari , neque ampliari Reus poſſet* . idemq; ante Frigiū tradidere Auguſtinus , & Caluinus ad legem Aciliam,

liam, quàm proinde & ipſi fuiſſe ſeveriſſimam affirmant. Jam redeo ad Aſconium: acerbum in primis eſt, ne dicam iniquum, ſummæ ſeveritatis accuſare mitiſſimam omnium, quæ poſtea latæ ſunt, legem Aciliam; maximè verò cum Serviliam poſteriorem habeamus. tùm quia in ſceleribus, flagitiiſque vindicandis poſteriores leges ferè ſemper gravius aliquid addebant prioribus; tùm quia non videtur probabile, Servilium Glauciam popularem hominem, & inimicum Senatus acerrimum, mitiùs tuliſſe, quàm Glabrionem in eos Senatores, qui ſe avarè, & crudeliter in Provinciis geſſiſſent. Cicero quidem optimus uniuſcujuſque legis æſtimator, hæc differit ibidem: *Utram igitur putas legem molliorem? opinor, illam veterem* (Aciliam) *qua vel citò abſolvi, vel tardè, condemnari licebat; ego tibi illam Aciliam legem reſtituo*. paulo poſt; *puta te non hac tam atroci, ſed illa lege mitiſſima Cauſam dicere*. An quidquam dici clarius poteſt? Servilia enim eadem ferè erat, ac L. Syllæ Cornelia, qua C. Verres cauſam dicebat. Manutius duo ſimul aſſerit; lege Acilia & ademptam fuiſſe Comperendinationem, & ampliandi poteſtatem datam. utrumque falſum eſt. Et ſanè Comperendinationis non ademptæ teſtis eſt Cicero Verrina 3. *Verùm, ut opinor, Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur Reus*. quomodo illud adimere Acilius Glabrio potuit, cujus ne nomen quidem Romæ notum erat, quodque aliquot poſt annis à Servilio primùm inſtitutum eſt? At dedit ampliandi poteſtatem; ſcilicet, quaſi non liceret antea Judicibus ampliare Cauſas. Valerius lib. 8. de L. Cotta ab Africano minore accuſato; *cujus Cauſa*, inquit, *quamquàm graviſſimis criminibus erat confoſſa, ſepties ampliata, & ad ultimum octavo judicio abſoluta eſt*; judicium autem Cottę multo,

to ante legem Aciliam factum, certò ſcimus. Nam ſimul, ac judicare homines de capite alterius cœperunt, ampliandi facultas fuit, quamvis à legibus nihil præſcriberetur; neque ſemper damnabant Reum, aut abſolvebant, ſed quandoque ſibi *Non liquere*, pronuntiabant. idque non in judicio ſolùm de Repetundis, verùm & in reliquis omnibus publicis Cauſis; neque in publicis tantùm, ſed etiam in privatis, ut conſtat ex Oratione pro Cæcina; *Ego mihi ſic perſuadeo, non. Vos tam propter juris obſcuram, dubiamque rationem, bis jam de eadem Cauſa dubitaſſe, quàm, quòd videtur ad ſummam illius exiſtimationem hoc judicium pertinere*. Unde colligere licet, conſueviſſe Judices ampliare Cauſas antiquitùs, ſine ullo legum præſcripto, propter juris, & rei obſcuram, dubiamque rationem. Frigius ultimò tradit, ab Acilio jus ademptum fuiſſe, & ampliandi, & comperendinandi, legique optimæ turpiſſimam notàm inurit. Cicero loco ſuprà citato: *utram putas legem molliorem? opinor, illam veterem, qua vel cito abſolvi, vel tardè condemnari licebat*. quo pacto lege Acilia tardè condemnari licebat? quia licebat ampliari. Hinc habes, M. Acilium Glabrionem Tribunum pl. nihil novi tuliſſe, neque de Ampliatione, neque de Comperendinatione; quarum altera multo ante, altera paulo poſt inſtituta eſt à Servilio Glaucia.

Quarta Lex eſt Cornelia Syllæ Dictatoris; cui poſtremò Julia C. Cæſaris ſucceſſit, qua Cauſam dixit Gabinius, eoque damnato, C. Rabirius Poſtumus, ad quem perveniſſe pars Gabinianæ pecuniæ dicebatur. Sed operæ precium me facturum exiſtimavi, ſi pauca verba Orationis pro Poſtumo habitæ expoſuiſſem ad quoddam ejuſdem legis Juliæ Caput pertinentia; itaque ſic rem aggredior: Negabat Cicero, lege

Rep

Repetundarum Rabirium teneri, cum eſſet Eques R. & ad Senatores tantùm ea lex ſpectaret. Memmius accuſator contra affirmabat, eum teneri *Illo capite* legis Juliæ, *quo ea pecunia pervenerit*. Gabinius enim jam damnatus, in ſuarum litium æſtimatione poſtulaverat à Judicibus, ut benignè ſecum ageient, neque cogeretur ex lege duplum reddere illius pecuniȩ, quam convictus fuerat accepiſse à Rege Ptolomæo. Id porrò, cum alii multi impetraſsent: *nam quamvis*] *H S quadringenties à Verre petitum eſſet, ſeptuagies tamen dupli nomine exigi iuſſus eſt, ad gratiamne Hortenſii, an ſuam, an etiam conniventia Ciceronis, parùm comperimus*, Aſconio teſte ad Verrinam 2. impetrare ipſe Gabinius non potuit, coactus tantum reddere, quantum ab accuſatore petitum fuerat. Memmius inde arguebat: ſi noluiſsent Judices accuſari eos, ad quos ea pecunia perveniſset maximèque Rabirium, non adeò ſeveri fuiſsent in lite æſtimanda Gabinio, qui ſolvendo non erat, & aliquid detraxiſsent de ſumma decem millium talentorum; nihil autem conceſſerunt Gabinio, quia peti volebant à Poſtumo, quod ex Gabinii bonis non poſſet redigi: *Illo, inquit, capite, quod erat in Poſtumum, quòd in Gabinium Judex eſſes, nihil Gabinio datum, cum in eum lites æſtimarentur*. cur nihil datum eſt Gabinio, nihil remiſſum petenti, in litium æſtimatione? quia cum Iudex in Gabinium ſederes, videbas illo legis Capite; *Quo ea pecunia pervenerit*, Poſtumū teneri, & poſſe ab hoc exigi, quod ille ſolvere non potuiſset; proindeq; jam tùm aliquid Prȩjudicii factum eſt in Poſtumum. Manutius noſter longè aliam Interpretationem inducit: *Querebatur, inquit, Accuſator, cum Gabinius damnatus peteret, à Judicibus, ut illo legis Juliæ capite: Quo ea pecunia pervenerit, aliquid ſibi in æſtimatione litium* remiſ-

remitteretur, nihil ei conceſſum, cum concedendum aliquid videretur. Sic Cælius Epiſt.7. lib.8. *M. Servilius maxima nobis traditus erat invidia: neque Laterenſis Prætor, poſtulante Pauſania, nobis Patronis, quo ea pecunia perveniſſet, recipere voluit*. In primis non eſt veriſimile, ut Accuſator voluerit quidquam concedi petenti Gabinio, cui non tantùm bona, & dignitatem, verùm etiam Patriam, & Civitatem adimere cuperet, vitam præterea, ſi licuiſſet. Deinde non video, quare Gabinius petere à Judicibus potuerit, ut ſibi aliquid remitteretur ex illo capite, *Quo ea pecunia pervenerit;* ut ſibi nimirùm aliquid remitteretur, quod peti ab iis poſſet, ad quos ea pecunia perveniſſet. Non enim idcircò minus pecuniæ à Reo damnato petebatur, quia pars illius aliqua ab iis exigi poſſet, qui veniſſent in partem ablatæ pecuniæ; quin imò, licet multi eſſent affines ejuſdem culpæ, nihil tamen à quopiam exigi poterat, niſi cum Reus damnatus ſolvendo non erat: *Sunt lites æſtimatæ A. Gabinio, nec prædes dati, nec ex ejus bonis, quanta ſumma litium fuiſſet, à populo recipi potuit*; hinc à Poſtumo cœptum eſt peti. Quid, ſi minor litium ſumma fuiſſet? ea fortaſse recipi potuiſset à Populo ex bonis Gabinii; tùm autem nihil erat petendum à Poſtumo, cui optimè à Gabinio cavebatur, ſi obtinuiſſet à Judicibus, ut aliquid ſibi de ſumma detraheretur. Tertiò, quid ſibi vult illud allatum ex Epiſtola Cælii teſtimonium? an Servilius, ſicut & Gabinius, Repetundarum damnatus, petebat aliquid ſibi remitti, de ſumma litium, ex eodem Capite legis Juliæ? falſum eſt; nam eo legis Capite reus erat Servilius, quòd ad eum perveniſse pecunia dicebatur, poſtulante Pauſania, & per Laterenſem Prætorem ab illo periculo liberatus, accuſatus deinde à Pilio Re-

petun-

petundarum, cauſam dixit. non igitur ad rem noſtram pertinet exemplum Servilii. Hæc allucinatus eſt Manutius ad hunc locum, oblitus eorum, quę ſcripſerat in argumento Orationis, ubi habet: *Ideò Judices nihil dederunt Gabinio, quia videbant, illud ſpectare ad Rabirium*; rectè quidem hactenus, ut patet ex ſupradictis; proſequitur: *Cicero reſpondet, quod ad univerſi Ordinis Equeſtris defenſionem valeat*; hoc etiam probo, quamvis ſibi ipſe repugnet. cum enim alia non ſuppeterent argumenta, ad illud, quod erat in promptu, confugit: nullo modo Equites R. lege Julia Repetundarum teneri. quid tandem? quid ſubiicit? Ciceronis reſponſionem putat eſse hujuſmodi: *Si nihil Gabinio dederunt eo capite, certè totum ſolvendi onus, cuius ille partem aliquam transferri in eos volebat, ad quos perveniſſet ea pecunia, uni, qui damnatus iam erat, nemini prætere a imponendum cenſuerunt*. hac de re ne verbum quidem apud Ciceronem; totum fingitur ex Commentatoris ingenio. Solvendi onus illis erat impoſitum, qui damnati fuiſsent; non habentibus iis, unde ſolverent, tùm in eos quęrebatur, ad quos pecunia perveniſset. id certè præſcripſerant leges de Repetundis latæ, nòn ad Reos damnatos ſublevandos, ſed ut Populus R. tantum pecuniæ reciperet ex cujuslibet damnatione, quanta ſumma litium fuiſſet.

Sed me planè deſipere neceſse eſt, qui apud te de Romanorum legibus prolixiùs diſputo, quàm oportet. Vale III. Non. Febr. A. S. 1698.

EPI-

EPISTOLA UNDECIMA.

AD NOB. N. N. P. P.

De C. Antonii Accuſatione.

CUm paucis abhinc diebus deferendi nominis, atque inſtituendæ accuſationis rationem omnē explicares; mihi venit in mentem veteris cujuſdam Rei, de quo toties in ſuis Orationibus Tullius commemorat. Jam intelligis, à me C. Antonium ſignificari, Marci Oratoris filium, qui Catilinæ conjurationem induſtria Collegæ patefactam, armis oppreſſit. Hic ex Macedonia reverſus, & accuſatus apud Prætorem, pœnas dedit, cujus ſceleris, & qua lege, incertum eſt. quid, inquam, ſi accuſationem iterùm peragam? omnis fortaſsè controverſia tolletur. Dubitanti, ad quem potiſſimùm Quęſitorem pertraherem nobilem Reum, Tu idem mihi peropportunè occurriſti, qui & diligentèr quęrere, & judicare ſapientèr poſſes, ad utrumq; verò prętandum paratiſſimus eſſes.

P. Vatinius Tribunus pl. Cęſare, & Bibulo Coſſ. legem tulit Judiciariā, ut Reus, & Accuſator totum Conſilium, & Quæſitorem ipſum rejicere ſemel poſſent; neque tamen hujuſmodi legis beneficio uti poſſent ii, quorum nomen delatum fuiſſet ante legem hanc latam. Hoc autem videbatur caviſſe ad excludendum C. Antonium, qui jam accuſatus fuerat à Q. Fabio Maximo de Repetundis, & à M. Cælio de Majeſtate, apud duos Prætores, Cn. Lentulum Marcellinum, & Q. Claudium, qui de iis criminibus quærebant. Inhumanum propterea facinus,

nus, & ſummam crudelitatem legis illius latori exprobrat Cicero in Oratione contra eundem habita: *Expectariſne, dum C. Antonius reus fieret apud Cn. Lentulum, & Q. Claudium?* Quod ad ipſam accuſationẽ attinet, duo hic veniunt in controverſiam, fueritne Antonius de Repetundis damnatus, an de Majeſtate; & utrum Repetundarum crimen capitale eſſet, necne. de Crimine primùm, mox de Antonio videbimus. Crimen illud Capitale fuiſſe oſtendunt Viri Docti, tùm Pediani auctoritate, tùm exemplis quibuſdam. Pedianus quidem ad ea verba Verrinæ 3. *Avaritiæ ſupplicio communi*, ſubjungit: *Æſtimatione litis, & exilio*, cum pecuniaria pœna exilium quoque conjungens; conſtat autem, C. Catonem, P. Rutilium, C. Verrem, A. Gabiniũ, repetundarum damnatos exulaſſe; quibus & Cn. Dolabella à Scauro accuſatus addi poteſt, ſicut eſt in Verrinis, & C. Antonius, de quo infra. Plurima tamẽ argumenta ſunt, quę me invitum pęnè, ac reluctantem in contrariam partem propemodùm pertrahant. Primò narrat Valerius lib. 6. L. Lentulum Conſularem damnatum Repetundarum, Cenſuram poſtea Populi ſuffragiis obtinuiſſe. At, inquiunt, poſteriores leges Acilia, & Servilia crimen eſſe capitale juſſerunt, cum antea non eſſet. audio, ſed illud veriſimile non videtur, nullam à Cicerone ejus rei mentionem factam fuiſſe, cum tam multos hujuſcemodi Reos defenderit; & aliquod eſt Præjudicium in Adverſarios, ſi concedatur crimen illud aliquandò capitale non fuiſſe. Secundò, Verrem non exulaſſe, refert Plinius lib. 34. Cap. 2. quem proſcriptum dicit à M. Antonio Triumviro eam ob cauſam, quòd illi Vaſa quædam Corinthia dono dare noluerit; Verrem autem Repetundarum damnatum

EPISTOLA UNDECIMA.

AD NOB. N. N. P. P.

De C. Antonii Accuſatione.

CUm paucis abhinc diebus deferendi nominis, atque inſtituendæ accuſationis rationem omnē explicares; mihi venit in mentem veteris cujuſdam Rei, de quo toties in ſuis Orationibus Tullius commemorat. Jam intelligis, à me C. Antonium ſignificari, Marci Oratoris filium, qui Catilinæ conjurationem induſtria Collegæ patefactam, armis oppreſſit. Hic ex Macedonia reverſus, & accuſatus apud Prætorem, pœnas dedit, cujus ſceleris, & qua lege, incertum eſt. quid, inquam, ſi accuſationem iterùm peragam? omnis fortaſsè controverſia tolletur. Dubitanti, ad quem potiſſimùm Quęſitorem pertraherem nobilem Reum, Tu idem mihi peropportunè occurriſti, qui & diligentèr quęrere, & judicare ſapientèr poſſes, ad utrumq; verò prçſtandum paratiſſimus eſſes.

P. Vatinius Tribunus pl. Cęſare, & Bibulo Coſſ. legem tulit Judiciariā, ut Reus, & Accuſator totum Conſilium, & Quæſitorem ipſum rejicere ſemel poſſent; neque tamen hujuſmodi legis beneficio uti poſſent ii, quorum nomen delatum fuiſſet ante legem hanc latam. Hoc autem videbatur caviſſe ad excludendum C. Antonium, qui jam accuſatus fuerat à Q. Fabio Maximo de Repetundis, & à M. Cælio de Majeſtate, apud duos Prætores, Cn. Lentulum Marcellinum, & Q. Claudium, qui de iis criminibus quærebant. Inhumanum propterea facinus,

nus, & ſummam crudelitatem legis illius latori exprobrat Cicero in Oratione contra eundem habita: *Expectariſne, dum C. Antonius reus fieret apud Cn. Lentulum, & Q. Claudium?* Quod ad ipſam accuſationẽ attinet, duo hic veniunt in controverſiam, fueritne Antonius de Repetundis damnatus, an de Majeſtate; & utrum Repetundarum crimen capitale eſſet, necne. de Crimine primùm, mox de Antonio videbimus. Crimen illud Capitale fuiſſe oſtendunt Viri Docti, tùm Pediani auctoritate, tùm exemplis quibuſdam. Pedianus quidem ad ea verba Verrinæ 3. *Avaritia ſupplicio communi*, ſubjungit: *Æſtimatione litis, & exilio*, cum pecuniaria pœna exilium quoque conjungens; conſtat autem, C. Catonem, P. Rutilium, C. Verrem, A. Gabiniũ, repetundarum damnatos exulaſſe; quibus & Cn. Dolabella à Scauro accuſatus addi poteſt, ſicut eſt in Verrinis, & C. Antonius, de quo infra. Plurima tamẽ argumenta ſunt, quę me invitum pęnè, ac reluctantem in contrariam partem propemodùm pertrahant. Primò narrat Valerius lib. 6. L. Lentulum Conſularem damnatum Repetundarum, Cenſuram poſtea Populi ſuffragiis obtinuiſſe. At, inquiunt, poſteriores leges Acilia, & Servilia crimen eſſe capitale juſſerunt, cum antea non eſſet. audio, ſed illud veriſimile non videtur, nullam à Cicerone ejus rei mentionem factam fuiſſe, cum tam multos hujuſcemodi Reos defenderit; & aliquod eſt Præjudicium in Adverſarios, ſi concedatur crimen illud aliquandò capitale non fuiſſe. Secundò, Verrem non exulaſſe, refert Plinius lib. 34. Cap. 2. quem proſcriptum dicit à M. Antonio Triumviro eam ob cauſam, quòd illi Vaſa quædam Corinthia dono dare noluerit; Verrem autem Repetundarum damnatum

nemo inficiatur. an enim dicendum, exules etiam, nedum Cives R. proſcriptione Triumvirali fuiſſe perculſos? Tertiò, lib. 1. ad Herennium hæc habet Cicero, aut quicunque tandem illius auctor eſt: *Lex vetat, eum, qui de pecuniis repetundis damnatus ſit, in concione Orationem habere; altera Lex jubet, Augurem in demortui locum, qui petat, in Concione nominare.* Reſpondet Manutius, Rhetorem ad veteres leges, & jam abrogatas, non ad poſteriores, quibus pœna capitis inflicta eſt, reſpexiſse; cujus ego conjecturæ nō acquieſco. Cur enim, cū aliæ multæ ſuppeterent, exemplum ex abrogata lege deſumpſit? Cur legem Calpurniam de Repetundis jam abrogatam cum Domitia de Sacerdotiis, quæ manebat, temerè conjunxit? Cur de lege, quæ nulla erat, quippe è Rep. ſublata, *Vetat*, inquit, non *Vetabat*, ad tempus præteritum ſignificandum? Præterea, ſi lex Acilia crimen Repetundarum Capitale fecit, ut Adverſarii contendunt, & eadem Acilia ante Serviliam lata eſt, ut conſtat ex Verrina 3. ſequitur, Calpurniam legem per hanc alteram Aciliam abrogatam fuiſſe, antequàm Domitius jus creandorum Sacerdotum à Collegiis transferret ad Populum. tùm vero Cicero loco laudato duas contrarias leges allaturus, perperàm commemoraſset Calpurniam, *ne damnatus de Repetundis in Concione orationem habeat*, & Domitiam, *ut Augur nominet in Concione, qui petat in demortui locum*; cum jam Lex Calpurnia nulla eſſet, ſuffecta in ejus locum Acilia, ubi vigere cœpit Domitia lex de Sacerdotiis. Demùm Philip. 2. de C. Antonio: *de quo ferre, cum de reliquis ferres, noluiſti; quem etiam ad Cenſuram petendam impuliſti.* nondùm reſtitutus, Romæ adhuc erat C. Antonius, in Senatum veniebat, petebatq; Cenſuram. Quæ cum ita ſint, atque ex altera parte

Aſco-

Aſconii teſtimonium, & allata pleraque Exempla magnum pondus habeant, omnem dubitationem tollet una diſtinctio. Poſtquam Judices quempiam damnaverant Repetundarum, rursùs Accuſator, & Reus jam damnatus, de litis æſtimatione apud eoſdem Judices certabant; qui tùm poterant. altero quaſi judicio conſtituto, vel capitalem, vel pecuniariam tantùm pœnam infligere, ut iis opus eſſe videbatur. Oratione pro Cluentio: *in litibus æſtimandis ferè Judices aut, quòd ſibi eum, quem ſemel condemnarunt, inimicum putant eſſe, ſi qua in eum lis capitis illata eſt, nõ admittunt.* ſi lis capitis illata in eum, qui Repetundarum jam fuerat damnatus, à Judicibus poterat non admitti, & plerunque non admittebatur, non ſemper crimen illud Capitale erat; proſequitur: *itaque & maieſtati abſoluti ſunt permulti, quibus damnatis de pecunijs repetundis lites eſſent æſtimatæ*. ſæpe multati pecunia, Majeſtatis, hoc eſt capitis pœnam evaſerunt. Paulo poſt de Scævola Repetundarum damnato: *omni contentione pugnatum eſt, ut lis hæc capitis eſtimaretur;* poterat igitur à Judicibus condemnari capitis Scævola: *quæ res ſi rei judicatæ pondus habuiſſet, ille poſtea vel iiſdem, vel aliis inimicis reus hac lege ipſa factus eſſet*. Hic P. Septimius Scęvola damnatus eſt de Repetundis, Cicerone teſte Verrina 2. potuerat ei lis inferri capitis, ut omni contentione ab Accuſatore certatum eſt; ſed lis capitis illata ab Accuſatore, non fuit admiſſa, & pecunia multatus Civitatem non amiſit, manſitque Romæ; cum potuerit alia lege vocari in Judicium, Exul autem qui eſſet nequaquàm vocari in judicium poſſet. Jam verò objectorum ſolutio in promptu eſt. nam & Aſconius geminam pęnam crimini Repetundarum attribuit, quia utraque pendebat ab arbitrio Judicum; & multi damnati eo

crimine exulaſſe leguntur, quia lis capitis in eos illata, A Judicibus fuerat admiſſa. Præcipuè C. Cato Conſularis, cui lis æſtimata eſt tantùm HS XVIII. millibus, referente Cicerone in Verrinis, in altero illo judicio, cum de litis æſtimatione certarunt, Majeſtatis, hoc eſt capitis condemnatus eſt, adeòque in exilium pulſus ab iratis Judicibus, qui ejus culpa, & amiſſas legiones, & diminutam fuiſſe Imperii majeſtatem putabant, bello contra Scordiſcos improſperè geſto. Neque verò abnuerim, alios quoſdam exulare coactos, licèt non damnatos Capitis, quia ſoluendo non erant, ut Gabinium, ac Dolabellam; nam Verres, qui ſeptuagies tantummodo exigi juſſus eſt, ex Aſconio ad Verrinam 2. potuit ſummam illam ſolvere, & Civitatem, quodque illi reliquum erat bonorum retinere; idemque de Antonio ſentiendum, cum tamen uterque damnationis ipſius infamiam, & ſi quæ aliæ pœnę erant pręter exilium, non effugerit.

Quod attinet ad alteram partem, C. Antonium, quem in Conſulatu, ſicut etiam in Prætura, Collegam habuerat, Sociis pecuniam per vim abſtuliſſe, ſcribit Cicero Epiſt. 7. lib. 1. ad Atticum, cum ita queratur: *Antonium porrò in cogendis pecuniis dictitare, partem mihi quæri, & à me cuſtodem communis quæſtus libertum eſſe miſſum*. eundem etiam Copias trucidandas hoſtibus objeciſſe, cum ipſe turpitèr fugerit cum Equitatu, Dio tradit lib. 38. quod unum erat ex Majeſtatis criminibus. Hinc & à Cælio de Majeſtate, & à Maximo accuſatus eſt de Repetundis; utram ille Cauſam dixerit, non eſt manifeſtum. reliqui ferè omnes hanc Cælio palmam concedunt; ego dederim Maximo. De utroque Cicero non eodem loco; in ea pro Cælio: *neque enim poteſt, qui hominem Con-*

ſulárem, quòd ab eo Remp. violatám diceret, in judicium vocarit, ipſe eſſe in Rep. Civis turbulentus. cur vocatum in judicium Antonium à Cælio, non item damnatum commemorat, quod ei multo glorioſius fuiſſet? In Vatinium: *Dices familiaritatem tibi fuiſſe cum Q. Maximo. præclara defenſio facinoris tui; nam Maximi quidem ſumma laus eſt, ſumptis inimicitiis, ſuſcepta cauſa, Queſitore, conſilio delecto, commodiorem inimico ſuo contentionem rejectionis dare noluiſſe*. Qui cauſam ſuſceperit, Quæſitorem, Conſiliumque delegerit, Judicum rejectionem fieri noluerit; videturne inimici nomen tantùm detuliſſe, an ipſam etiam accuſationem peregiſſe? Quamobrem Juvenalis Sat. 8.

Inde Dolabella eſt, atque hinc Antonius, inde
Sacrilegus Verres, referebant navibus altis
Occulta ſpolia, & plures de pace triumphos.

Poeta mentionem Antonii fecit, non quia Senatu motus fuerat à Cenſoribus propter ſpoliatam Achajam, ut opinatur Farnabius; ſed quia Repetundarum damnatus fuerat à Q. Maximo æquè, ac Dolabella à M. Scauro, Verres à M. Tullio. Sępe fieri ſolebat, ut idem pluribus eodem tempore legibus interrogaretur, qui ſi in primo, quod de co exercebatur, judicio damnaretur præſens, dicta jam Cauſa, in reliquis abſens damnabatur. Gabinium abſolutum de Majeſtate, damnavit Memmius de Repetundis; Milo apud Aſconium præſens damnatus de Vi lege Pompeja, poſtero die damnatus eſt etiam de Ambitu, & poſt paucos dies de ſodalitiis, iterùmque lege Plautia de vi, cum abſens eſſet. C. Antonio idem contigit, ut victus à Maximo in judicio Repetundarum, & ea lege damna-

 tus,

tus, abſens deinde condemnaretur à M. Cælio de Majeſtate; non tamen in exilium ire coactus, quòd abſentes damnati non eandem, ac reliqui fortaſſe pœnam ſubirent. vel certè accuſationem ſuam Cælius abjecit, ubi vidit inimicum de Repetundis condemnatum.

In Cæliana hoc præterea habetur de C. Antonio: *Cui miſero præclari in Remp. beneficii memoria nihil profuit; nocuit opinio maleficii cogitati*. Inde colligit Manutius, damnatum à Cælio fuiſſe C. Antonium, quippe Coniurationis participem, & contra opinari Dionem tradit; quęram ſtatim de crimine, & cauſa damnationis, neque omittam reſpondere de Dione. Cum duo fuerint Accuſatores Antonii, Q. Fabius Maximus, qui de Repetundis, & M. Cęlius, qui de Maieſtate nomen illius detulit; cumque Reus ſemel in judicio Capitis (voco Judicium capitis, non cujus pœna eſſet exilium, ut ſupra, ſed in quo ageretur de fama, fortuniſque alicujus) pręſens damnatus, ſalute jam deſperata, adeſſe iterùm negligeret, ſi apud alios Prętores etiam poſtularetur, ut paulo ante dictum eſt, niſi abiiceret accuſationem Adverſarius; neceſſariò conſequitur, Accuſatorum alterum detuliſſe quidem Antonii nomen, non autem ad accuſandum acceſſiſſe; alterum & detuliſſe nomen, & accuſationem ipſam peregiſſe. Jam verò ex Oratione in P. Vatinium oſtendi, Q. Maximum eum fuiſſe, qui Quęſitore, & Conſilio delecto, & rejectione Reo denegata, utrumque pręſtiterit, & Antonium Repetundarum damnaverit; Cælium proinde in damnatum, & abſentem, Eloquentiæ ſuę periculum facere non potuiſſe. Cicero ipſe hoc idem innuere videtur; qui, licèt in eo ſit aſſiduus, ut Cælii facundiam ſummis efferat laudibus, nihil tamen
de

de tam celebri accuſatione commemorat: *audiſtis*, inquit, *cum pro ſe diceret; audiſtis antea, cum accuſaret* (Patrem Atratini de ambitu accuſaverat) *genus orationis, facultatem, copiam ſententiarum, atque verborum, quæ veſtra prudentia eſt, perſpexiſtis*. cur non & illud addidit: audiſtis, cum triennio ante accuſaret Antonium? hoc erat reipſa præclarum, damnato Reo, & eo magis glorioſum, quòd illo tempore ſpecimen ſui hujuſmodi dediſſet, quo libidinosè, & luxuriosè vixiſſe arguebatur. Sed fuerat Cælii maxima laus, cum hominem Conſularem, delato nomine, accuſavit; ſors ita tulerat, ut poſt actam à Maximo cauſam, nullà ipſe oratione uti poſset. Huius diſputationis concluſio talis eſt: Si damnatum C. Antoniū Repetundarum fatemur à Q. Fabio; ergo neq; damnationis cauſa transferri poteſt in crimen ſeu coniurationis, ſeu proditionis, hoc eſt Majeſtatis; neque ea verba Ciceronis: *cui nocuit opinio maleficii cogitati*, referuntur ad accuſationem Cælii, quæ peracta non fuit, ſed ad Fabii actionem de Repetundis. Deinde, illud æquè perſpicuum eſt, omnes, quicumque conjuraſse cum Catilina dicebantur, cauſam de Vi publica dixiſse Lege vel Plautia, vel Lutatia, quod negari non poteſt, ſi qua Ciceroni, ac Salluſtio ſit fides. at de Majeſtate accuſatum fuiſse Antonium à Cælio, quis non affirmat? cujus Quæſtionis proprium crimen non erat conſcientia Conjurationis; cumque Cælius acerbiori lege Lutatia poſtulare illum poſset, nunquàm præoptaſset mitiorem de Majeſtate. Quæris, quo modo opinio maleficii cogitati nocuerit Antonio? In eadem Cæliana fit mentio M. Camurtii, & C. Eſernii, qui damnati fuerant de Vi, de quibus hæc ſubiungit Orator: *qui quamquàm lege de Vi certè non tenebantur, eo maleficio tamen erant implicati, ut ex nullius*

legis laqueis emittendi viderentur. ad cujus ſententiæ normam ita paulo poſt Cælii innocentiam tuetur: *cui neque proprium Quæſtionis crimen obiicitur*, ut ſit à juratis Judicibus neceſſariò damnandus: *nec verò aliquid ejuſmodi, quod ſit à lege ſejunctum, & cum veſtra ſeveritate coniunctum*, ut in odium aliorum facinorum damnari utcumque jure poſſit. Accuſator ablatas à Sociis contra leges pecunias repetebat, quod erat proprium crimen Quæſtionis; abſolutus fortaſſè Antonius fuiſset crimine Repetundarum, niſi ea opinio præoccupaſset animos Judicum, conjuraſse illum cum Catilina. Quamobrem illa verba de Cælio: *hoc dico; non modò ſi ſocius conjurationis, ſed niſi inimiciſſimus iſtius ſceleris fuiſſet, nunquam conjurationis accuſatione adoleſcentiam ſuam potiſſimùm commendare voluiſſet*, indicant, cum à Cælio fuiſse de Majeſtate accuſatum, quem opinio erat, cum Catilina de evertenda Patria cogitaſse. Duo ſcilicet inter ſe conferuntur, memoria beneficii in Remp. collati, cum armis Catilinam oppreſſit, & opinio maleficii cogitati, quòd putaretur conſenſiſse cum Catilina. illud infirmare accuſationem debuerat; ſed hoc alterum potiùs, cum plus apud Iudices valuiſset, totam defenſionem evertit. Quo enim nomine vocabatur à Cælio in judicium Antonius? *quòd ab eo Remp. violatam diceret*, quòd legiones in Macedonia trucidandas hoſtibus obieciſſet. Coniurati non violaverant Remp. at de ea violanda cogitaverant; diminuta Jmperii Majeſtate, Reſp. læditur. Oratione pro Flacco: *oppreſſus eſt C. Antonius; eſto. habuit ille quandam infamiam ſuam; neque tamen ille ipſe (pro meo jure dico) vobis Judicibus damnatus eſſet, cujus damnatione Sepulchrum L. Catilinæ floribus ornatum hominum audaciſſimorum, ac domeſticorum hoſtium conventu, epuliſque celebratum eſt. juſta Catilinæ*

tilinæ facta ſunt. An, ſi Catilinariæ conjurationis nomine periiſſet, juſta Catilinæ facta illius damnatione putaſſent? habuit ſcilicet quandam infamiam, qua oppreſſus, Repetundarum damnatus eſt. infamia ſtupri Vettiani effecerat, ut Camurtius, & Eſernius damnarentur de Vi; & patefacta coniuratione, non modò Antonium, ſed P. Syllam, C. Cæſarem, M. Craſſum hæc ipſa attigit infamia. Vis ipſa verbi notanda eſt; Cicero: *Qui iſtius facti non modò ſuſpicione, ſed ne infamia quidem eſt aſperſus*; ſi nemo in ſuſpicione damnandus videtur, multo minus in infamia. Nunc demum, quæ ſit Dionis ſententia, videamus: poſtquàm enim lib. 38. male adminiſtratam ab Antonio Provinciam retulit, proditaſque pedeſtres copias, cum ipſe fugiſſet cum Equitatu, ſubiicit: *neque tamen his de cauſis in Judicium pertractus, ſed cum Catilinariæ conjurationis conſcius accuſaretur, ob prædictas res damnatus eſt*. ex quo apparet, idem illum cum Manutio, non diverſa ſenſiſſe, adeòque utrumque ſimul hactenùs confutavimus.

Jam peroravi; quin ſtatim ſententiam feras, nihil moror. Vale. kal. Dec. A. S. 1698.

EPISTOLA DECIMASECUNDA.

AD NOB. N. N. P. P.

De Judicio inter Sicarios.

Sicarios, humani generis inimicos, & Reip. peſtem, alii legibus, alii vi, atque armis, quidam etiam Oratione, & doctrina, ut è Civitatibus videremus expulſos, effecere. Quod ad nos attinet, quàm ſapienter Majores noſtri acerrimas in nefarios homi-

nes

nes Quæſtiones conſtituerunt! quantis aliquandò ſumptibus ad illorum audaciam refrænandam, Duces, atque Exercitus compararunt? nec defuere, qui ex hoc ipſo loco, quem tu jure tenes, magnitudinem ſceleris, gravitatemque ſupplicii dicendo explicarent. Horum Succeſsor es, Vir præſtantiſſime, à Veneto Senatu delectus, quantaque cum laude omnium expectationi reſpondeas, nemo profectò eſt, qui non videat. Quem igitur appellem potius? cui me commodiùs in hoc eodem literaturæ genere quodammodo verſantem, commendem? itaque facio, quod Cauſa ipſa poſtulat. Quæram autem quatuor tantummodo hoc loco. 1. quotuplex fuerit Vis. 2. an quęlibet Vis, ita ſumpta, ut vulgò ſolet, eſſet contra Remp. 3. diſcrimen inter vim publicam, & privatam. 4. Iudicia inter Sicarios, ſeu de Vi, & de Majeſtàte qua ratione differrent inter ſe.

Oratione pro A. Cæcina, qui, ſponſione facta, cum Æbutio certabat de Prætoris Jnterdicto, ut reſtitueretur, unde vi, & armis ab Adverſario dejectus fuerat; ita legimus: *In illa Vi quotidiana non ſatis eſſe poſſe docere ſe dejectum*. Quærimus, quænam ſit hæc vis, quam Cicero quotidianam vocat; nam omnes ferè Interpretes exiſtimant, eam eſse, quæ uſitata, legitima, & moribus fieri dicitur. Quo veritàs evidentiùs pateat, tria genera hujuſce Vis aſſignanda ſunt; Vis prima erat, cum, orta, puta, de fundo, inter duos controverſia, Amici recognita judicabant, uter de fundo vi, & moribus deduceretur, cederetque alteri ejuſdem poſseſſionem, & hæc dicebatur legitima, & moribus facta Vis. Hinc in Narratione: *Placuit Cæcinę de amicorum ſententia conſtituere, quo die in rem preſentem veniretur, & de fundo Cæcina moribus deduceretur*; cederet fundi poſseſſionem Æbutio,

butio, ſi ſecundùm Æbutium amici judicaſsent. in extrema Oratione : *Ipſe porrò Cæcina cur ſe moribus deduci volebat?* Altera erat, cum per Vim quidem, & non legitima ratione, ſed tamen ſine armis, & ſine coacta multitudine, quiſpiam aut deiiciebatur de fundo, aut prohibebatur intrare in fundum. De hac Cicero loquitur loco citato & dicitur quotidiana, quia ſæpiſſimè, & propemodùm quotidie Vis hujuſmodi fieri ſolebat. Ille, cui talis Vis facta fuerat, per Interdictum Prætoris reſtituebatur, quod propter eandem cauſam quotidianum vocatur, addita exceptione : ſi dejectus poſſideret. Ex duobus enim utrumque docere debebat; ſe vi dejectum fuisſe, & cum ipſe poſſideret; & cum ab eodem illo ſuo Adverſario neque vi, neque clàm, neque precariò poſſideret. Cicero: *itaque is, qui ſe reſtituiſſe dicit, magna voce ſæpe confiteri ſolet, ſe vi dejeciſſe; verùm illud addit, Non poſſidebat;* en prima pars Exceptionis de poſſeſſione. ſequitur & altera de poſſeſſione adverſarii non legitima : *vel etiam cum hoc ipſum conceſſit, vincit tamen ſponſionem, ſi planum facit, ab ſe illum aut vi, aut clàm, aut precario poſſediſſe.* Tertia Vis armis fiebat; & coacta multitudine, quod non ita uſitatum erat. huic occurrebat Interdictum Prætoris de armatis hominibus, quo dejectus reſtituebatur etiamſi antea non poſsediſset, ut in Narratione : *P. Dolabella Prætor interdixit, ut eſt conſuetudo, de vi hominibus armatis, ſine ulla Exceptione.* Quod inſtitutum puto in pœnam armorum, quibus uti contra inermem, ne pro retinenda quidem poſſeſſione, licebat. Cæterùm de prima illa Vi non eſse prælibatum locum intelligendum, multa perſuadent. Primò, qui de amicorum ſententia cedere fundi poſſeſſionem cogebatur, non deiici, ſed

dedu-

deduci dicebatur de fundo. ſecundò, Judicium Amicorum omnem controverſiam tollebat, neque opus erat Prętore. tertiò, ſi vis illa erat legitima, & moribus facta, cur ad eam compeſcendam interponebatur Prætoris Interdictum? quartò, Is defenſionibus egebat, qui legibus, & moribus obtinebat aliquid? nam Cicero ait: *videtiſne, quot defenſionibus eum, qui ſine armis, ac multitudine vim fecerit, uti poſſe Majores voluerunt?* quintò, ſi prima Vis intelligitur, cur illius alterius, quæ ſine armis quidem, at contra leges, & mores fieret, nullam mentionem facit Orator?

Sed hæc omnis Vis ad Jus Prætorium, & ad privatas Cauſas pertinebat; illam multo iniquiorem, quæ pœna Capitis illata, vindicabatur, quanto fuiſſe Reip. detrimento putamus? *Non enim eſt ulla defenſio contra Vim unquam optanda*, Cicero in Miloniana; quæ quidem verba aliquantò accuratiùs examinanda ſunt. Objectum Adverſariorum erat, Milonem jam à Senatu condemnatum fuiſſe, cum cædem in Appia via factam, eſſe contra Remp. judicaſſet. Quod ut diluat Orator, primùm exemplis quibuſdam oſtendit, omnē quidem cædem eſſe contra Remp. aliquam tamen laude dignam, & Reip. utilem videri: ipſum deinde Sen. Conſultum interpretatur. Si quis, inquit, hac defenſione utatur, hominem à ſe interfectum eſſe in repellenda vi, aut ſibi, aut Patrię illata; rem ille defendit, quę Remp. lędit, quippe uno Cive orbatam, quę certè quoquo modo excuſanda eſt: *Non enim eſt ulla defenſio contra vim unquàm optanda, ſed nonnunquàm eſt neceſſaria*. Sequitur Approbatio; Gracchorum cædes, & Saturnini fuit è Rep. & contra Remp. quæ & priſtinum ocium illorum morte recuperavit, & in ſuis Civibus interfectis, qualeſcumque tandem ii

fue-

fuerint, grave vulnus accepit: *Niſi verò aut ille dies, quo Ti Gracchus eſt cæſus, aut ille, quo Cajus, aut quo arma Saturnini oppreſſa ſunt, etiamſi è Rep. Remp. tamen non vulnerarunt*. Concludit eodem modo Senatum, & de cæde Clodii cenſuiſſe; additque interpretationem illius Sen. Conſulti: Ille procul dubio contra Remp. facere videtur, qui vi utitur, & facit alteri inſidias. cum perſpicuum foret, vim, & inſidias ineſſe in cæde, quæ facta fuerat in Appia via, non conſtaret autem, uter eas feciſſet, Clodiuſne, an Milo; decrevit Senatus, vim illam, & inſidias eſſe contra Remp. criminis cognitionem Judicum poteſtati permiſit: *Itaque ego ipſe decrevi, cum cædem in Appia via factam eſſe conſtaret, non eum, qui ſe defendiſſet, contra Remp. feciſſe; ſed cum ineſſet in re vis, & inſidiæ, crimen Judicio reſervavi, rem notavi*. Tota enim Oratione contendit, Clodium inſidiatorem fuiſſe, non Milonem, ad quem proinde decretum illud Senatus nihil pertineat.

Ad ipſam Quæſtionem jam propiùs accedo, Judicium de Vi, ſeu inter Sicarios, quodnam, & quotuplex eſſet, explicaturus. Cn. Domitius Caluinus, qui, biennio elapſo, Conſul deinde fuit cum M. Meſſala, quærebat de Vi publica, cum eſſet Prætor, anno V. C. 694. Marcellino, & Philippo Coſs. ut colligitur ex Oratione pro Cælio. at idem quæſivit etiam de Ambitu; quod habetur ex Epiſt. 3. lib. 2. ad Q. Fratrem: *ad III. Id. Febr. dixi pro Beſtia de Ambitu apud Prætorem Cn. Domitium, in foro medio*. An poterat unus Prætor de duobus criminibus quærere, & pro paucitate Cauſarum ſufficere? Præterea dixit cauſam de Vi publica hoc eodem anno P. Sextius, apud Prætorem M. Scaurum; an una Quæſtio à duobus Prætoribus exerceba-

ceba-

cebatur, Domitio ſcilicet, & Scauro? Perdifficilis videtur eſse controverſia; ſi enim duobus criminibus unus Prætor ſufficiebat pro paucitate Cauſarum, cur de eodem crimine duo Prætores quęrunt, eodem anno, quos nominavi? Si verò ita multi accuſabantur de Vi, ut unus tantùm non ſufficeret, cur Domitio de Vi quærenti, etiam Quæſtio de Ambitu mandatur? Orationis in Vatinium hæc ſunt verba: *Maximi quidem ſumma laus eſt, ſumptis inimicitiis, ſuſcepta cauſa, Quæſitore, Conſilio delecto, commodiorem inimico ſuo contentionem rejectionis dare noluiſſe*. Reus igitur poterat per legem Vatiniam de alternis Conſiliis reiiciendis latam, ſicut & Accuſator, Judices omnes, & ipſum Quæſitorem reiicere. quod C. Antonio concedere noluerat Maximus accuſator, jam Quæſitore, & conſilio delecto. Qua quidem rejectione per P. Vatinium Tribunum pl. Cæſare Conſule conſtituta, nemo non videt, & ad unum Prætorem Quæſtiones diverſas, & unam, eandemque Quæſtionem ad plures Pręrores, ut Reis, & accuſatoribus videretur, eodem anno pertinere potuiſse. Hoc ipſum tamen Judicium cujuſmodi fuerit, videamus: Si quis levem aliquam feciſſet iniuriam, poſtulabatur Iniuriarum, actione videlicet privata, & quaſi civili; quam innuit Cicero, ubi ad obiectum de attrectatis à Cęlio quorumdam Vxoribus, reſpondet in illius defenſione: *Cum ſit bis confitendum, nunquàm ſe ne congreſſu quidem, & conſtituto cœpiſſe de tantis iniuriis experiri*. non modo actione Iniuriarum, ſed ne congreſsu quidem. At ſi gravis videretur vis illata, quod Crimen capitale erat, Judicium lege de Vi, ſeu inter ſicarios conſtituebatur; idque multo ante Dictatorem Syllam, qui veterem legem Sempronam reſtituit. Ex quo tempore cœptum eſt quęri le-

ge

ge Cornelia in illos, qui non modò interfeciſsent hominem, ſed etiam gladium tuliſsent cauſa hominis interficiendi. Philip. 3. *Qui cum hoc ipſo tempore ſtent cum gladiis in conſpectu Senatus; ego quoque te diſertum putabo, ſi oſtenderis, quo modo ſis eos inter Sicarios defenſurus*. & in Miloniana: *niſi fortè, quia perfecta res non eſt, non fuit punienda; perinde quaſi exitus rerum, non hominum conſilia, legibus vindicentur*, de ſeruo Clodii, qui voluerat Pompejum occidere. Quo loco Alexander ab Alex. à germana Oratoris ſententia aberrare videtur; cum illud non ad legis ipſius vim referendum putet, ſed ad Pompeii perſonam maximè Reip. utilem. De Vi privata hactenùs, nam ad comprimēdos ſediciosorum Civium conatus, duæ deinde leges latę ſunt de Vi publica. altera Plautia à M. Plautio Silvano Tribuno pl. Strabone, & Catone Coſs. anno V. C. 661. altera Lutatia undecim poſt annos à Q. Lutatio Catulo Conſule. Quid hę leges pręſcriberent, habetur initio Orationis pro Cælio: *Cum audiat eſſe legem, quæ de ſediciosis, conſceleratiſque Civibus, qui armati Senatum obſederint, Magiſtratibus vim attulerint, Remp. oppugnarint, quotidie quæri jubeat*. quę porrò lex aliquàndò Lutatia dicitur, ut extrema Oratione: *quam legem Q. Catulus, armata diſſenſione Civium, Reip. pænè extremis temporibus, tulit*; aliquandò Plautia, ut apud Salluſtium de L. Catilina: *& ipſe lege Plautia interrogatus erat à L. Paulo*. Epiſt. 7. lib. 8. *M. Tutium accuſatorem ſuum, poſt ludos Romanos, reum lege Plautia de Vi fecit, hoc conſilio, quòd videbat, ſi extraordinarius nemo reus acceſſiſſet, ſibi hoc anno cauſam eſſe dicendam*. Videtur enim repudiandus Calvinus, qui pro lege Plautia corrigit in Salluſtio Lutatia; cum illa lectio aliis etiam confirmetur exemplis. Quid verò gemina lege opus erat, ſi quidem tam pęna, quàm

cu'pa

culpa eadem eſt? ut proinde ſuſpicer, Quæſtionem illam de Vi conſtitutam fuiſſe à M. Plautio, extraordinariam factam à Catulo; alioquin M. Tutius extraordinarius Reus æquè, ac Cælius interrogatus fuiſſet lege Lutatia, non Plautia, ſi Catulus vel crimen immutaſſet, vel pœnam. Itaque in hac de Vi publica Quæſtione non ſolùm illud erat extra ordinem, ut *Quotidie*, feſtis quoque diebus, & ante reliquas Cauſas haberetur; quorum alterum ex Cæliana, alterum ex laudata Epiſtola colligitur; ſed etiam, ut non multo ante, non à Prætore, ſed repentè, & ab Accuſatore Judices deligerentur. Catilinariæ conjurationis conſcii, Silano, & Murena Coſs. qua lege in exilium pulſi ſunt? Lutatia de Vi; infrà hac ipſa Oratione pro Cælio: *quæque lex, ſedata illa flamma Conſulatus mei, fumantis reliquias Conjurationis extinxit*. eadem lege poſtulatus eſt P. Sylla, quem cum Cicero defenderet, ſic in Peroratione miſericordiam Judicum imploravit: *Vos, & rejectione interpoſita, nihil ſuſpicantibus nobis, repentini in nos Judices conſediſtis ab Accuſatoribus delecti ad ſpem acerbitatis*. Quorſum hæc? nimirùm ut omnes intelligant, in eo Judicio, in quo tam multa extraordinaria eſſent, tempus, actio ipſa, & Judicum delectus, Quæſitorem etiam deligi extra ordinem potuiſſe; & hanc fuiſſe cauſam, ſi nolimus ad legis Vatiniæ rejectionem confugere, cujus re ipſa incerta ſententia eſt, cur eodem anno duo Prætores de Vi publica quæſierint, quorum alter Quæſtioni quoque de Ambitu præfuerit; quòd nullus eſſet certus Prętor conſtitutus lege Lutatia, ab Accuſatore ſimul cum Judicibus deligendus. Hęc volui in medium afferre, ut quiſque ad eam ſententiam, quæ ſibi probabilior videretur, data optione, libens accederet.

Poſt

Poſt ejectum Catilinam, & ſumptum de Conjuratis, qui deprehenſi fuerant, ſupplicium, ſedata eſt flamma illa, qua univerſa Reſp. Cicerone Conſule, pæne exarſerat; quædam tamen fumantis Conjurationis reliquiæ adhuc ſupererant, cum alii multi conſpiraſſe in exitium Patriæ putarentur. Quapropter Silano, & Murenâ Coſſ. accuſati Lutatia lege de Vi publica, & Judicum ſententiis damnati, pulſi ſunt in exilium Varguntejus, Ser. Sylla, P. Lentulus, M. Læca. Cornelius, Autronius; qui omnes in Oratione pro P. Sylla enumerantur. In Cæliana, de lege Lutatia: *quæque lex, ſedatâ illa flammâ Conſulatus mei, fumantis reliquias Conjurationis extinxit*. Nam, quod Commentator, ſæpè in ſuperioribus etiam, non tamen nominatim, reprehenſus, exiſtimat, reliquos conjuratos ſignificari, qui pulſo Catilina, in Urbe remanſerant, & eos dici damnatos Lege Lutatia, ut ſe Orator invidia liberet, mihi nullo modo probatur. Cur hoc genere excuſationis alibi etiam non utitur? cur ubique à ſe interfectos Conjuratos fatetur, auctore Senatu; nunc demùm lege damnatos affirmat? an lex aliqua Romæ erat, quæ mortis pœnam infligeret? quis atrocem adeò Lutatiam fecit? an verò poſt Catilinæ profectionem, omnis incendii flamma ſedata eſt? Contra Oratione pro Flacco: *ò nox illa, quæ penè æternas huic Urbi tenebras attuliſti, cum Galli ad bellum, Catilina ad Urbem, conjurati ad ferrum & flammam vocabantur!* hæc igitur adeò funeſta, ut habet Orator, non fumantis, ſed vehementer ardentis Conjurationis ſpecies eſt. Reſtat ea difficultas, eſſet ne Lex Lutatia propriè de Vi lata, an de Majeſtate, ſicut quidam tradidere adducti, ut opinantur, auctoritate Ciceronis pro Cælio: *qua lex ad imperium, ad Majeſtatē, ad ſtatum Patriæ, ad ſalutem omnium pertinet;* & ejuſdem

Orationis initio: *cum audiat eſse legem, quæ de ſedicioſis, conſceleratiſque Civibus, qui armati Senatum obſederint, Magiſtratibus vim attulerint, Remp. oppugnarint, quotidiè queri jubeat*; hæc ad Majeſtatem pertinere videntur. Verùm notandum eſt, duas diverſas Quæſtiones fuiſſe, de Vi publica, & de Majeſtate; duabus diverſis legibus conſtitutas, quaſque duo diverſi Prętores ita exercerent (niſi quid fieret contra Ordinem) ut unus alterius attingere Provinciam non poſſet. Hinc de Vi ſemper, nunquàm de Majeſtate dicitur Cælius accuſatus lege Lutatia; de Vi Catilina apud Salluſtium lege Plautia; de Vi M. Tutius eadem lege, Epiſt. 7. lib. 8. At contra de Majeſtate Stalenus, & Bulbus Oratione pro Cluentio, de Majeſtate C. Cornelius apud Aſconium ex lege quidem Cornelia, & apud Quæſitorem P. Caſſium, cum eodem anno de Vi quærerent Flaminius, & Plętorius; de Majeſtate Gabinius, Epiſt. 1. lib. 3. ad Q. Fr. accuſati dicuntur, de Vi cauſam eos dixiſſe nuſquàm legimus. Quæ duo Crimina Romæ fuerunt, nos recentiores unum, & idem faciemus? deque diversis criminibus eandem Lutatiam legem fuiſſe latam, contra omnium Veterum auctoritatem putabimus? De Vi nomen P. Sextii detulit Albinovanus. quid obiiciebat? Sedicionem in Urbe concitatam, paratamque Gladiatorum manum, qua Senatum obſederat, Magiſtratibus vim attulerat, Remp. oppugnaverat. ſi legionem ſolicitaſſet, ſedicionem in exercitu conflaſſet, Tribunitiæ Interceſſioni non paruiſſet, aut aliud quippiam feciſſet, quo majeſtas Imperii diminui videretur; fuiſſet illi de Majeſtate cauſa dicenda. Hinc habes, Legem Corneliam Majeſtatis caviſſe Imperio, Magiſtratibus, & Exercitibus; Lutatiam; ſive Plautiam de Vi, ipſius Urbis ſaluti conſuluiſſe, ac liber-

libertati. cui cum inſidias paraſsent Catilinariæ conjurationis conſcii, eadem lege damnati ſunt, Salluſtio etiam teſte in Ciceronem: *Cum legis Plautiæ judicia domi faciebatis; ex conjuratis alios pecunia condemnabas*, & cæt. videlicet poſt Conſulatum, quo tempore alios ex conjuratis condemnaſse arguebatur pecunia, alios abſolviſse; quòd illos quidem ab Indicibus nominatos prodiderat, hos autem prçterierat, cum utrorumque eſset cauſa communis; vel certe quòd Autronium teſtimonio læſerat, Syllam conſcium ejuſdem criminis defenderat. Quæ judicia cum Cicero habita fuiſſe dicat lege Lutatia, Salluſtius lege Plautiâ; eo magis adducor, ut putem, à Plautio ordinariam de Vi publica Quæſtionem conſtitutam fuiſſe; Catulum illud unum addidiſſe, ut quotidie quæreretur, & eſset extraordinaria; eandemque proinde legem quodammodo viſam fuiſse, cum utraque idem crimen, idemque Judicii genus reſpiceret.

Ludicra hæc, & puerilia; te verò nulla, niſi quę Virum deceat, meique exuperet, hoc eſt mediocris ingenii facultatem, diſputatio delectat. Vale. III. Kal. Dec. A. S. 1697.

EPISTOLA DECIMATERTIA.

AD NOB. N. N.

De Judicio Ambitus.

LUxu Civium, & Ambitu, occultis veluti quibuſdam cuniculis oppugnatam Romanā Remp. corruiſse, Sapientes omnes conſentiunt. Illum quidem neglexerant jam ab initio, falſo ſplendoris, & Liberalitatis nomine Vitii declinantes invidiam. huic verò, quem perniciosum forę Civitati negare non pote-

rāt legibus latis, certos præſcripſere terminos, quibus contineretur. Irrito planè conatu; cum ex effrænata luxuria effuſa largitio, ex largitione immanis exiſtat in liberis Populis Ambitus neceſſe ſit. At quęnam eæ tandem leges fuere, quibus tantam hominum corruptelam poſſe utcumque cohiberi putarunt? hoc ipſum in diſputationem venit, quam te coram per Epiſtolam certum eſt pertractare, æquiſſimo Judice; ſive amplitudo generis, animique moderatio ſpectetur, qua neminem ad honores contendere non legitimo curſu patiaris; ſive eruditionis, doctrinæque ratio habeatur, quæ te in judicando errare non ſinat.

Primam de ambitu legem à *C.* Pætelio Tribuno pl. latam fuiſſe, auctoribus Patribus, refert Livius lib. 7. anno V. *C.* ut ipſe habet, 397. *eaque rogatione*, inquit, *novorum maximè hominum ambitionem, qui nundinas, & conciliabula obire ſoliti erant, compreſſam credebant*. Aliæ quoque deinde latæ ſunt, ſed, qui mos illorum temporum erat, nulla addita pœna, nullaque inſtituta Quęſtione; ac demùm aliquantò ante Syllam Judicia publicâ haberi de Ambitu cœpta ſunt, ea condicione, ut damnati ſpoliarentur honore, quē adepti fuiſſent contra leges. Sed cum hæc minora malis viderentur remedia, C. Piſo conſul anno poſt R. *C.* 683. tulit: *ut qui Magiſtratum ambiſſent, omnium bonorum petitione, & ſenatu carerent;* cumque propter multitudinem Diviſorum, qui per vim adverſabantur, *C*omitia habere non poſſet, edixit, quaſi extremo, ac difficillimo Reip. tempore: *qui Rempublicam ſalvam eſſe vellent, ut ad legem accipiendam adeſſent*, teſte Cicerone Oratione pro *C.* Cornelio. Quāplures ſtatim lege illa Calpurnia damnati ſunt, maximèque Sylla, & Autronius Conſules Deſignati; quibus omnibus neque nova peti-
tio

tio, neq; aditus in Curiam dabatur. Quadriennio poſt in gratiam Ser. Sulpicii candidati Conſulatus, ſive potiùs ad comprimendos Catilinę conatus, Cicero ipſe ex S. C. legem aliam tulit, cum eſſet Conſul, Superiorum omnium ſeveriſſimam, cujus tria, quę ſunt prę-cipua capita, habentur Oratione pro Murena: *Pœna gravior in Plebem tua voce efflagitata eſt; commoti animi tenuiorum;* quippe qui ſuffragia vendere ſolerent, & hac ratione magnum quotannis lucrum facere. in eos igitur, qui ſe Comitiis corrumpi ſinerent, multo gravior, quàm antea, pęna conſtituta eſt: *Exilium in noſtrum Ordinem*. ſoli enim ſenatores lege de Ambitu tenebantur, cum ii tantùm ad petendos Magiſtratus accederent; cumque damnati & Ordinem, & jus petendorum honorum antea amitterent, Tullia lex decem annorum exilium addidit: *Morbi excuſationi pœna addita eſt*. hoc tertium obſcurum eſſe quibuſdam videtur, & explanatione indigere. Manutius itaque: *videtur*, inquit, *Servius & petiiſſe à Senatu, & obtinuiſſe, ut lex ferretur de cogendis omnibus ad Comitia Conſularia, pœna addita, ſi quis morbum excuſaret*. Quàm multa inde conſequerentur abſurda? 1. Eos etiam coactos fuiſſe Comitiis adeſſe, qui malè valerent, cum unuſquiſque impunè abeſse poterat, licèt nulla excuſatione uteretur. 2. Cum res ipſa per ſe eſt odioſa, tùm multo magis ob graviſſimam pœnam: *aut incommodo morbi etiam cæteri vitæ fructus relinquendi*, Oratoris verba ſunt. neceſse erat, ut vel morbo perirent, vel, ſi convaluiſsent, pulſi in exilium, omnia amitterent cum Civitate. 3. Non rectè Cicero dixiſſet, eo Legis capite multorum voluntatem offenſam. an quiſquam eſſe poterat, qui non offenderetur? hoc eſt qui non metueret fore aliquando, ut ipſe quoque.

Digitized by Google

Comitiorum tempore morbo aliquo impediretur? 4. Vt alia miſſa faciam quamplurima; ſuoſne, an Competitorum Suffragatores cogebat venire in Campum Sulpicius? ſi ſuos; repererat nimirùm, qua optima ratione eorum ſibi voluntates conciliaret. ſi ſuffragatores competitorum; ſcilicet, ut quo major eſset aliena ſuffragatio, de repulſa ipſe certior foret. Cęterùm ex Tit. 7. duodecim Tabularum, quanti momenti eſset in Judiciis excuſatio morbi, colligitur: *Si Judex, vel alteruter ex litigatoribus morbo ſontico impediatur, dies Judicii diffuſus eſto*. Quod non in privatis tantùm Cauſis, ſed in publicis etiam, & Populi Judiciis ſervatum fuiſſe teſtatur Cicero Oratione pro Domo ſua: *Denique etiam, ſi qua res illum diem* (quo judicium de Capite alicujus fieri debet) *aut auſpiciis, aut excuſatione ſuſtulit, tota cauſa, judiciumque ſublatum eſt*. excuſatio autem vel ex morbo deſumebatur, vel ex funere domeſtico, ut innuitur in ea pro Rabirio Perduellionis Reo. Hac morbi excuſatione ne uti poſſent, accuſati de Ambitu, lege Tullia cautum eſt; ut pro damnatis haberentur, qui eam prætendentes cauſam, judicii dilationem quærerent, donec ineundi Magiſtratus dies adventaret. Quare in Peroratione non diſſimulat Cicero, Murenam malè valentem, dicere tamen Cauſam coactum fuiſſe vi novæ legis: *Obſecro, Judices, ut ne hominis miſeri, & cùm corporis morbo, tùm animi dolore confecti, L. Murenæ recentem gratulationem nova lamentatione obruatis*.

Locus eſt in Planciana, qui ad eandem legem Tulliam referatur, quemque prętterire nullo modo poſſim: *Me idcirco mea lege ex iſto ambitu traxiſſe, ut miſerabiliores Epilogos poſſem elicere*. quid Ciceroni Plancii accuſator Laterenſis exprobraverit, conſideremus.

Manu-

Manutius hac utitur interpretatione : *Ex illo ambitu, qui me Conſule fuit, traxiſſe; ex illo ambitu ſumpſiſſe, & quaſi per vim traxiſſe; quæ in meam legem contuli*. At inprimis, quo conſilio Laterenſis, cum accuſet ambitus Competitorem ſuum, Tullium reprehendat in ſuam legem conferentem, quæ ex ſuorum temporum ambitu per vim traxiſſet, quidue hæc obiiciens ſperaverit, me planè ignorare fateor. Deinde, ſi ambitus ſignificatur, qui fuerat Cicerone Conſule, hoc eſt noven ante annos, quàm hæc Oratio habita eſt; cur, quaſi rem præſentem notet: *Ex iſto ambitu* dixit, cum Latinæ linguæ proprietas, *Ex illo ambitu* deſideraret? Poſtremò, non video, quid per vim in ſuam legem conferre Cicero potuerit, quam poſtulante Ser. Sulpicio Conſulari Candidato, ex Senat. Conſulto, multo leniorem tulit, quàm Reip. tempora requirebant, ut habetur Oratione pro Murena. Itaque alia Interpretatio adhibenda eſt, ſtatimque nonnulla ſunt lucem allatura ſententiæ, præmittenda. 1. Poſt legem à Cicerone latam, accuſati de Ambitu, capitis damnabantur; cum enim ſuperior Calpurnia eos omnium honorum petitione, & Senatu privaret, exilium ipſe addidit, qua lege poſtulatus eſt ante exitum anni L. Murena Conſul Deſignatus. 2. Ex Plutarcho, & Epiſtolis M. Tullii perſpicuum eſt, ſemper in dies ambitum Romæ creviſſe; hinc 12. lib. 2. ad Q. Fr. *ambitus redit immanis, nunquàm fuit par*. qua de re ſingulis ferè annis acerrima fieri ſolebant Sen. Conſulta. 3. Plurimùm in permovendis Judicum animis valebat Cicero, ut illi ſemper extremus perorandi locus propterea daretur. paulò antè: *Sanèque in eo creber fuiſti, te idcircò in locos Cauſam coniicere noluiſſe, ne ego meâ conſuetudine aliquid de Tenſis miſericordiæ cauſa dicerem;*

noluerat Laterenſis uti locis communibus in accuſatione ſua, ne ad eoſdem Cicero quoque confugeret, factaque mentione Tenſarum, quæ Sacra erant Vehicula Ædilibus uſitata in ludis, ad Miſericordiam Judices moveret, qui de Deſignato Ædile Plancio ſententiam laturi erant. Poſt illud de Tenſis, hoc alterum ſequitur de Lege: *Hic etiam addidiſti, me idcirco* (ea nimirùm mente, atque conſilio, cum locos Miſericordiæ communes conſectari ſoleam) *Mea Lege* (qua pœna exilii irrogata eſt Ordini Senatorio) *Ex iſto ambitu* (qui major in dies, & immanior fit) *Traxiſſe* [illud commodum percepiſse; quo ſenſu Sálluſtius de Bello Jugurt. *tùm Marius ex copia rerum conſilia trahit*) *Vt miſerabiliores Epilogos poſſem elicere*. Videbatur Cicero ideò graviorem in Reos ambitus pęnam tuliſse, ut ſibi commodior excitandę miſericordiæ locus inde pateret; ſicut cum Murenam defenderet, in Peroratione: *Sed quid ego Matrem, aut domum appello? quem nova pœna legis & Domo, & Parente, & omnium ſuorum conſuetudine, conſpectuque privat*; quod quidem Argumentum fuſè proſequitur.

Quod verò Accuſatoris de Ambitu præmium fuerit, ex explanatione alterius loci Orationis pro Murena, quæ noſtri inſtituti ratio eſt, eruamus; ſic enim ab adiuncto temporis, quòd bellum cum Catilina gerendum eſſet, arguit Orator: *Unus erit Conſul, & is non in adminiſtrando bello, ſed in ſufficiendo Collega occupatus*. Cum aliquanto ante Nonas Dec. quippe ante deprehenſam Conjurationē, habita ſit hæc Oratio; cur, ſi Murena damnatus fuiſſet, non ipſe Cicero habere potuiſſet Comitia, ut alter in ejus locum crearetur prius, quàm iniret Magiſtratum Silanus, deſignatus Conſul cum Murena? deinde, quid opus erat Comitiis, ſi juxta leges, præmium Accuſatoris erat honos, quo

quo damnatus de Ambitu privaretur? Quod attinet ad primũ; affirmari poſſe videtur, jus habendi iterùm Comitia, cum quis vel demortuus, vel damnatus eſſet de ambitu, non fuiſſe apud eundem Conſulem; ſed alterum, qui ex duobus deſignatis remanſerat, poſt initum Kal. Jan. Magiſtratum, ſuffeciſſe ſibi Collegam. Aliud tamen etiam eſt, quod reſpondeam: circiter Kal. Dec. procul dubio dixit cauſam Murena; is autem Menſis plurimos habebat dies Feſtos, quibus agere cum Populo non licebat. Epiſt. 1. lib. 2. ad Q. Fratrem: *Senatus fuit frequentior, quàm putabamus eſſe poſſe Menſe Decembri ſub dies feſtos*. quo refertur & illud Verrinæ 2. cum Plebejos ludos commemoraſſet, Menſe Novembri fieri ſolitos: *ſecundùm quos aut nulli, aut pauci dies ad agendum futuri ſunt*. adde promulgationem Comitiorum per trinundinum, quæ viginti, & ſeptem dies auferebat; fieri nullo modo poterat, ut ante Kal. Januar. iterùm Cicero Comitia Conſularia haberet, eoque die in Rep. eſſent duo Conſules. Sed alterum eorum, quæ venerant in controverſiam, magis auget difficultatem. nam lege præſcriptum fuiſſe, ut qui alterum de Ambitu accuſaſſent, damnati locum occuparent, docet Cicero pro Cluentio: *P. Popillii, & T. Guttæ, qui cauſam de ambitu dixerunt, qui accuſati ſunt ab iis, qui erant ipſi ambitus condemnati, quos ego non idcircò eſſe arbitror in integrum reſtitutos, quòd planum fecerint, illos ob rem judicandam pecuniam accepiſſe; ſed quòd Judicibus probarint, quòd in eodem genere, in quo ipſi offendiſſent, alios reprehendiſſent, ſe ad premia legis venire oportere*. ſed cum eo loco agatur de iis, qui priſtinam dignitatem recuperabant, ſi alium quempiam ipſi condemnaſſent ambitus, multo manifeſtiùs Oratione pro Cornelio Bal-

bo.

bo. *Objectum eſt etiam, quòd in Tribum Cruſtuminam pervenerit; quod hic aſſecutus eſt legis de ambitu præmio, minùs invidioſo, quàm qui legum præmiis Prætoriam ſententiam, & Prætextam togam conſequuntur*. His tamen, aliiſque ejuſdem generis teſtimoniis non adducor, ut Grucchio lib. 1. de Comitiis, aliiſque eruditis Viris, qui eam ſententiam tuentur, aſſentiar; hæc igitur illis contra repono. Ex Oratione pro Murena, præter locum, cui explicando operam damus, ea mihi verba delibo: *nam, ne ſufficiatur Conſul, non timent; vident in tuorum poteſtate Collegarum fore; ſperant sibi Silanum, clarum Virum, ſine Collega, te ſine Conſule, Remp. ſine præſidio objici poſſe*. quis iſta Ciceronem dicturum fuiſſe putet, ſi lex Conſulatum ereptum Murenæ, accuſationis ſuſceptæ præmium, Sulpicio dari juberet? Atteſtàtur paulo poſt Exordium, plurimùm ſalutis communis intereſſe, duos eſſe Conſules in Rep. Kal. Januar. an non idem dies, quæ detrahebantur Murenę damnato, in domum Sulpicii inſignia ſummi honoris ſtatim transferebat? In ea pro P. Sylla ſic diſputat Orator: *tùm, afflicto P. Sylla, Conſulatus vobis pariebatur, ſicuti partus eſt; honoris erat certamen, ereptum repetere vos clamitabatis, ut victi in Campo, in Foro vinceretis;* nullum verbum de præmio legis. quæris, cur pariebatur Conſulatus L. Torquato acccuſatori, Sylla damnato? quia ſolus ipſe fortaſsè, & L. Cotta accuſator Autronii, reſtabant ex Candidatis Conſularibus illius anni. hinc, utpote in re non omninò certa, ea verba ſubjiciuntur: *ſicuti partus eſt*; ſpes erat nimirùm fore, ut Syllæ damnatio Conſulatum vobis pareret, ſicut re ipſa evenit. Locus quidem Cluentianæ habet Accuſatoris præmium, ut reſtituatur in integrum damnatus de Ambitu, per damnationem alterius; Corneliana

verò

verò etiam pro me eſt. Balbus pervenit in Tribũ Cruſtuminã legis de Ambitu prẹmio; certè accuſaverat Senatorem, nam ſoli Senatores ea lege tenebantur. cur non & in Senatum pervenit? Unde colligo, non omnia damnatorum ornamenta, atq; inſignia dignitatis delata fuiſſe Accuſatoribus. Deinde alii dicuntur aſſecuti legum præmiis, ut Prẹtorio loco ſententiam dicerent, & Prætextam togam ferrent. Cur conſularis locus, cur ipſe Conſulatus reticetur? nam Ciceronis argumentum multo majus pondus tùm habuiſſet ad liberandum ab omni invidia Balbum, ut legenti conſtabit. Scilicèt pro diverſis hominum generibus diverſa quoque præmia leges Ambitus dabant; iis, qui cenſerentur in Tribubus Urbanis, ut in Ruſticas pervenirent; damnatis eadẽ lege, ut recuperarent priſtinum Ordinem, & dignitatem; Senatori, qui damnaſset Ædilitium, aut Prẹtorium, ut ſimilem dicendę ſententię locum, ac jus Togę Prẹtextę conſequeretur. Conſularem autem locum, & Conſulatum inter reliqua legis prẹmia nunquàm enumeraverim; imò veriſimile eſt, ipſorum Judicum arbitrium fuiſse, quod cujuſque Accuſatoris prẹmium eſſe vellent, ex legum prẹſcripto. Cicero. 2. de Inventione: *ſunt enim multæ cauſæ, quæ ex præmii alicujus petitione conſtant; nam & apud Judices de præmio ſæpe Accuſatorum quæritur, & in Senatu*, & cẹt. Quid hìc referam aut Liciniam legem de Sodalitiis, aut Pompejam de Ambitu? illam videas apud Ciceronem Oratione pro Plancio, hanc apud Plutarchum in Pompejo, de tertio illius Conſulatu.

Fuerit hoc meę erga tuam dignitatem obſervantię argumentum; idque ſi acceperis humanitèr, dabo aliquàndò potiora. Vale. Id. April. A. S. 1696.

EPISTOLA DECIMAQUARTA.

AD AMICUM N. N.

De Judicio Perduellionis.

ITane verò, ajebas, etiam ille diruptus? quodq; monſtri ſimile, ac portenti viſum eſt, cum tota familia. quæris, innocens ne ex Urbe diſceſſerit in voluntarium exilium, an publico judicio convictus omnia ſimul amiſerit; neutrum aſſirmo. Plurimi nullam eſſe crimen exiſtimant, quod objici non poſſit, uno excepto Perduellionis; ego contra, etiamſi à reliquis Judiciis elaberetur, quomodo cauſā de Perduellione apud Populum dicturus eſſet, non video. Crimen ipſum accuratè explicabo; tùm de Reo quid ſentiendum ſit, non dubitabis. intelligis enim, me ex quadam literarum tuarum particula, cum de Romana Rep. ut ſæpe fit, mentio incidiſſet, pertractandæ celeberrimæ Quæſtionis anſam arripere.

Verrina 3. ſic Orator inſurgit in C. Verrem reū de Repetundis: *Credent omnes quinque & triginta Tribus homini graviſſimo, atque ornatiſſimo M. Annio, qui, ſe præſente, Civem R. ſecuri percuſſum eſſe dixit.* De Perduellionis crimine ſermonem eſse hoc loco, ii noverint, qui ſuperiora diligenter perpenderint. nam, ſi Verrem abſolveritis Repetundarum, inquit Cicero, accuſabo apud alium Prætorem de Peculatu: *emerſerit ex Peculatus etiam judicio*, deferam illius nomen apud Prætorem, qui quærit de Majeſtate: *ex hoc quoque Majeſtatis judicio evaſerit*, tunc demùm cauſa illi erit dicenda apud Populum R. Hinc licet colligere, fuiſſe crimen Perduellionis, ſi quis, cū eſset

in Magiſtratu, civem R. contra leges Porciam, & Semproniam verberaſſet, aut necaſſet. Ne illud quidem incertum eſt; quibus Comitiis illius criminis Reos Populus judicaret. omnes conſentiunt, ea fuiſſe Centuriata, ut preſcriptum fuerat legibus XII. Tabularum: *De capite Civis, niſi per maximum Comitium, ne ferunto*; idemque Cicero teſtatur Oratione pro Sextio, multiſq; præterea confirmatur exemplis. Quibus præmiſſis, duo nunc mihi breviter quærenda ſunt; tùm quo jure minitetur Orator, ſe accuſaturum de perduellione Verré Comitiis Centuriatis, quę à majoribus tantùm Magiſtratibus edici poterant; tùm etiam quare de Tribubus mentio fiat, cum iis Comitiis non Tribus, ſed Centuriæ ſuffragium ferrent. Reſponſio ad primum ſumitur ex Livio lib. 26. ubi narrat à Sempronio Tribuno pl. bis pecunia anquiſitum de Cn. Fulvio, mox ſubjicit: *Tum Sempronius perduellionis ſe judicare Cn. Fulvio dixit, diemque Comitiis ab* C. *Calpurnio Prætore Urbano petiit*. Magiſtratus igitur minores, ſi quem ad Populum accuſaturi erant (privati enim id præſtare non poterant) & crimen erat Perduellionis, diem Comitiis Centuriatis petebant a Conſulibus, vel, iis abſentibus, à Prætore Urbano, qui ſtatim edicere Comitia tenebantur. hoc idem ſe facturum Tullius aſſirmat, cū deſignatus eſſet in annum ſequentem Ædilis curulis. Quod attinet ad ſecundū, ſingularis locus ille eſt Orationis 2. contra Rullū: *itaq; me non extremæ Tribus ſuffragiorum, ſed primi illi veſtri concurſus; neq; ſingulę voces Pręconū, ſed una voce univerſus populus R. Conſulē declaravit*. Quis dubitet, Centuriata Comitia fuiſse, quibus Cicero creatus eſt Conſul? ſuffragia tamen Tribuum cōmemorantur; nimirū, quòd his etiam Comitiis populus Romanus divideretur in Tribus ante lationē ſuffragii, &

quòd

quòd in Tribubus continerentur ipſę Centurię. Ultimò quęrat fortaſſe quiſpiam, num Populus de reliquis criminibus judicaret Tributis Comitiis, quod Manutius in ſuis Commentariis contendit. & id quidem ſępe fieri ſolebat primis Reip. temporibus, ut ex Livio, cęteriſque Hiſtoricis manifeſtum eſt; at Quęſtionibus publicis conſtitutis, maximè poſt Dictaturam L. Syllę, hujuſmodi omnia Judicia à Prętoribus exercebantur; qua de re alibi fuſiùs dicam. Si vero ſcelus aliquod admiſſum fuiſset, de quo nulla Lex antea lata caviſſet, tùm Conſules, vel Tribuni pl. ex Sen. Conſulto plerumque legem ferebant, rogabantque Populum, à quo, & qua ratione de ſingulari illo crimine judicari vellet; quod factum fuiſſe contra P. Clodium, cum is Sacra Bonæ Deæ violaſſet, ſcribit Cicero in Epiſtolis lib. 1. ad Atticum.

Ad Orationem pro C. Rabirio perduellionis reo tranſitum faciamus; inde argumenta eruenda ſunt, quibus multo commodiùs propoſitæ Quæſtioni ſatiſfaciemus: *Profiteor*, ait Cicero, *& præ me fero, te ex illa crudeli, importuna, non Tribunitia actione, ſed regia, meo conſilio auctoritate eſſe depulſum*. Operæ precium videtur explicare, quænam illa actio Labieni Tribuni pl. & accuſatoris fuerit, & ea quomodo à Cicerone Conſule prohibita ſit. & primùm quidem audiatur Manutius: *Cogitabas enim*, inquit, *id, quod ego Conſul mea lege vetui, crudeliter, importunè, non tribunitio, ſed regio more in Cives R. agere, & neglexiſti omnem auctoritatem Senatus, quo ego auctore legem de tollendo Perduellionis judicio tuli*. Lata igitur à Cicerone lex fuerat, qua judicium Perduellionis ſuſtulerat. quis ex Antiquis hujuſce, ac tantæ lgis meminit? cur Cicero, qui multis in locis, & ampliſſimè illam ſuam

de

de Ambitu commemorat, nullibi hanc alteram de Perduellione, ne verbo quidem, attingit? quænam porrò ea lex fuiſset, quę graviſſimum de Rep. judicium tolleret? Vel enim tulit, ne Prætor de Perduellione judicaret, vel ne Duumviri, vel ne Populus R. Centuriatis comitiis, vel denique, ne fieret omninò Judicium illud, prohibuit. An de Prætore? ſed neq; id uſitatum erat, ut hęc judicia à Prætore fierent, neq; contra Labienus feciſse videbatur. an de Duumviris? ſed nemo divinare poterat, facturum Tribunum pl. quod fecit; poſt Reges expulſos nulli fuerant in Rep. tales Duumviri, proindeque non erat metuendum, ne à quopiam iterùm inducerentur. an de Populo Romano? ſed appellatio Populi in cauſa Rabirii nulla fuiſset, quippe contra legem Tulliam. an ſuſtulit omninò Perduellionis judicium? digna videlicet Conſule Cicerone Lex, quę certiſſimum Reip. comparabat exitium, cujus hoſtes puniri vetabat. Non queror iniquitatem legis, nihil dico de interfectis paulo poſt Conjuratis; ad hoc unum mihi reſpondeat Manutius: Ante, an poſt damnatum per Duumviros Rabirium, tulit ſuam legem Cicero? ſi poſt damnationem, neque opus erat Centuriatis comitiis iterùm eam Cauſam agere, quam nullam eſse juſserat lata Lex; neque diceretur Labienus in ſua illa actione neglexiſſe omnem auctoritatem Senatus, cū poſt actionem Labieni, non aliquanto ante, Senatus de ferenda lege decreverit: Si verò aliquanto ante damnationem Rabirii, lege ſublatum eſt à Cicerone Perduellionis judicium; tùm nulla erat damnatio, qua tamen argumentatione nuſquàm utitur Orator; tùm etiam Labienus de violata Lege, hoc eſt de Majeſtate accuſari poterat, quod illi certè non objicitur. Nullum extat in Romana Rep. exemplum, quo

quo conſtet, factum fuiſse aliquid publicè à Magiſtratibus contra leges, niſi legibus illis antea abrogatis; non autem abrogaverat Labienus legem Tulliam, cum adhuc à Cicerone ſublatum eſſe Perduellionis judicium criminaretur. Verùm, ne quem dubitandi locum relinquam, rem hanc univerſam altiùs repetam: Perduellionis reus erat, qui libertatem Populi R. quoquo modo imminuiſset: M. Manlius, quòd regnum affectaſse, Verres, quòd Prætor Siciliæ Cives R. interfeciſse, Rabirius, quòd ſacroſanctum Tribuni pl. corpus violaſse dicerentur, potuerunt accuſari de Perduellione. nam ſi privatus aliquis privatum hominem necaſset, poſtulabatur lege Cornelia inter Sicarios, aut alia certè lege de Vi. Illud autem Judicium fieri ſolitum à Populo Centuriatis Comitiis ex XII. Tabulis, omnis teſtatur Antiquitas. At, cum ipſi perſæpè Magiſtratus ſupplicium de iis Civibus ſumerent, qui arguebantur feciſſe contra eas leges, quarum pęna capitalis eſse videri poterat; duæ leges latæ ſunt, altera Porcia à M. Catone, ne liceret Civem R. antequàm de eo ſupplicium ſumeretur, virgis cædere: *Porcia lex virgas ab omnium Civium R. corpore amovit;* altera Sempronia à C. Graccho, ne Civis R. morte poſset affici, niſi Centuriatis comitiis à Populo judicatus: *C. Gracchus legem tulit, ne de capite Civium R. injuſſu veſtro judicaretur;* utriuſque teſtis eſt Cicero hac eadem Oratione. Itaque Porcia à corpore Civium R. virgas Magiſtratuũ amovit, non ſecures; Sempronia tũ virgas, tũ ſecures, & unius Populi Judiciũ verè capitale eſse juſſit. Quæ cum ita ſe haberent, Labienus, ut Saturnini Tribuni pl. necem ulciſceretur, creari Duumviros voluit, C. & L. Cęſares, & apud eos accuſavit Rabirium, damnavitque, ut jam virgas, &

cru-

crucem pararet. hinc Cicero *cum iſte omnes, & ſupplicioram, & verborum acerbitates non ex memoria veſtra, ac Patrum veſtrorum, ſed ex Annalium monumentis, atq; ex Regum commentariis conquiſierit*; quia hoc judicii, ſuppliciique genus inuſitatum fuerat poſt Regem Tullum Hoſtilium, & cauſam M. Horatii, quam deſcribit Livius lib. I. Quamobrem dicitur Labienus in ea actione neglexiſſe: *Omnia exempla Majorum*, quòd nunquàm antea Duumviri creati fuerant: *omnes leges*, Porciam præcipuè, & Semproniam, præter leges XII. Tabularum: *omnem auctoritatem Senatus*, quoniam auctore Senatu ſumpſerat arma Rabirius contra Saturninum: *omnes religiones, atque auſpiciorum publica jura*, quòd in Foro, & in Campo religioſis, & auſpicatis locis figeretur Crux; adeòque de eodem Labieno: *qui indicta cauſa, & injuſſu veſtro Civem R. capitis condemnari coegit*; hoc eſt, dicta quidem cauſa, ſed apud Duumviros, non Centuriatis comitiis, contra legē Semproniam. quemadmodum Cicero quoque accuſatus eſt à P. Clodio, quòd Cives R. indemnatos necaſſet, ſcilicet non jure, non à Populo, non ex lege Sempronia damnatos. Rabirius igitur damnatus à Duumviris Populum appellavit, ut cauſa iterùm Centuriatis comitiis cognoſceretur. quid verò ſi nullus Magiſtratus Comitia edicere voluiſset, quæ à ſolis Magiſtratibus edici poterant? fruſtrà Rabirius populum appellasſet; non facta poteſtate Populo judicandi. Sed & edixit Comitia Conſul Cicero in gratiam Rabirii, & illius patrocinium ſuſcepit; unde quicquid Labienus fecerat, irritum fuit: *profiteor, & præ me fero, te ex illa crudeli, importuna, non tribunitia actione, ſed regia* (cum Rabirium per Duumviros condemnabas) *meo conſilio, virtute, auctoritate eſſe*

depulſum, cum edixi Centuriata comitia, quibus abſolvi poſſet à Populo. Hoc illud eſt, quod ſuprà gloriatur: *nam de Perduellionis judicio, quod à me ſublatum eſſe criminari ſoles; meum crimen eſt* (qui edixi Comitia) *non Rabirii* (qui non potuit non appellare Populum, cujus nulla fuiſſet appellatio, niſi ego Conſul affuiſsem) *quod utinam, Quirites, ego id aut primus, aut ſolus ex hac Rep. ſuſtuliſſem, utinam, quod ille crimen eſſe vult, proprium teſtimonium meę laudis eſſet*. An alii quoque ante Ciceronem, de tollendo Perduellionis Judicio leges tulerant? nequàquàm, nam id unum effecerant, ut ex ſequentibus patet, ne contra morem Majorum, & præſcripta legum de Civibus Romanis ſuppliciùm ſumeretur; quod Cicero ipſe præſtiterat.

Age nunc, ſtatim cætera videamus. an quemquam ille Civem optimum animadvertebat, quem eſſe incolumem pateretur? cui non vim, non manus afferret? Vale. VII. Kal. Octob. A. S. 1698.

EPISTOLA DECIMAQUINTA.

AD NOB. N. N. P. P.

De Loco Pomponii.

EXplicaturus hoc anno legem Corneliam de Sicariis, multa nudius tertius pręfatus es, opinor, ex Pomponio, de Prętoribus, de Legibus, deq; Inſtitutis Romanorum, coram lectiſſima Audientium corona, quos tuæ ſingularis non doctrinæ tantùm, verum etiam Eloquentię fama pertraxerat. Quàm eruditè ſingula, quàm copioſè! Mihi tamen ita omnis illa tua diſputatio utilis in primis, ac jucunda viſa eſt, ut animus

mus eſſet non diſſimulandi, ſi quid ego contra, atq; haberetur in aliorũ Commentariis, ſentirem. Itaq; non auſus convenire præſentem, libens per Epiſtolam, quæ non erubeſcit, te mihi Judicem ſumo; nùm temerè falſa quadam veritatis imagine deceptus, an certis conjecturis, & argumentis adductus, ab aliis dicta repudiem.

Locus eſt apud Pomponiũ de Origine Juris, ubi le Quęſtionibus publicis à Dictatore Sylla conſtitutis, ſeq; Prętoribus quatuor adiectis comemorat, qui Romanarum rerum, juriſq; peritorum maxime torſit ingenia; cujus verba antequàm profero, & ſingillatim expono, venit in mentem ex Digeſtorum lib. 48. decerpere quędam, iiſq; breviter explicatis, ad inſtitutam Diſputationem longè paratiùs accedere. Tria ſunt libro citato, quæ probare facilè nequeã; nam in primis Titulo 8. docet Martianus, Corneliũ Syllã ita de Sicariis, deq; Veneficis tuliſſe, ut una eademq; lege utrumq; crimẽ complexus eſſe videatur. Deinde Titulo. 10. Lex Cornelia de Falſo dicitur etiam in eos lata, qui Judicẽ corruperint, & diverſa aſtruitur ab ea, quę lata eſt de Veneficio. Poſtremò Titulo 11. tradit Marcellus, lege Repetundarũ illum quoq; teneri, qui ob rem judicandã pecuniam acceperit. Nihil horum auctoritate Veterũ niti videtur, ſed omnia luculentiſſimo Ciceronis teſtimonio in Cluentiana apertiſſimè confutantur.

Quod attinet ad primum; A. Cluentium cauſam dixiſse de Veneno, ex ipſa Oratione colligitur, ut infra erit advertendum; quid ipſe Cicero ſubjiciat, videndum eſt: *Hæc quæſtio*, inquit, *ſola ita gubernatur? quid M. Platorii, & C. Flaminii inter Sicarios?* patet igitur diverſas fuiſſe Cornelias leges de Sicariis, & Veneficis, cum & diverſæ Quæſtiones

H 2 to-

forent, ſingulę autem Quęſtiones ſingulis legibus conſtituerentur. Sic eodem anno de Veneno quærebat Q. Naſo, apud quem dicta eſt cauſa Cluentii; inter Sicarios Plætorius, & Flaminius. Demus enim eandem legem ad duo illa crimina ſimul pertinuiſse; alterutrum affirmare neceſſe eſt, aut non fuiſſe diverſas Quæſtiones de Sicariis, & de Veneficis; aut plures Quæſtiones una tantùm lege conſtitui potuiſſe. quorum alterum Cicero negat, alterum Veterum omnium, & Recentiorum auctoritate refellitur. Ibidem aliquanto poſt, cum quædam attigiſſet objecta ab Adverſariis in Cluentium, de Decio Samnite, cui facta fuerat injuria à Cluentii familia; de Ancarii, & Paceni Paſtoribus, quibus ejuſdem villici vim, & manus attulerant; de A. Binnio, qui ſibi à Cluentio, ſerviſque ejus manus allatas eſſe dicebat: quæ quidem omnia crimina ad legem inter Sicarios quodammodo ſpectabant; hæc deinde ſubjungit Orator: *Habetis, Judices, quæ in totam vitam de moribus A. Cluentii, quem illi invidioſum Reum volunt eſſe, annos octo meditati accuſatores collegerunt. cognoſcite nunc id, quod ad veſtrum juſiurandum pertinet, quod veſtri judicii eſt, quod vobis oneris impoſuit ea Lex, qua coacti huc conveniſtis; de criminibus Veneni.* Fac eandem Legem fuiſſe inter Sicarios, & de Veneno; Judices, qui in eam legem juraverant, & eadem coacti convenerant, de utroque crimine cognoſcere neceſſe erat, non de altero tantùm. Cur Venenum, non etiam Vis, ad illorum juſiurandum, & judicium pertinebat? cur id oneris imponebat, ut de Veneficis cognoſcerent, non itidem de Sicariis, Lex Cornelia, quæ ſimul in utroſque lata fuerat? cur quæ vim illatam Civibus arguunt, extra Cauſam dicta ad excitandam Invidiam

vidiam aſſirmantur ? an Judices in aliquam ſolummodo legis partem jurabant ? profectò nulla alia cauſa eſſe poteſt , niſi quòd penitùs diverſis legibus duo illa diverſa crimina continebantur.

Ad ſecundum Membrum accedo, ex Titulo 10. deſumptum; Lex Cornelia de Falſo dicitur etiam in eos lata, qui Judicem corruperint; quod probo: & diverſa aſtruitur ab ea , quæ lata eſt de Veneficio ; quod nego. In eadem Oratione pro Cluentio , lex illa Cornelia recitatur ; inde argumentum petam , quo omnis controverſia dirimitur: *Jubet lex ea*, ait Cicero, *qua lege hæc Quæſtio conſtituta eſt, Judicem quæſtionis quærere de Veneno. in quem quærere ? infinitum eſt*. deinde ipſa ſubjicit Legis verba: *Quicumque fecerit, vendiderit, emerit, habuerit, dederit*; ſubintellige Venenum. mox etiam pergit Orator: *quid eadem Lex ſtatim adjungit ? recita. Deque ejus capite quærito*, & quibuſdam interpoſitis, *Qui coit, cojerit, convenit, convenerit, quo quis judicio publico condemnaretur*. Ibidem, omiſſis non paucis, quæ ad hanc diſputationem non pertinent: *Hanc ipſam legem, ne quis judicio circumveniretur, C. Gracchus tulit; poſtea L. Sylla, cum ejus rei Quæſtionem hac ipſa lege conſtitueret, qua Vos hoc tempore judicatis*, & cæt. Judicabant certè hoc ipſo tempore lege L. Syllæ de Veneno , & reus erat Cluentius; eadem lege dicitur Sylla quæſtionem in eos conſtituiſſe, quorum culpa factum eſſet , ut quis judicio publico circumveniretur ; idem enim eſt corrumpere Judices, & circumvenire aliquem judicio, totius nimirùm generis ſpecies quædam. Quamobrem manifeſtum eſt contra , ac habetur in Digeſtis, eadem lege Judices eoſdem tùm de Veneno, tùm de corrupto judicio ſententiam tuliſſe. Cæterũ,

 quia

quia Judices quacumque ratione corrumpere ad crimen Falſi ſpectare videtur, & Prætoris, qui peculiarem de Falſo quæſtionem exercuerit, nuſquàm mentio ſit; idcircò affirmare non audeo, diverſas leges à Sylla latas fuiſſe, de Falſo, & de Veneno; ſed probabile eſt, unum, & idem crimen fuiſse, ſicut etiam tradit Gruchius lib. 1. de Comitiis.

Tertiò docemur Titulò 11. lege Repetundarum illum teneri, qui ob rem judicandam pecuniam acceperit; quod multo minùs probare poſſum, ſi id, nulla addita exceptione, affirmetur. Verrina 4. lex Repetundarum lex Socialis dicitur: *in Queſtione de pecuniis repetundis, quæ Sociorum cauſa conſtituta eſt.* quomodo igitur Sociorũ cauſa conſtituta dicitur illa Queſtio, ſi Romanorũ etiã Civiũ cauſa conſtitutã fateamur, pro quibus vel damnandis, vel abſolvendis, Judices pecuniã accepiſsent? Neq; deeſt ſatis probabilis conjectura: nemo ad corrumpendũ judiciũ dare pecuniam poterat, niſi Judex eſſet, qui oblatã acciperet. ut proinde unum, idemq; crimen ad rem eandem, licèt ad diverſas Perſonas referretur. Mihi verò nunquàm in mentem venerit opinari, unum crimen una re, & pactione cõprehenſum ad duas pertinuiſſe Quæſtiones; & eũ quidem lege ſeu de Falſo, ſeu de Veneno accuſari ſolitum fuiſſe, qui pecuniam Judici dediſset; at lege Repetundarum Judicem, qui accepiſſet. Verũ, quid omninò ſentiendum ſit ex laudata Oratione pro Cluentio colligitur. C. Junius Judex quæſtionis in Oppianicum de Veneno quæſivit, eumq; damnavit. vocatus in judiciũ à Quinctio Tribuno pl. verbo, quòd in legem non juraſſet; re ipſa, quòd accepiſse ab accuſatore Cluentio pecuniam diceretur, & ipſe damnatus eſt. Rem totam ſic Orator deſcribit: *dicat, qui vult, qua de re Junius*

nius

nius cauſam dixerit. quemcumque rogaris, hoc reſpondebit, quod pecuniam acceperit, quod innocentem circumvenerit. eſt hæc opinio; at, ſi ita eſſet, hac lege accuſatum eſſe oportuit, qua accuſatur Habitus. Scilicet Junium, qui pecuniam accepiſſe arguebatur ob rem judicandam, accuſatum eſſe oportuit lege Cornelia de Veneficiis, qua Cluentius Habitus accuſabatur, non autẽ lege Repetundarum, ut habetur Digeſt. lib. 48. Tit. 11. Quod ipsũ tamẽ nõ diſplicet, ſi hujuſmodi ſententia ſit ut lege Repetundarum teneantur ii, qui, cũ eſsent in Provinciis cum poteſtate, pecuniam ob rem judicandam acceperunt, ſeu ob jus dicendum, à Sociis Populi R. non item ii Judices, qui Romæ pro dijudicandis Civium cauſis, Prętoribus aderant, ſeq; eadem ratione corrumpi patiebantur.

His ita brevitèr explicatis, venio ad Pomponium, cujus hæc ſunt verba loco ſupra citato: *Deinde Cornelius Sylla Quæſtiones publicas conſtituit; veluti de Falſo, de Parricidio, de Sicariis, de Injuriis, & Prætores quatuor adiecit*. ubi quinque occurrunt, quæ veniunt in controverſiam; 1 quomodo dicantur publicę quęſtiones conſtitutæ; 2. quot quæſtiones publicas L. Sylla conſtituerit, & qua ratione; 3. an Quæſtiones diverſæ fuerint de Parricidio, & inter Sicarios; 4. an actio Iniuriarum eſſet Quæſtio publica; 5. quomodo Prætores quatuor adiecerit.

Quæritur igitur primò, quid ſit Quæſtionem publicam conſtituere, vel perpetuã facere; nam utrumque eodem planè ſenſu uſurpatur. Apud veteres Romanos, cum nullæ eſſent certæ leges ad compeſcendos improborum Civium conatus à Magiſtratibus latæ, prætèr eas, quę duodecim Tabulis habebantur; ſi quis peccaſſet in Remp. aut ad Populi judiciũ pertractus à Tribunis pl. pœnas ſtatim dabat, aut in illum,

Digitized by Google

ejuſdemque conſortes ſceleris, ex lege Populi pleriumque, Senatus novam Quæſtionem inſtituebat, quæ malis quidem præſentibus mederetur, non autem conſuleret in poſterum; ſicut fuſiùs oſtendi, ubi de Quæſtionibus publicis peculiaris incidit mentio. Tum verò, ſumpta de ſceleratis pœna, aut certè elapſo anno; cum novi Magiſtratus honorem inibant, Quæſtiones illæ inſtitutæ à Senatu, quæ certas perſonas, ac definitum tempus reſpicerent, omninò ceſſabant, nec haberi poterant abſequentis anni Prætoribus in eos, qui ſe poſteà iiſdem ſceleribus obſtrinxiſsent. Quod cum Reip. perniciosum eſſe conſtaret; anno demùm 601. poſt R. C. Calpurnius Piſo legem tulit, qua primam publicam Quæſtionem Repetundarum conſtituit, perpetuamque fecit: ut Romæ quotannis certus eſſet Quæſitor, iſque Judices ſibi ſortiretur, quibuscum adversùs illos Magiſtratus quæreret, qui crudelitèr, & avarè Provincias adminiſtraſſent; alii poſtea nonnulli Piſonis exemplum ſequuti ſunt. Quamobrem Quæſtionem publicam conſtituere, perpetuamque facere nihil eſt aliud, quàm lege lata jubere, Quæſitorem creari quotannis, cui certus Judicum numerus aſſignetur, certumque crimen, de quo jure ſuo quærere poſſit.

Sunt autem octo Quæſtiones publicæ, quas Cicero, aliique Romanarum rerum Scriptores agnoſcunt; videlicèt de Repetundis, de Peculatu, de Majeſtate, de Ambitu, de Vi publicâ, inter Sicarios, de Veneficiis, de Civitate. omneſne, an aliquot tantùm Dictator Sylla conſtituerit, an nullam omninò, diligenter obſervandum eſt; quod neſcio, an quiſpiam adhùc adverterit. Repetundarum quæſtionem Syllæ nemo unquàm attri-

attribuat, octo & ſexaginta annos ante illius Dictaturam tribus legibus conſtitutam; Calpurnia primùm, ut ſupra dictum eſt, Acilia deinde, atque Servilia. Peculatus quidem hoc eodem tempore nulla mentio; ſed quis exiſtimet, in Prætores, qui Socios diripuiſſent, per tot annos quæſitum Romæ fuiſſe; nullam interea extitiſſe Quæſtionem in expilatores Ærarii? Quin imò tuliſſe de Peculatu legem L. Syllam non affirmaverim. Oratione pro Cluentio, Fauſti Syllæ filii nomen delatum de Reſiduis Pecuniis commemoratur; & in ea pro L. Murena, Ser. Sulpicio Peculatus Prętori Syllanæ gratificatio vulgò reprehenſa exprobratur. nam quantum pecuniæ publicæ tùm Dictator ipſe, tùm reliqui periculorum, victoriæque Socii in privatos uſus converterant? Neque probabile eſt, illum in ſe, ſuoſque novam inſtituere Quæſtionem voluiſſe, cum ſatis eſſe videretur, eandem veteri conſtitutam lege retinere. Sequitur Quæſtio Majeſtatis, quam habitam fuiſſe ex lege Appuleia ante Syllam, tradit Cicero 2. de Oratore, ubi de Cauſa Norbani loquitur, quem majeſtatis lege Appuleia poſtulatum defendit Antonius. De Ambitu à C. Petælio Tribuno pl. auctoribus Patribus, primùm ad Populum latum eſt, anno V. C. 397. Livio teſte lib. 7. rursùmque tulere Conſules ex auctoritate Senatus, anno 569. ex eodem Livio lib. 40. nec dubito, quin ſimul, ac Romæ perpetuę Quęſtiones eſſe cęperunt, de Ambitu etiam quæſitum fuerit, cum multo ante ad Civium ambitionem comprimendam latas leges habeamus. Verùm has quatuor Quęſtiones, conſtitutas fuiſſe ante Syllam, nemo negat, una eſt de reliquis cõtroverſia, ex Põponii loco citato. De Vi publica tulit M. Plautius Silvanus Tribunus

pl. Pompeio, & Porcio Coſſ. ante annos octo, quàm Sylla Dictator factus eſt, ex qua lege deinde Q. Lutatius Catulus Conſul novum, atque extraordinarium de ſediciosis Civibus judicium inſtituit. De Vi privata, ſive inter ſicarios, ſicut etiam de Veneficiis ante Syllana tempora quæſiviſſe Judices quæſtionis, teſtatur Cicero Oratione pro Sex. Roſcio: *ſexcenti ſunt, qui inter Sicarios, & de Veneficiis accuſabant;* non enim tam multi accuſatores extitiſſent, niſi quamplures poſtulati quotidiè fuiſſent de utroque crimine. Idem Orator ibidem: *Te quoque magnoperè, M. Fanni, quæſo, ut, qualem te jam antea Populo R. præbuiſti, cum huic idem Quæſtioni Judex præeſſes, talem te & nobis, & populo R. hoc tempore impertias.* Fannius, qui Sylla II. conſule cum Metello Pio, Prætor inter Sicarios quærebat, quæſierat de eodem crimine aliquanto ante, ut Judex. Oratione pro Cluentio Habito, qui de Veneficio poſtulatus fuerat: *illi non hoc recuſabant* (ſermo eſt de Equitibus R.) *ea ne lege accuſarentur, qua nunc Habitus accuſatur, quæ tunc erat Sempronia, nunc eſt Cornelia.* An enim dubium eſſe poteſt, nùm conſtituta fuerit Quæſtio de Veneficiis ante Syllam, cum legem Semproniam habeamus illud idem Judicium evidentèr conſtituentem? Nam de Civitate Romana, quæ reſtat una, Conſules Scævolam, & Craſſum, duos etiam Tribunos pl. ex gente Papia tuliſſe, omnes fatentur: ut quæreretur in eos, qui ſe pro Civibus gererent, cum Ciues non eſſent; Sylla nihil tulit hujuſmodi. Itaque ſi Quæſtionem publicam conſtituere idem eſt, ac lege lata jubere, Quæſitorem creari quotannis de certo aliquo crimine, de quo antea quæſitum non fuerat; & , ſi octo Quæſtiones publicæ, de quibus ſupra, exercebantur Romæ multo ante, quàm Sylla Remp. componeret

neret

neret, ut ex Ciceronis Orationibus, aliiſque monumẽtis Antiquitatis colligitur; neceſſariò illud conſequitur contra Pomponium, nullam omnino à Dictatore Sylla conſtitutam fuiſſe publicam Quæſtionem. Utcumque tamen excogitandum eſt aliquid, quo diſputatio noſtra contineatur, ne graviſſimum Auctorem accuſare falſi videamur. Victor Sylla, & Dictator creatus, cum ad omnes Reip. partes componendas animum applicuiſſet, multis variiſque legibus promulgatis; eam, quæ ad publica maximè judicia ſpectaret, nequaquam omiſit, ratus ex hac una Civium omnium ſalutem, ipſamque libertatem pendere. Hinc tulit de Repetundis, & de Majeſtate, ut verò quidam opinantur, etiam de Peculatu, ac de Ambitu; præterea de Veneficiis, ſeu de Falſo, & inter Sicarios; pœnamque graviorem ubique iis injunxit, qui contra feciſſent, ac veterem Judiciorum formam, plurima ipſe immutando vix retinuit. Id porrò, cum omnibus probaretur, multumq; in commune prodeſſet, effecit, ut Pomponius ſcriberet, conſtitutas à Sylla publicas Quæſtiones fuiſſe, qui conſtitutas jam antea per alios, ordinaverat elegantiùs, novis etiam criminibus comprehenſis, inque meliorem formam compoſuerat. Ut utar Exemplo: Sempronia lex de Veneno, & de Falſo (ſi dicamus eandem fuiſſe, Gruchium ſequuti) in eos tantùm queri jubebat, qui aut venenum paraſſent, aut Judices in Cauſa publica corrupiſſent, & ſi quod erat crimen ejuſmodi, notabat. Sylla, cum denuò eandem ferret, præter quàm quod graviorem fortaſse pęnam addidit, nova etiam crimina complexus eſt eorum, ſ. qui in Teſtamentis, & Numis aliquid falſi committerent. itaque Cicero Ver. 3. quaſi novam legem eam ipſam commemorat: *atque in his rebus multa videmus ita*

Sancta eſſe legibus, ut ante facta in judicium non vocentur; Cornelia Teſtamentaria Numaria. idem & de reliquis poteſt eſſe judicium.

Quin & de Parricidio, lata lege, quæſitum Romæ fuiſſe ante Syllam, non dubito. Cicero enim Oratione pro Sex. Roſcio hæc habet: *quanto Majores noſtri ſapientius, qui, cum intelligerent, nihil eſſe tam ſanctum, quod non aliquando violaret audacia, ſupplicium in Parricidas ſingulare excogitaverunt*. ex quo apparet, legem extitiſſe veterem; ut quæreretur in eos, qui Parentes interfeciſſent. Quare ibidem Orator commemorat, cum T. Clælius Tarracinenſis inventus eſſet manè iugulatus, nomina duorum filiorum de Parricidio delata fuiſſe; & Florus Epit. Livianæ lib. 68. cum C. Marii V. Conſul cum Aquillio triumphum referret, ſtatim ſubjecit: *P. Malleolus Matre interempta, primus omnium inſutus culleo in mare præcipitatus eſt*; quæ quidem erat Pœna contra Parricidas inſtituta, ubi primùm illa Quæſtio conſtituta eſt. Eam tamen, unamne, atque eandem fuiſse dicamus cum altera de Sicariis, an penitùs diverſam? Plerique eſſe diverſam aſſirmant, maximè ſi Reip. ultima tempora conſiderentur, adducti, ut opinor, auctoritate Pomponii, qui videtur idem ſenſiſſe. Sigonius lib. 2. de Judiciis hanc ipſam ſententiam tuetur ad Orationem pro Sex. Roſcio, docetq; M. Fannium Prætorem eo anno duplici præfuiſſe Quæſtioni, inter Sicarios, & de Parricidio; cum & Cicero manifeſtè dicat, *Quæſtionem* inter Sicarios Fannii fuiſſe; & conſtet, Roſcium accuſatum procul dubio de Parricidio, apud eundem Fannium cauſam dixiſſe. ex quo ſequitur, ait ille, duas eo anno fuiſſe Fannii *Quæſtiones*. Hoc porrò quàm ſit abſurdum, ex laudata Oratione habetur; ait enim Cicero paulo poſt Exordium

xordium : *longo intervallo Judicium inter Sicarios hoc primum committitur* . quodnam eſt hoc Judicium, quod primum longo intervallo committebatur ? de Parricidio : an Sex. Roſcius Patrem interfecerit . quomodo ab Oratore appellatur ? Judicium inter Sicarios, quod patet . Una igitur, & eadem Queſtio eſt, inter Sicarios, & de Parricidio, & uni ſemper demandabatur Prætori, qui dicebatur etiam quærere de Vi privata . Paulo ante : *cum huic idem Quæſtioni Judex præeſſes* ; Fannius Prætor de Parricidio Roſcii quærebat , adeòque de Parricidio Judex quæſiverat ante bella Civilia . tùm dicitur Judicium illud ſeverè , & fortiter exercuiſſe : *qualem te jam antea Populo R. præbuiſti* ; an quotidiè Parricidia Romæ committebantur ? an ita magna laus erat ſeverè animadvertere in Parricidas? at qua lege quærebat ante latam Corneliam ? ſcilicet lege inter Sicarios, qua ſimiliter de Roſciano Parricidio quæſitor erat . Digeſt. lib. 48. Tit. 9. perſcribitur pœna in Parricidas conſtituta tribus diverſis temporibus, ante Syllam, tempore Syllano, & per legem Pompeiam ; ſed jam ipſa Digeſt. verba attendamus ; ex Modeſtino : *Pœna Parricidii more Majorum hæc inſtituta eſt , ut Parricida virgis verberatus culleo inſuatur , cum cane , gallo gallinaceo , & vipera , & Simia ; deinde in mare profundum culleus jactetur* ; qua ratione ſupplicio affectus dicitur apud Florum primus omnium Malleolus. Suprà hæc legimus ex Marcello : *Lege Pompeja de Parricidiis cavetur , ut , ſi quis Patrem , Matrem , Avum , Aviam , Fratrem , Sororem , Patruelem ,* & cæt. (multos enim præterea nominat) *occiderit , cujuſve id dolo malo factum erit , pœna ea teneatur , quæ eſt legis Corneliæ de Sicariis* . Explicat poſtremò idem Modeſtinus , quænam ea pœna ſit : *Qui*

alias

alias Perſonas occiderint præter Patrem, & Matrem, & Avum, & Aviam, quos more Majorum puniri ſupra diximus; capitis pœna plectantur. Nunc omnia ſimul liceat diſputando colligere. quæ fuit Parricidarum pœna more Majorum? ut inſuti culeo projicerentur in mare. quid Pompejus lege ſua præſcripſit? ut punirentur more Majorum, qui Patrem, Matrem, Avum, Aviam, interfeciſſent, hoc eſt inſuti culeo. Quid Sylla? idem tulerat lege de Sicariis; nam apertè dicitur eadem pœna omninò utraque lege contineri: *Lege Pompeja de Parricidiis cavetur, ut ſi quis Patrem, Matrem*, & cæt. *occiderit, pœna ea teneatur, quæ eſt legis Corneliæ de Sicariis*. An damnati inter Sicarios lege Cornelia inſuebantur culeo? nequaquàm, ſed mittebantur in exilium. Neceſſe eſt igitur fateri, L. Syllam de utroque crimine ſimul tuliſſe, eademque lege Sicariis exilium, Parricidis culeum dediſſe; Pompejum autem aliquantò poſt pœnam illam retinuiſſe, quam Sylla in Parricidas lege ſua de Sicariis conſtituerat. Quòd ſi cui dubium adhùc ſit, nùm Sylla more Majorum puniri Parricidas juſſerit, legat Orationem pro Sex. Roſcio ad hunc locum: *hanc condicionem miſero ferunt, ut optet, utrum malit cervices Roſcio dare, an inſutus in culeum, per ſummum dedecus vitam amittere*. velitne interfici ab Accuſatoribus, & inimicis; an damnatus à Judicibus in culeum inſui, & proiici in flumen. Quapropter idcircò dixerim Cn. Pompeium Magnum tuliſſe peculiarem legem in Parricidas, non ut pœnam vel minueret, vel augeret; ſervat enim eandem, quam jam antea dabat lex Cornelia; ſed ut maleficii magnitudo ex eo potiſſimùm intelligeretur, quòd certa, ac peculiari lege in eos latum eſſet, quos communi Sicariorum nomine Sylla comprehenderat.

At

At quemadmodum Quæſtio de Parricidio non fuit diverſa ab illa inter Sicarios, ſed eadem plane, quippe eadem lege Cornelia conſtituta; ſic Iniuriarum nulla erat publica Quæſtio. Docet id Gruchius lib. 1. de Comitiis, uſus teſtimonio tùm Ciceronis lib. 2. de Invent. tùm Pauli Juris Conſulti; ſed nemo ferè eſt Recentiorum, à quo non idem affirmetur. Prætor enim Urbanus ex alia quadam lege Cornelia, Iniuriarum judicium, quod privatum erat, exercebat; Reiſque major, vel minor multa irrogabatur pro majori, vel minori iniuria. Notandus eſt locus Orationis pro Cæcina, quem Æbutius coactis, & armatis hominibus vi de poſſeſſione fundi dejecerat: *Ex quo genere peccati, ut illi clamitant, vel iniuriarum, vel capitis judicia conſtituta ſunt, in eo poteſtis atrocitatem noſtram reprehendere, cum videatis nihil aliud actum, niſi poſſeſſionem per interdictum eſſe repetitam?* Triplex erat actio in Æbutium; prima leviſſima ſecundùm Jus civile, qua per interdictum Prætoris repetita eſt fundi poſſeſſio; ſecunda atrociſſima ex lege Cornelia inter Sicarios, qua in diſcrimen publicæ Quæſtionis, & judicium Capitis vocari poterat; tertia media Injùriarum, itidem ex lege Cornelia, quæ neque publica Quæſtio eſt, neque pœnam capitis infligit. Quid verò reſpondebimus pro Pomponio? In primis non illud ei venit in mentem, ut omnes à Sylla inſtitutas publicas Quæſtiones referret, ſed aliquas tantùm gratia Exempli. hinc de Repetundis, deque Majeſtate non commemoravit, quas ęquè Dictator Sylla conſtituerat, ac illas de Falſo, & de Sicariis. Deinde ex diverſis criminibus, variiſque pœnarum generibus diverſas etiam ipſe arguit Quæſtiones; licet una, eademque Lex diverſa illa crimina, diverſa inflicta pœna, compeſcat; proindeque

duas

duas diverſas tradit eſse Quæſtiones publicas, inter Sicarios, & de Parricidio, de quibus una lege tulit L. Sylla, quæque uni demandabatur Prætori, ſicuti dictum eſt. Tandem, publica *Quæſtio* apud Pomponium aliquanto latiùs patet, quàm quommodò vulgò ſumitur; ut nimirùm ſignificet omnem *Quæſtionem*, quæ pro publica utilitate exercetur, quamvis privata ſit. Quæſtionem itaque Iniuriarum publicam vocat, quòd utile ſit Reip. hanc inferendæ alteri iniuriæ cupiditatem in libera Civitate prohibere; nos privatam dicimus, quòd neque ſit capitalis, neque conſtituto Judicio fiat per certum ad id creatum *Quęſitorem*, neque cuilibet è Populo actio competat, ſed illis tantummodo, qui paſſi ſunt iniuriam; prima tamen ex tribus condicionibus non eſt per ſe neceſſaria.

Quod autem ultimo loco quærebatur, videtur eo conſilio ſcripſiſſe Pomponius, quatuor à Sylla fuiſſe adiectos Prætores, ut quatuor à ſe commemoratis *Quæſtionibus* ſuos aſſignaret *Quæſitores*. Verùm ex iis, quæ ſunt hactenùs dicta, manifeſtum eſt, non ejuſmodi fuiſse Viri eruditiſſimi mentem, cum & unus, idemque Prætor inter Sicarios ſimul, deque Parricidio quæreret, & Judicium Iniuriarum ad Prætorem Urbanum, non ad quempiam illorum, quos inſtituiſſet Sylla, pertineret. Res tamen hęc univerſa altiùs repetenda eſt, &, ut dici ſolet, ab ovo: Unus creatus eſt Prætor, qui inter Cives; deinde alter additus, qui inter Cives, & Peregrinos jus diceret. mox quatuor creari cœpti, quorum duobus Siciliæ, & Sardinia provinciæ mandabantur plerumque, nam hæ duę Provincię primæ omnium extra Italiam ſub dictionem Romanorum venerunt; & ſex primùm fuere, anno V. C. 553. Cethego, & Rufo

& Rufo Coſſ. *creſcentibus jam provinciis, & latiùs pateſcente imperio*, ut notat Livius lib. 32. Quamvis autem lex quædam eſſet Bæbia, cujus meminit idem Livius lib. 40. *ut alternis annis modò quatuor, modò ſex Prætores crearentur*; nihilominùs ut plurimum ſex creatos fuiſſe ex illius Hiſtoria patet. & quidem uſque ad Syllæ Dictaturam, referente Vellejo lib. 2. de quodam Magio, tempore belli Socialis: *cujus pietati plenam Populus R. gratiam retulit, ipſum viritim Civitate donando, duos filios ejus creando Prætores, cum ſeni adhùc crearentur*. Pomponius quatuor tradit additos à Sylla, ut eſſent decem; at non idem habent Cicero, & Tacitus, quorum neceſſe eſt obtineant multum ponderis teſtimonia. Cicero enim in Miloniana, & poſt Reditum in Senatu, ait ſeptem Prætores de ſuo reditu, ut lex ferretur, conſenſiſſe; dicit porrò in Piſonem, & pro Sextio, omnes Prætores præter unum, qui Appius erat Clodii frater, legem illam promulgaſſe. unde ſequitur, octo Prętores tantùm fuiſse. Tacitus lib. 1. Annal. hęc refert de Tiberio: *Candidatos Præturæ duodecim nominavit, numerum ab Auguſto traditum*; conſtat autem ex Suetonio duos additos fuiſſe à C. Cæſare, totidem ab Auguſto: non igitur inſtituti à Sylla plures, quàm octo fuere. Hanc difficultatem non diſſimulavit Gruchius, cum ageret de Comitiis, quem ego ſequutus, graviſſimos Auctores hac ratione compono: Sicut, cum lex Bæbia manebat, nondùm Civilibus bellis Rep. perturbata, alternis annis quatuor creari Prætores poterant, & ferè ſex quotannis creabantur; ſic, lege L. Syllæ manente, ita octo Prætores cępti ſunt creari, ut tamen decem quoque creari poſſent. ad inſtitutum Syllæ reſpexit Pomponius; conſuetudinem illorum tem-

porum Cicero, & Tacitus notarunt. Hinc lib. 3. de Legibus hęc extat Lex de Prætoribus: *Huic poteſtate pari, quotcumque Senatus creverit, Populuſque juſſerit, tot ſunto*; hoc eſt lege Bæbia primùm, ſive Sex, ſive quatuor; deinde lege Cornelia, decem, aut octo creari poterant, prout decreviſset Senatus, & Populus juſſiſſet.

Sed ſatis hactenùs pugnatum ſit; ſi me tamen in arenam redire volueris, non detrectabo certamen. Vale. VII. Id. Nov. A. S. 1696.

LIBRI SECUNDI
EPISTOLA PRIMA.
AD NOB. N. N.

De Senatu.

URbem Romam, omnium gentium Arcem jure dixerimus; ipſius Romę, Senatum, quo in univerſo terrarum Orbe nihil erat auguſtius. Hujus dignitas, atq; amplitudo ferè per ſeptingentos annos permanſit incolumis; an idem etiam Civibus in illũ Ordinem aditus ſemper patuit? De primis utcumq; Reip. temporibus nulla eſt controverſia; id verò à Sylla Dictatore immutatum fuiſſe, negant plurimi, quidam affirmant, quibus ego libens aſſentior. Te coràm, in diſceptationem res veniat; cui neq; gravitas deeſt ad ſuſtinendam Judicis perſonam, neque ad Cauſam cognoſcendam doctrinà, neq; Sapientia ad judicandum. Sed antequàm legis omnia, quę hiſce literis continentur, cave, ne prejudicii quid facias; tùm denique, ſicut mos eſt, ſententiam feras, cum peroravero.

Ante Syllę Dictaturam ii tantùm Senatores erant, quos in Senatum legiſſent Cenſores; ita tamen, ut eos plerumque legerent, qui Magiſtratus geſſerant. Oratione pro C. Rabirio Poſtumo, inducit Cicero Equites R. M. Druſo Tribuno pl. novam Quęſtionem ferenti reſiſtentes, & ſic cum Senatoribus diſputantes: *Tam es tu Judex, quàm ego Senator; ita eſt*

I 2 (reſ-

(reſpondebant Equites) *ſed tu iſtud petiiſti, ego hoc cogor*. Cogebantur nimirùm Equites R. ſedere Judices etiam inviti, poſt legem Sempроniam; at Senatores aditum in Curiam petebant, quia petendo illos honores conſecuti fuerant, quos adepti ſtatim à Cenſoribus legebantur in Senatum. Quo refertur illud etiam Pomponii de Origine Juris, cum Cn. Flavii Scribæ Ap. Claudii mentionem faceret, qui Librum Actionum Civilium Populo dederat: *& adeò gratum*, inquit, *fuit id munus Populo, ut Tribunus pl. fieret, Senator, & Ædilis Curulis*. hoc eſt, Tribunum pl. cum Populus creavit, proindeque factum eſt, ut hominem Tribunitium Cenſores continuò inter Patres Conſ. legerent; cumque jam eſſet Senator, Ædilitatem præterea conſecutus eſt. Cum verò apud Feſtum commemorantur ii, qui poſt luſtrum conditum ex Junioribus Magiſtratum ceperunt, & in Senatu ſententiam dicunt, quòd jure Magiſtratus Senatus daretur; id procul dubio ad poſteriora tantùm tempora referri debet. Poſt Syllam enim longè diverſa fuit ratio, lata, opinor, lege ab eodem Dictatore, ut qui Quæſtor fuiſſet, Senator eſſet; quod Tacitus innuit lib. 11. Annal hiſce verbis: *poſt lege Syllæ viginti*, (ſc. *Quæſtores*) *creati ſupplendo Senatui, cui judicia tradiderat*. Quomodo enim augendo *Quæſtorum* numerum, ſupplere Senatum Sylla poterat, niſi juſſiſſet, quemlibet poſt *Quæſturam* eſſe Senatorem? ſed hoc idem multis præterea conjecturis confirmatur. Per undecim annos, à Dictatura Syllæ uſque ad Conſulatum Pompeii, & Craſſi nulli Cenſores fuerunt. nemone eo intervallo temporis novus in Curiam Senator venit? Manutius in Commentariis Verrinæ 6. ait: *Præturam, qui Senator non eſſet, ei petere non licebat*. qua ratione

ne igitur Senatores fiebant, qui ſe ad Praturam petendam comparabant? jurene Ædilitatis? at quàm multi, omiſſa Ædilitate, Prætorii Candidati erant? an jure Tribunatus pl.? tunc autem Patritiis interclusa fuiſſet Præturæ petitio. Quamobrem erat hoc munus Quæſturæ, ut, cum nulli crearentur Cenſores, qui Senatum legerent, ii omnes Senatores eſſent, qui Quæſtores fuiſſent. Proinde notandus eſt locus Verrinæ 2. cum enim ex iis Judicibus, qui ſedebant in C. Verrem, M. Metellus eſſet deſignatus Prætor, Cæſonius Ædilis, duo Tribuni pl. tres etiam Tribuni militares; nemo dicitur deſignatus fuiſſe Quæſtor. ratio eſt, quia ſoli Senatores tunc lege Syllæ judicabant, ac deſignati *Quæſtores* neque *S*enatores eſſe poterant, neque Judices, quippe qui per *Quæſturam* Senatorium gradum obtinebant. Cato Uticenſis legi in Senatum non potuit à Cenſoribus Gellio, & Lentulo; nam, cum trigeſimus annus eſset Senatoria ætas, ipſo Manutio teſte, ille tunc agebat annos quinque, & viginti. Senator tamen fuit Cicerone Conſule, ac Tribunus pl. deſignatus dixit ſententiam in Conjuratos. Verùm, ut alia, quæ multa occurrunt hujuſmodi, argumenta præteream, Cicero ipſe exemplo ſit, qui, cum profectus eſt in Siciliam ad inquirendum contra Verrem, erat Senator, ut ipſe Verrina. 3. fatetur: *Cum veniſſem Senator ad Socios Populi R. qui in ea Provincia Quæſtor fuiſſem*; neque verò illius anni Cenſores Gellius, & Lentulus adhùc Senatum legerant. Neque diſſimulandum eſt illud Horatii Sat. 6. lib. 1. vitam privatam laudantis:

Victurus ſuavius, ac ſi
Quæſtor avus, pater atque meus, patruuſque fuiſſent.

Quęſtor ait, hoc eſt Senator, ſi enim Magiſtratus ſignificare voluiſſet, non autem ampliſſimum Ordinem, quem dabat Quęſtura, Conſul, aut Prętor dixiſset, quę majorum erant nomina Magiſtratuum. Quorsùm hęc? ad confutandum Commentatorem, qui ad Orationem pro P. Quinctio, docet, *Senatorem C. Aquillium Judicem fuiſse poſt latam à Sylla legem, qua ſoli Senatores judicabant* (id, quod alibi confutavimus) *cum autem Quaſtor fuerit Cinna IV. & Carbone II. Coſſ. neceſſariò lectum in Senatum fuiſſe nondùm Quaſtorium, à Philippo, & Perperna Cenſoribus, quinquennio ante, quàm in cauſa Quinctii Judex fuerit.* fuit enim, aut eſſe potuit Senator ratione Quæſturę.

De Cicerone paulo accuratiùs videndum eſt, nùm fuerit Senator. Verrina 2. *nulla in judiciis ſeveritas, nulla religio, nulla denique jam exiſtimantur eſſe judicia. itaque à Populo R. contemnimur, deſpicimur;* nos videlicèt Senatores deſpicimur, apud quos judicia ſunt. Quęritur, quo jure illum honoris gradum fuerit adeptus; reſpondet Manutius, cui alii multi aſſentiuntur, *Quia lectus fuerat in Senatum à Gellio; & Lentulo Cenſoribus, cum legi non potuerit à Philippo, & Perperna.* Suprà oſtendi, poſt Syllę Dictaturam quemlibet. Senatorem fuiſse, geſta Quęſtura; modò vero, quod ad Ciceronem attinet, conjecturã ab Adverſariis allatam, demonſtrabo eſſe nullam. Verrina 6. queritur negatum ſibi Senatori à Mamertinis, publicum hoſpitium, ac deinde ita rem amplificat: *Qui honos non homini ſolùm habetur, ſed primùm Populo R. cujus beneficio nos in hunc Ordinem* (Senatorium) *venimus.* ſi jure Quęſturę dicàmus aditum in Curiam Ciceroni patuiſse, video id beneficio Populi R. contigiſse, à quo fuerat creatus Quęſtor; ſi velimus lectũ

in

in Senatum fuiſſe à Gellio, & Lentulo Cenſoribus, non video, quomodo beneficium Cenſorum acceptum Populo referri poſſit. Victo igitur Cęcilio, quocum in Divinatione diſputavit, ſtatim Cicero profectus eſt in Siciliam ad inquirendum contra Verrem; Senator quidem, ut habet Verrina 3. ubi de ſuo in eam Provinciam aduentu ſic loquitur: *Cum veniſſem Senator ad Socios Populi R. qui in ea provincia Quæſtor fuiſſem*. Dubium deinde eſse poteſt, quo tempore illud in Siciliam iter ſuſceperit, neque difficile eſt diuinare. L. Metellum poſt elapſum ſuę Pręturę tempus, in principio anni ſucceſſiſse Verri probabile eſt; ita enim ſolebant. is, cum quę facta fuerant à Verre, non probaret: *niſi maturè Lętilius in Siciliam veniſset cum literis, minùs triginta diebus, totam triennii Præturam reſcidiſſet*; Verrina 4. Suprà de eodem Metello: *Poſteaquàm ego inquirendi cauſa in Siciliam veni, repente Lętilii adventu, iſtius non modò amicus, verùm etiam cognatus factus eſt*. Quod ſi breue adeò ſpatium interfuit inter Metelli, & Lętilii adventum in Provinciam; Cicero autem illùc jam pervenerat, cum advenit Lætilius; neceſſe eſt, Menſe Martio ad ſummum, Ciceronem in Sicilia fuiſse, cujus adminiſtrationem paulo ante Metellus ſuſceperat. Alia etiam ratione ſic diſputo; Nonis Menſis Auguſti Actio prima in Verrem habita eſt: *nonæ ſunt hodie Sextiles*. tolle tres Menſes, quibus dolo Adverſariorum nihil actum fuerat: *Menſes mihi tres cum eripuiſsetis, ad agendum maximè appoſitos*, Verrina 3. Quinquaginta præterea dies in inquiſitione conſumptos: *Ego Siciliam totam quinquaginta diebus ſic obii*, Verrina 2. habebis ingreſsum Ciceronis in Siciliam circiter Kalendas Martias. Tertiò obſervandum eſt, quando illius anni Cenſores, Gellius, & Lentulus

tulus Senatum legere potuerint . . Quænam erant ab eo Magiſtratu præſtanda? multa, & ardua diligentèr examinare tenebantur, ex omnibus Senatoribus, quinam retinendi eſſent, qui prætereundi; ex reliquis Civibus, quinam Tribu movendi, aut Cenſorio ſtylo notandi forent; ex tot millibus Equitum R. quibus Equus eſſet adimendus; recenſere debebant ſingulorum Capita, & bona, non eorum modo, qui Romæ domicilium haberent, ſed etiam qui in Italia, aut in Provinciis, Romanæ Civitatis jure fruerentur; cavere, ne quis per fraudem in Civium R. tabulas Peregrinus irreperet; vectigalia Reip. Publicanis locare, & ſarta tecta exigere; eaque omnia ut comparaſſent, tùm demum condendo Luſtro operam dabant, legebantque Senatum. Quis putet, hæc tanta, ac tam varia intra duos Menſes confici à Cenſoribus potuiſse? à Gellio præcipue, & Lentulo, qui *Aſperam Cenſuram egerunt, IV. & LX. Senatu motis*, ut in Epit. Livii, cumque per annos ſexdecim nulli Cenſores fuiſsent, & Reſp. aucta eſſet numero Civium, & luxu vitiiſque reliquis diminuta? Nemo certè, qui Ciceronem legerit; habet enim Verrina 2. *Cum hac frequentia totius Italiæ Roma diſceſſerit, quæ convenit uno tempore undique, comitiorum, ludorum, cenſendique cauſa*; ſignificans, Menſe Auguſto nondùm peractum fuiſse Cenſum, ut legi Senatus deinde poſſet; quippe atteſtatur, eo ipſo tempore conveniſse Romam ex omni Italia maximam hominum multitudinem, cenſendi cauſa. Quid, ſi non fuerant creati Cenſores Gellius, & Lentulus, cum Cicero profectus eſt Senator in Siciliam? in Divinatione ſic Orator ferè poſt Exordium: *Judicum culpa, atque dedecore etiam Cenſorium nomen, quod aſperius antea Populo videri ſolebat, id nunc poſcitur, id jam populare,*

atque

atque plauſibile factum eſt. ſi poſcebantur à populo Cenſores, patet nondùm creatos fuiſſe, neque proinde legere Senatum potuiſse; nam Cicero ſtatim poſt habitam Orationem de Divinatione, & jam ſuperato Cæcilio, perrexit ire in Siciliam ad inquirendum, quo ſe perveniſse ait Senatorem Populi Romani, in eum Ordinem cooptatum ſexennio ante jure Quæſturæ.

Qui legendi Senatus jus omne Cenſoribus attribuunt, & quidquam immutatum negant ſub Sylla; iidem locum etiam quendam Sextianæ detorquent, lectoſq; ab univerſo Populo Senatores autumant, Conſule nominante, ante creatos Cenſores. ſic igitur legunt Oratione pro Sextio: *Deligerentur autem in id Conſilium ab univerſo Populo*, cum de Senatoribus mentio incidiſset. Duo porrò ſunt, quæ huiuſmodi interpretationem explodunt; non enim Cicero rationem legendi Senatus rectè perſcriberet, ſi tantùm illud referret, quod primis Reip. temporibus uſitatum erat, omitteret autèm novam conſuetudinem, quæ, Cenſoribus creatis, per quadringentos propemodùm annos viguerit; & illa ad ampliſſimi Ordinis dignitatem tuendam adhortatio nulla eſset, ſi vetuſtiſſimis quidem Reip. inſtitutis, at non recenti rerum conſtitutione niteretur. Deinde ipſa examinanda ſunt verba: *Deligerentur autèm in id Conſilium ab univerſo Populo, adituſque in illum ſummum ordinem omnium Civium induſtriæ, ac virtuti pateret*. Hæc duo ad unum, idemque tempus referri, veriſimile eſt, ne germanus Orationis ordo tollatur; tum ſcilicet à Populo Comitiis datum fuiſse Ordinem Senatorium, cum ex quolibet ordine Civium deligi poterant Senatores. quo verò tempore Civibus omnibus aditus patere cœpit in Curiam? Ne fruſtrà diſputando tem-

tempus teram; manifeſtum eſt, Plebejos tùm denique factos fuiſſe Senatores, cum, lege Licinia Sextia perlata de altero Conſule ex Plebe creando, Magiſtratus conſequi cęperunt. Hinc Appius apud Livium lib. 6. legem illam diſſuadens ita de Senatoribus loquitur: *Sed nos quoque ipſi ſine ſuffragio Populi auſpicato Interregem prodamus, & privatim auſpicia habeamus, quæ iſti ne in Magiſtratibus quidem habent*. cum ſoli Patritii proderent Interregem, id factum à Senatoribus dicit, quòd uſque ad illud tempus iidem eſſent Patritii, ac Senatores, & nemo in Curia Plebejus aſſideret. Itaque neque ante creatos Cenſores, cum univerſus Populus Senatum deligeret, neque multò poſt, aditus in ſummum Ordinem patuit omnibus promiſcuè Civibus; adeòque ad diverſa Reip. tempora, duo illa ſpectare neceſſe foret, quod eſse abſurdum, nemo non videt. Quòd ſi adhuc perſeveras malè ſentire, explica illud Ciceronis pro Rabirio Poſtumo: *tu iſtud petiiſti, ego hoc cogor*. Equites Romani, ut initio dicebam, M. Livio novas leges ferenti reſiſtebant; & orta contentione cum Senatoribus, dicebant, eos quidem petiiſse, ut fierent Senatores; ſe verò cogi à Quæſitoribus in conſilium ire, & ſedere Judices. Quo tempore petebant? an cum deligebantur ab univerſo Populo? ridiculum eſt; non enim ab illorum Majoribus, ſed ab iis ipſis, quibuſcum erat diſputatio, peti Ordinem Senatorium Equites R. prædicabant. At quomodo petebant, ſi jus illud Cenſorum erat, lectique à Cenſoribus, non precariò, non per ambitum, cogebantur in Senatum venire? Univerſus nimirùm Populus dabat Magiſtratus petentibus Candidatis, eoſque omnium Ordinum homines conſequi poterant; qui autem Magiſtratus petendo adeptus fuerat, continuò à Cenſoribus legebatur in

Se-

Senatum, & poſt Syllam Dictatorem, Senator erat, qui fuiſset Quęſtor. Quapropter Senatorium gradum petere videbatur, qui Magiſtratus petebat; idemque Populus, qui Magiſtratus crearet, deligere Senatores dicebatur. patebat etiam aditus in Curiam omnibus Civibus, cum liceret omnibus poſt legem Liciniam Sextiam, quod tempus eo loco notatur, capere Magiſtratus. Optimè Cicero idem Verrina 6. *qui honos non homini ſolùm habetur, ſed primùm Populo R. cujus beneficio nos in hunc Ordinem venimus*; ab univerſo Populo ſimul & Quęſtor creatus, & delectus fuerat Senator.

Quęrendum hoc loco eſt de Senatoria etiam ætate. Anno V. C. 655. Siculi, maximèque Haleſini cum à Romano Senatu peterent leges, quas in ſuæ Civitatis Senatu cooptando ſeruarent, cumque illas C. Claudius Siciliç Prętor conſcribere juberetur; prima omnium hęc de ętate lex datur, Cicerone teſte Verrina 4. *ne quis minor triginta annis natu Senator eſſet*. Quis neget, eandem & Romę Senatoriam ętatem fuiſſe? inquit Manutius; quod probo. licèt enim Sylla Dictator legem tulerit, ut qui Quęſtor fuiſset, Senator eſſet; tamen & illud additum puto, ne quis minor triginta annis natu peteret Quæſturam. Hinc ante illius dictaturam, cum Cenſores jure ſui Magiſtratus Senatum legerent, eoſque tantùm cooptarent, qui trigeſimum annum compleſſent, legimus quoſdam fuiſse Quęſtores ætatis anno vigeſimo ſeptimo, & duos maximè Gracchos; poſt autem conſtitutam à Sylla Remp. Cæſar, ut ex Suetonio colligitur, Cicero, & Cato triginta annos nati Quæſturam adepti ſunt; eoſque non eſt veriſimile, legitimum petendorum Magiſtratuum tempus pręterire voluiſse. quã utriuſque temporis diuerſam conſuetudinem non be-

ne

ne advertit Panvinius; ſed neque ipſe Gruchius hujuſmodi rerum Commentator accuratiſſimus. Cæterùm ad illam ſuam conjecturam confirmandam tali utitur idem Manutius exemplo: *Itaque*, ait, *cum Pompejo in Africam contra Domitium, & Hiarbam proficiſcenti Conſulare imperium cum exercitu adhuc Equiti R. datum eſſet; dicente L. Philippo in Senatu contra neſcio quē objicientem, non oportere mitti hominem privatum pro Conſule, non ſe illum pro Conſule, ſed pro Conſulibus mittere. laudavit eum Cicero in Maniliana*. Hic duo ſunt, quæ reprehenſione digna videntur. nam neque id à Philippo de Cn. Pompejo dictum eſt, in Africam profecturo; neque idcircò Eques R. vocatur Pompejus, quòd nondum trigeſimum annum attigiſſet. Primum illud patet ex ipſo Cicerone pro Lege Manilia, qui cum de expeditione Africana locutus fuiſſet, ad rem aliã tranſitum facit: *Quid tam inuſitatum, quàm, ut, cùm duo Conſules clariſſimi, fortiſſimique eſſent* (M. Æmilius, & D. Brutus) *Eques R. ad bellum maximum*, & cæt, manifeſtè ſignificans bellum Hiſpanienſe contra Sertorium. idem fatentur Hiſtorici omnes; Pompejum miſsum in Hiſpaniam fuiſse à Senatu poſt mortem Syllæ; à quo Dictatore multo ante miſsus in Africam contra Domitium, nihil tale tunc temporis decernente Senatu, de eadem Provincia, deque Rege Hiarba triumphaverat; Sex. Aurelius, Eutropius, Florus. Alterum quoque ſic oſtendo. eadem Oratione hæc habentur: *quid tam ſingulare, quàm ut ex Sen. Conſulto legibus ſolutus, Conſul ante fieret, quam ullum alium Magiſtratum per leges capere licuiſset? quid tam incredibile, quàm ut iterùm Eques R. ex S. C. triumpharet?* Triumphavit igitur de Hiſpania iterùm poſtquàm deſignatus eſt Conſul, & annos natus, ut oſtendam alio loco,

tri-

trigintá quinque. at cur etiam tùm dicitur Eques R. cum quinque ſuprà Senatoriam ætátem annos ageret? quòd non fuerat Quæſtor, qua de re alibi fuſiùs. neque vocari potuit Eques R. ob defectum Senatoriæ ætatis, qui, ea quoque completá, tamen Eques R. appellatus eſt.

Poſtremò Philippica 6. in Scenã veniat, ejuſq; prima verba recitentur ad hanc abſolvendã quoquo modo Quæſtionẽ de Senatu: *Audita vobis eſſe arbitror, Quirites, quæ ſint acta in Senatu, quæ fuerit cujuſque ſententia*. Oſtendere videtur hic locus apertis valuis ejus Templi, in quo Senatus haberetur, potuiſſe Populũ audire, quæ à Senatoribus dicerentur, ſed quia non univerſus Populus audire poterat, ideò Cicero, data concione ab Appulejo Tribuno pl. acta illius diei exponit omnibus. Quam Commentatoris argumentationem ne probem, multa faciunt. 1. Paulo poſt ipſe Orator fatetur, neminem Plebejum aditum in Curiam habuiſſe, cum ait: *ita reſpondebo, ut ea, quibus non interfuiſtis, noſſe poſſitis*. ne Concionibus quidem omnis Populus intererat; neque tamen idcircò dicebatur non interfuiſse iis rebus, quæ coràm aliqua parte Populi tranſigerentur. 2. Non eſt probabile, cum tanta inter Senatores, & Plebem ſimultas eſſet, & ſepe multa in Senatu referrentur contra Plebis commoda, ac voluntatẽ, potuiſse quemlibet ex Plebe, quę dicerentur audire, ut ſinguli metu inſanientis Populi deterreri poſsent à dicenda liberè ſententia. 3. Oratione tertia in Catilinã: *quę quoniã in Senatu illuſtrata, patefacta, comperta ſunt per me; vobis jã exponã breviter, Quirites, ut & quanta, & quã manifeſta, & qua ratione inveſtigata, & comprebenſa ſint, Vos, qui & ignoratis, & expectatis, ſcire poſſitis*. cur, ſi multi audierant, omnes ignoraſse dicuntur, cũ ab iis etiam reliqui doceri

po-

potuerint? 4. Non video, quamob cauſam nuſquàm à Cicerone, & Antiquis Hiſtoricis huiuſce rei mentio fiat, ex qua plurima perſæpe conſequi abſurda neceſſe erat. 5. An ſic putamus anguſtum fuiſſe Templum, in quo Senatus habebatur, ut, cum quadringenti, & ampliùs Senatores aſſediſſent, Populus etiam audire poſſet, quæ dicerentur? niſi forte plebejos homines immixtos fuiſse Patribus affirmemus. At enim apertę erant valuæ Curiæ; eſto, non tamen, ut quilibet ingredi poſſet, ſed ne quaſi carcere incluſi Senatores viderentur. Philippica 5. queritur Cicero ſub Antonio Conſule: *De Templo carcerem fieri, opertis valuis Concordię, cum inter ſubſellia Senatus verſarentur latrones, Patres Conſcriptos ſententiam dicere*. Quæris tandem, qua ratione Populo *Audita* eſsent, quæ fuerant acta in Senatu? ex illo enim verbo tota oritur controverſia. Philippica 10. *An verò hoc pro nihilo putas, efferri hęc foras, & ad Populi R. aures pervenire?* Philip. 14. *Hæc Populum R. videre, animadvertere, judicare quidam moleſtè ferunt.*; poſt alia quædam: *ſciſcitantur omnes, avent audire*. Videſne, ut Principum etiam, Regumque conſilia quandoque manant in vulgus, omnibus ea curioſius ſciſcitantibus, ita Senatorum ſententias Populo patuiſſe? Rumor ſcilicet in Plebem manaverat, Ciceronem, & Calenum diverſa in Senatu ſenſiſſe, factumque Sen. Conſultum de mittendis ad Antonium Legatis; non tamen noverat, qua ratione ſingula agitata fuiſsent; non enim interfuerat.

Si tibi videor bonam Cauſam tueri, eam judicio, atque auctoritate tua confirmare debes. Vale. vii. kal. Auguſti. A. S. 1697.

EPI-

EPISTOLA SECUNDA.

AD NOB. N. N.

De Ordine Equeſtri.

IGnorabam, quibus re ipſa finibus Equeſter Ordo contineretur, & quod multis obſtruſa eſset difficultatibus, hanc unam Romanæ Reip. quamvis potiſſimam partem, decreveram non attingere; cum tu mihi accuratam illam, variaque eruditione refertam de Annulis Equitum R. diſputationem exhibuiſti, quam tuis in Juvenalem Commentariis intexeras. Nihil profectò erat, quod non probarem; nonnulla tamen reſtare videbantur, quę vel diligentiam tuam effugerant, vel ad Operis inſtitutum minime pertinebant. adeòque ſtat illud mihi rem curioſiùs inquirere, cum ſtratam à te viam cernam, oblatamque facem, ne penitùs jacerem in tenebris. En igitur Commentariorum tuorum brevem Appendicem, ac veluti Corollarium quoddam, quod à te benignè acceptum iri confido.

Philippica 6. invehitur Cicero in ſtatuas L. Antonio Tribuno pl. poſitas in foro, alteram à triginta quinque Tribubus, *alteram ab Equitibus R. equo publico*, qui ſcilicet Equo publico militarent: *Equeſter enim Ordo*, ait Manutius, *conſtabat ex iis, qui Equo publico mererent; dabat autem Equum Cenſor, ex Livio lib. 39. Hi ſoli Equites R. vocabantur, & his erat præfinitus cenſus cccc. qui verò Equo publico non mererent, dicebantur tantùm Equites*. hoc eſſe falſum non levibus adductus conjecturis affirmo. In primis hujuſmodi in Equeſtri Ordine diſcrimen neque apud Ciceronem

ne-

reperio, neque apud Livium, aut veteres Hiſtoricos, ut alii eſſent Equites R. alii tantùm Equites. Deinde loco laudato non debebat Cicero, cum dixiſſet poſitam Statuam L. Antonio *ab Equitibus R.* addere, *Equo publico*; ſi Equites R. ii tantummodo erant, qui Equo publico mererent. Poſtremò, ne ſingula fruſtra perſequar, Equites R. dicebantur Publicani omnes, & quicumque cenſum haberent HS CCCC. non modò Romæ, ſed etiam in Coloniis, & Municipiis, præterea filii Senatorum, antequàm Magiſtratus ceperant, cum Pompejus Magnus Viri Conſularis filius, ſemel, atque iterùm Eques R. triumphaverit. quis autem huic tantæ hominum multitudini datum à Cenſoribus Equum publicum putet? in quibus Exercitibus tot Equitum millia Equo publico merebant, cum alii multi eſſent, ut infra oſtendam, qui mererent quidem Equo, at non à Cenſoribus dato? Ut huic etiã Quæſtioni pro virili ſatisfaciam, illud mihi ſumo, nomen Equitis ad tria poſſe referri; ad Militiam, ad Cenſum, & ad Comitia. de ſingulis videamus.

Eorum, qui in bellis Equo utebantur, alii erant Equites R. quibus à Cenſoribus Equus dabatur, alii, cum cenſum Equeſtrem non haberent, ſibi ipſi Equum emebant. Philippica I. reprehendit Orator legem ab Antonio latam, ut Centuriones, qui Ordinem duxerant, qui tamen Cives R. eſſent, judicarent in tertia Decuria, hiſce verbis: *at, ſi ferretis, quicumque Equo meruiſſet, quod eſt laudatius; nemini probaretis. in Judice enim ſpectari & fortuna debet, & dignitas*. Hinc habes, multos Equo meruiſse, in quibus neque fortuna cenſus eſſet, neque dignitas Ordinis Equeſtris; quos Equum publicum non accepiſſe manifeſtum eſt, cum eo nomine ad res judicandas

das vocari non poſſent, quia non erant Equites R. daretur tamẽ Equus publicus huic tm̃ Ordini. Quapropter Livius lib. 23. de Magone, qui ex multitudine annulorum aureorum, quos in Curia Carthaginienſium effuderat, magnitudinem Cannenſis cladis arguebat: *Adiecit deinde verbis, quo majoris cladis indicium eſſet, neminem niſi Equitum, atque eorum ipſorum Primores, id gerere inſigne;* hoc eſt eos Equites, qui eſſent ex Ordine Equeſtri, cujus Ordinis inſigne Annulus aureus erat, ſicut infra dicemus. Nam Patritii, & Nobiles adoleſcentes, priuſquàm in Senatum venirent, decem ſtipendia facere cogebantur, accepto a Cenſoribus Equo publico; quem habuiſſe Livius narrat M. Salinatorem, & C. Neronem, lib. 29. L. Scipionem Aſiaticum lib. 39. idemque refert de Cn. Pompejo Plutarcus. iis autem qui reipſa Ordinis Equeſtris eſſent, nunquàm petituri, aut Ordinem Senatorium, aut Magiſtratus, datum fuiſſe Equum publicum, ex hac Philip. 6. ſimiliter patet: *altera ab Equitibus R. equo publico*. At cur equo publico? procul dubio, quia multi erant Equites R. qui equo publico non merebant. & ſanè notanda ſunt Livii verba lib. 29. *Equitum deinde cenſus agi ceptus eſt; & ambo forte Cenſores Equum publicum habebant;* poterant igitur & non habere Equum publicum, ſi forte accidit, ut haberent. Hæc ſatis multa de Equitibus R. quod attinet ad militiam.

Cenſus Equeſtrem Ordinem à Plebe, & Senatu diſtinctum conſtituebat, ut qui HSCCCC. poſſideret, is Eques R. eſſet; qui minus haberet, nequaquã. Quicumque apud Ciceronem Equites R. dicuntur, eos omnes tantumdem in Cenſu habuiſſe neceſſe eſt; ratione Cenſus in ſecunda Decuria lege

 Au-

Aurelia judicabant; ratione Cenſus, illam ſui Ordinis dignitatem obtinebant. quamvis enim neque mererent Equo publico, neque in Centuriis Equitum ſuffragium ferrent, eſſe tamen poterant Equites Romani; at ad tertium Ordinem tranſibant, ſi Cenſus deficeret; ideſt cum fortuna dignitatem quoque & ſplendorem amittebant. quæ omnia innumeris propemodùm Veterum teſtimoniis confirmantur.

De Centuriis Equitum, quæ Comitiis centuriatis primæ omnium ſuffragium ferebant, vide Livium, & Dionyſium, ubi res geſtas Servii Regis exponunt. illud addam hoc loco, non omnes Equites R. in iis Centurjis ſuffragium tuliſſe, ſed eos tantùm, qui Equum publicum haberent; ſeu forent Equites R. ſeu Senatores. Liuius lib. 1. *Ita pedeſtri exercitu ornato, diſtributoque, Equitum ex primoribus Civitatis duodecim ſcripſit Centurias* (ex Senatoribus, aut Senatorum filiis) *Sex item alias Centurias, tribus ab Romulo inſtitutis, ſub iiſdem, quibus inauguratæ erant, nominibus fecit* (ex iis Civibus, qui cenſum haberent Equeſtrem, & eſſent Equites R.) *ad equos emendos, dena millia æris ex publico data*. Primis igitur temporibus, decem & octo Equitum Centuriæ utrumque Ordinem complectebantur, Senatorium, & Equeſtrem, & omnibus ex publico datus Equus; mox, ut ſuprà oſtenſum eſt, plures utriuſque Ordinis Equum publicum non habebant; ſemper autem ii ſolummodo ſuffragium ferebant in Equitum Centuriis, qui Equo publico mererent. Philippica 7. de L. Antonio: *Patronus Centuriarum Equitum R. quas item ſine ſuffragio eſſe voluit*. Statuam Lucio poſitam dicit Cicero ab Equitibus R. Equo publico, Philip. 6. à Centuriis Equitum R. Philip. 7. quia Centuriæ Equitum con-

ſtabant

ſtabant ex iis, qui Equo publico mererent. At, inquies, quem locum dabimus Centuriatis comitiis, Primoribus Civitatis, & iis Equitibus R. quibus non eſſet Equus publicus? Equidem opinor, in Centuriis peditum; ſed plerumque Viri principes negligebant ſuffragium ferre, & adeſſe Comitiis. Oratione pro Murena: *Si L. Natta, ſummo loco adoleſcens, in Equitum Centuriis voluit eſſe, & ad hoc officium neceſſitudinis, & ad reliquum tempus, gratioſus.* Epiſt. 16. lib. 11. ad D. Brutum: *Nunc, ſi me tanti facis, quanti certè facis, quando Equitum Centurias tenes, in quibus regnas, mitte ad Lupum noſtrum, ut is nobis eas Centurias conficiat.* Si Equitum Centuriæ ex omnibus Senatoribus, & Senatorum filiis conſtabant; quomodo vel L. Natta adoleſcens ſperabat, fore, ut dato epulo earum ſibi gratiam conciliaret, vel D. Brutus tantum apud illos auctoritatis obtinebat, ut in iis regnare diceretur? Ex his omnibus colligo, Equites R. fuiſſe, qui cenſum haberent, licèt non omnes promiſcuè aut Equum publicum, aut locum in Centuriis Equitum obtinuerint; neminem tamen aut Equo publico meruiſſe, aut in Centuriis Equitum ſuffragiū tuliſſe, qui non eſſet vel Senator, vel Eques R.

Annulum porrò fuiſſe Equitum R. inſigne, quo diſtinguebantur à cæteris Ordinibus, patet ex Plinio: *Annuli diſtinxerunt alterum Ordinem* (Equeſtrem) *à plebe; ſicut tunica ab Annulis* (ab Equitibus) *Senatum tantum*, aſſentiente Horatio Sat. 7. lib. 2.

Tu, cum projectis inſignibus, annulo Equeſtri,
Romanoque habitu.

Ubi notandum obiter, ita conceſſos annulos fuiſſe Equitibus R. ut Plebi denegarentur, non Senatori-

bus; utrique enim Ordini, Senatorio, & Equeſtri honos ille communis erat. Sed & aureos fuiſſe, non vilioris alterius materiæ, annulos Equitum, docet Livius lib. 23. Magonem inducens effundentem in veſtibulo Carthaginienſis Curiæ annulos aureos, ſpolia Cannenſis pugnę, qui deinde hæc habet: *Adiecit, quo majoris cladis indicium eſſet, neminem niſi Equitum, atque eorum ipſorum Primores, id gerere inſigne*. Ex quo alterutrum neceſſariò conſequitur; aut non omnes Equites R. uſos eſſe tunc temporis annulo aureo, ſed primores tantùm, quod non eſt probabile; aut in Equitum turmis alios etiam ex Plebe militaſſe. Tandem maior, vel minor Annulus cuique erat pro majori, vel minori cenſu; teſte Juvenale Sat. 7. *Ciceroni nemo ducentos*

Nunc dederit nummos, niſi fulſerit Annulus ingens. His prælibatis, explicandus eſt Cicero, Oratione pro Sex. Roſcio; nam cum patris Roſcii bona Chryſogonus ab haſta emiſſet, filius prȩterea dicitur annumeraſſe omnem pecuniam Sectori, dediſſe ipſum veſtitum: *Annulumque de digito ſuum tibi tradidit*. Sex. Roſcium non fuiſse Equitem R. ex eadem Oratione manifeſtum eſt; quo igitur jure ferebat Annulum, quem Chryſogono tradidit? *Non aureum*, ait Manutius, *ſed ferreum; nam aureo Senatoribus tantùm, & Equitibus uti licebat*. Quis verò exiſtimet, hominem, cui prȩter numeratam pecuniam, ſexagies HS hȩreditas veniebat, ferreum annulum geſtaſſe? Chryſogonum, cum tam multa & haberet, & eriperet, de ferreo illo annulo ita fuiſse ſolicitũ? Quòd ſi ad exaggerandũ, fictum hoc, & additum de induſtria à Cicerone dicatur; eſset profectò hujuſmodi amplificatio futilis, enervis, ac planè indigna tãto Oratore, utpote in re leviſſima, ac minimè probabili. Quamobrem

brem mea ſententia eſt, omnes promiſcue uti annulis aureis potuiſſe; ſed in Senatoribus, & Equitibus fuiſſe illud honoris inſigne, in reliquis inſtrumentum ad Epiſtolas, & Syngraphas obſignandas neceſſarium, manus ornamentum, indicium pecunię. ſicut & apud nos jus Annuli doctis hominibus ſolùm datur, & laurea inſignitis; neq; tamen indocti, & nulla inſignes doctrinæ laude, pęna aliqua coercentur, ne vulgò ferant. Ex Ver. 5. id colligitur : *Annulo eſt aureo Scriba donatus, & ad eam donationem Concio eſt advocata; quod erat os tuum, cum videbas in concione eos homines, quorum ex bonis iſte annulus aureus donabatur, qui ipſi annulos aureos poſuerant, liberiſque] ſuis detraxerant?* an Scriba donatus annulo aureo à Verre Eques R. erat? an Equites R. Siculi omnes, qui ſibi, ſuiſque liberis annulos aureos detraxerant? concludit paulo poſt : *non enim iſte annulus aureus abs te datus iſtum virum fortem, ſed hominem locupletem eſse declarat; ita eundem annulum ab alio datum, teſtem virtutis duceremus, abs te donatum, comitem pecuniæ judicamus*. Ergo præter Equites R. & Senatores, ferebant annulum aureum tum alii quidam ab Imperatoribus donatum, teſtem virtutis; tùm locupletes homines, pecuniæ comitem, & inter locupletes ipſum Sex. Roſcium recenſeo. Cum hæc jam ſcripſiſsem, animadverti eandem fuiſse & Iſidoro ſententiam, cujus referam fideliter verba : *Annulum aureum*, ait ille, *neque ſeruus, neque libertinus geſtabat in publico; ſed annulo aureo liberi utebantur, libertini argenteo, ſervi ferreo*. At Joannes Kirchmannus, ut Iſidorum refellat, Plutarchi in Mario, & Appiani lib. 2. teſtimonia commemorat, ex quibus nihil aliud habetur, quàm Senatores, & Equites R. añulo aureo uti conſueviſse, quòd ſine controverſia perſpicuũ eſt; Dionyſii quoq;

lib. 48. ubi hæc legimus : *Apud antiquos Romanos non modo liberto, ſed nec ingenuo quidem uti licebat annulo aureo, niſi Senator eſſet, aut Eques.* quis non videt nobiſcum ſentire Dyoniſium ? quod enim uſitatum fuiſſe negat antiquis Romanis, idem innuit poſterioribus Reip. temporibus vulgò uſurpatum ab omnibus ingenuis. Cæterùm, ut bona pace C. Plinii dicam, quod ſentio ; non tam annulus aureus Equeſtrem diſtinguebat ab reliquis Ordinibus, quàm anguſtus Clavus ; ideòque Vellejus lib. 2. de Mæcenate : *quippe vixit, anguſti clavi pene contentus*; hoc eſt, Equeſtri Ordine pænè contentus fuit: qui porrò locus alibi erit majori cum diligentia examinandus contrà Recentiores.

De Equitibus R. aliquid videtur addendum ex Oratione pro Rabirio Poſtumo, ubi eorum vitæ condicio fusè deſcribitur. Non enim adeò ſtulti, ac dementes erant, ut non intelligerent, quàm præclarum foret honores ampliſſimos in Rep. conſequi, & primum dignitatis gradum obtinere : *nos iſta numquàm contempſimus*. atteſtantur, ſe non per contemptum ea neglexiſſe, quæ maximo in precio haberentur ; ſed, cum viderent plurima pericula iis eſſe propoſita, quos vitæ genus ejuſmodi delectaret, prætuliſſe quietam, atque otioſam vitam iis tantis bonis ſummo cũ labore parandis, ac retinendis. Verùm, cum enumeret Orator omnia illa, quibus Equeſter Ordo carebat, de cęteris quidem conſtat ; non enim Sellam curulem, Faſces, Imperia, Provincias, Triumphos, & Jus imaginis habere poterant, qui in Magiſtratu non fuerant; de Sacerdotiis eodem modo non liquet. Dicebantur Equites R. quicumq; nondùm ad Remp. acceſſerant propter ætatem, ſic Oratione pro lege Manilia Pompeius Eques R. vocatur, cum bis triumphaſſet,

licèt

dicèt ſummo loco natus, & ex familia Conſulari, quia nullum geſſerat in Urbe Magiſtratum. Atquàm multi hujus generis nobiles Adoleſcentes, aut à Collegiis cooptati, aut ſuffragiis Populi creati ſunt Sacerdotes? P. Lentulus Spintheris filius, Fauſtus Sylla, P. Craſſus, L. Natta, alii non pauci, quorum apud Veteres mentio fit. Animadvertendum tamen eſt, cum univerſus Populus R. in tres Ordines diſtribueretur, Senatores, Equites, & Plebem, & nullus omninò Civis eſſet, qui non ad aliquem horum Ordinum referretur, aut ſimul ad plures referri poſſet; Senatorum, hoc eſt nobilium Virorum filios ita fuiſſe propter ætatem Equites R. quòd nondùm iis aditus in Senatum patebat, ut ad ſuperiorem Ordinem proximè accedere viderentur, propter honores, quos & Parentes geſſerant, & ipſi erant ſuo tempore petituri. Hinc ſeparatim ab Equitibus, & Senatoribus aliquandò nominantur, ut hac eadem Oratione: *Non modò Cives Romanos* (Publicanos ſignificat, quibus Equeſter Ordo maximè continebatur) *ſed & Nobiles Adoleſcentes, & quoſdam etiam Senatores ſummo loco natos*. quaſi Adoleſcentes nobiles haberent in ſe aliquid, quo diſtinguerentur ab utriſque. Illa verò apud Ciceronem oratio de Senatoribus: *delectat ampliſſimus Civitatis gradus, ſella curulis, faſces, imperia, provinciæ, ſacerdotia triũphi, denique imago ipſa ad poſteritatis memoriam prodita*, Equitum Romanorum eſt, quos nihil horum delectabat, quique vitæ condicionem ſequuti, ſibi à Majoribus traditam, nihil à Populo petebant; non illorum Adoleſcentum nobilium, qui ſumpta virili toga, ſtatim in forum Candidati deſcenderent Sacerdotum comitiis, mox & ad Magiſtratus petendos, ubi per ætatem liceret. Proſequitur Cicero paulo poſt: *Tam es tu Judex, quàm ego Senator*: ratio erat

M. Druſi legem in Senatu ſuadentis, qua tenerentur ii, qui ob rem judicandam accepiſsent pecuniam. Equites R. contra diſputabant: *ita eſt; ſed tu iſtud petiiſti, ego hoc cogor*; tu ſponte tua Senator es, cui petenti & Magiſtratus, & ſimul ille Ordo ampliſſimus datus eſt; omiſſa petitione honorum, Senatu etiam, tantoque legum, & judiciorum metu carere poteras. an mihi Judici non eſſe licet, qui ex lege Sempronia à Prætore in Conſilium mittor etiam invitus? eo namque tempore ſoli Equites judicabant, quippe ante Dictaturam L. Syllæ, M. Druſo filio Tribuno pl. qua de re alibi.

Quæris, nùm mihi videar rem abſoluiſſe univerſam? abſit; eo conſilio ſunt hæc à me prolata, ut major tibi ad diſputandum campus daretur. Vale. Prid. Kal. Febr. A. S. 1699.

EPISTOLA TERTIA.

AD NOB. N. N.

De Civitate Romana.

DE Patavinæ Urbis amplitudine ſolicitus, à me paulo ante quærebas, Municipiumne, an Colonia Romanorum fuiſſet. Laudo pietatem, quæ te ne reſpirare quidem patitur, Patriæ dignitati, quacumque ratione potes, conſulentem; diligentia quoque, & ipſum ſtudiorum genus admirationi eſt, dū excutis omnia, omnemque lapidem moves, ne quid ſit omninò, quod tuam intelligentiam effugiat. Duces habes, qui viam monſtrent erranti, Viros eruditiſſimos, Pignorium, & Urſatum. quid me intueris præterea, & facem afferre jubes? amicum hominem

nem quidem, ac ſtudioſiſſimum tui, ſed nulla re cum iis, qui ſunt in promptu, comparandum. Cũ hoc vereor, tibique aliqua ex parte ſatisfacere cupio, comes accedo; ea condicione, ut alter alteri præſto ſit. quin etiam præibo, ſicuti mones; ubi verò ad anguſtias pervenero, conſiſtam non invitus, teque libentiſſimè ducem ſequar.

Sed, antequam ad poſitã mihi Quæſtionem venio, quędam præmittenda ſunt de novis Civibus; quinam hi Romæ eſsent. Cicero enim pro Cæcina, cum de ſua diſputatione verba faceret, qua oſtenderat, non potuiſse Volaterranis à Sylla Civitatem adimi, quibus, ſicut& aliis Marianarum partium populis Dictator ille fuerat iratus, hæc ſubiicit: *Hoc cum eos ſcire volui, quibus Sylla voluit iniuriam facere; tùm omnes cæteros novos, vetereſq; Cives.* tria Civium genera diſtinguit; 1. Cives novos, quibus adimere Civitatem Sylla voluerat, lege lata; quales erant Volaterrani, Arretini, aliique omnibus injuriis affecti à Dictatore, quòd Marianis partibus fauiſsent. 2. Cives novos, de quibus lata nõ fuerat Lex Cornelia. utrique autem Novi dicuntur, quia bello Sociali per legem Juliam adepti fuerant Romanam Civitatem. 3. Cives veteres, qui etiam ante bellum Sociale, jure Civitatis fruebantur. Nõ erat Dubium, quin, ſi potuiſset Sylla adimere Civitatẽ Volaterranis, & aliis ejuſdem generis, omnibus novis Civibus eandem poſſet adimere aliquis alius in Magiſtratu conſtitutus; tantùm dubitari poterat, nùm etiam veteribus Civibus poſset eripi civitas, lata lege. id affirmat Cicero his verbis: *neque enim ratio afferri poteſt, cur, ſi cuiquam novo Civi potuerit adimi Civitas, non omnibus antiquiſſimis Civibus poſſit*; non iis tantùm, qui ante legem Juliam, ſed etiam, qui à condita Urbe Cives

Ro-

Romani fiere. Audiamus Frigium ad hunc locum: *Patritios*, inquit, *pro antiquiſſimis Civibus poſuit* (omnia ſemper præpoſterè; dicendum enim erat, antiquiſſimos Cives pro Patritiis poſuit) *cum*, *ut ſcribit Livius*, *Patritii dicerentur*, *qui progenies Senatorum erant*, *quos Romulus crearat*. Inprimis, illos etiã fuiſse Patritios, quos Rex Tullus, diruta Alba, quoſque Brutus, reddita libertate, in Senatum legit, nemo eruditus negaverit; hoc tamen ſolus Frigius ignorat, qui non mǎjori cum felicitate reliquam interpretationem peregit. Nam de Patritiis in laudata Oratione nulla eſt mentio. an Principes Civitatis iſtud timere tantum malum poterant? an antiquitùs ſoli Patritii Cives R. erǎnt? an ii magis erant cives, quàm Plebeii?

Habes primum genus novorum Civium, quos Legum latores hoc uti beneficio voluerant; erat & alterum eorum, qui, cum eſſent Servi, recuperata libertate, Civitate etiam Romana donabantur. hi porrò dici ſolebant ob ignobilitatem terræ filii; neque incongruum fuerit hic explicare locum quendam Epiſt. 9. lib. 7. ad Familiares, cui tu exponendo nudius tertius operam dabas. Itaque filius terræ dicebatur, qui planè eſſet ignobilis, ac generis incerti, quales erant ut plurimùm Liberti, de quibus ſupra. quo refertur illud Epiſt. 8. lib. 1. ad Atticum: *& huic terræ filio neſcio cui committere Epiſtolam tantis de rebus non audeo*; neceſſe eſt, eum fuiſse Libertum, aut certe Liberti filium. Luculentèr Perſius Sat. 6.

Præſto eſt mihi Manius hæres.
Progenies terræ? quære ex me, quis mihi quartus
Sit Pater; haud prompte, dicam tamen. adde etiam unum;

Unum

adeo nimirùm ignobilis, ut unde ille ſit ortus, ignorem; fortaſsè quod ſervitutem ſervierit. Hoc certè negare non poſſumus; verùm & illud affirmare non dubitamus, ſummæ nobilitatis argumentum fuiſſe, ſi qui terræ filii dicerentur. Præclarum eſt Livii teſtimonium lib. 1. *ne vana Urbis magnitudo eſſet, adjiciendæ multitudinis cauſa veteri conſilio condentium Urbes, qui obſcuram, atque humilem conciendo ad ſe multitudinem, natam è terra ſibi prolē mentiebantur*, & cęt. cur id mentiebantur? ne illius humile genus, & obſcurum pateret. manifeſtum eſt autem, quòd attinet ad genus, ex eo aliquid lucis, ác ſplendoris effluxiſſe, quo tollebatur obſcuritas. Utcumque tamen Livii verba ſine aliqua interpretatione intelligi non poſſunt; Quintiliano quid ſit reponendum non video: *Laudantur Urbes*, ait ille lib. 3. cap. 8. *ſimiliter, ac homines*. deinde adjungit: *multum auctoritatis adfert vetuſtas*, idque exemplo confirmat; *ut iis, qui terra dicuntur orti*. an apertiùs quidquam dici poterat? Urbium laus à nobilitate deſumebatur, nobilitas à vetuſtate; probabatur utrumque, ſi earum Cives terra orti, hoc eſt terræ filii dicerentur; proindeque terræ filios cenſeri, tùm vetuſtatis, tùm nobilitatis luculentiſſimum erat argumentum. Quamobrem Athenienſes ſe ipſi ϑαυτόχοασι terræ filios prædicabant; eodemque nomine gloriabantur Argivi, Thebani, Arcades, aliique Gręciæ populi quamplures. utrum putamus? quòd eam ignominiæ notam ſuis inurere Majoribus velent; an potius, quòd vetuſtate, & nobilitate generis ſe reliquis omnibus anteferrent? nemo erit ſanæ mentis, qui dubitet. Patet igitur ex iis, quæ hactenùs dicta

ſunt,

ſunt, non modò ignobiles, & obſcuro loco natos; verùm etiam nobiliſſimos quoſque, terræ filios dictos fuiſse; hoc autem qua ratione fieri potuerit, attendas velim. Si quis ipſe per ſe ortus è terra, terræq; filius diceretur, convicium erat, generiſq; obſcuritas notabatur; quo ſenſu illud & à Cicerone uſurpatur Epiſtola ad Atticum, & à Perſio Satira 6. Si quis verò idcircò appellaretur terræ filius, quòd ab iis ortum traheret, qui è terra geniti putabantur; ſummam id vetuſtatem gentis, atq; adeo nobilitatem arguebat. quo conſtat reſpexiſse Livium, & Quintilianū, eoſque Græciæ populos, qui ſe αὐτόχθονας nuncupabànt. Ex fabulis deſumpto utar exemplo: Cadmus olim Socios habuit ex Draconis dentibus, quos ſeminaverat; humillimam, & planè abjectam agnoſco progeniem. Ex iis quædam per Italiam Familiæ ſe genus ducere prædicant; itaq; eminere cæteris exiſtimantur nobilitate. Draconis filios Cadmi ſocios dixeris? ſumma ignominia eſt; eorum poſteros? ſumma laus. Nunc demùm ad Ciceronem accedo, qui Epiſt. 9. lib. 7. ad Trebatium hæc habet: *Cn. Octavius, an Cn. Cornelius? tuus quidem familiaris, ſum̄o genere natus, terræ filius*; quęrimus, ea verba, *Terrę filius*, in bonumne, an in malū ſensū uſurpentur. ego ad utrumq; ſimul referri arbitror, quod ſic oſtendo. Novū hominem, & ignobilem fuiſſe Cn. illū Octavium, colligimus ex Epiſtola 16. quæ ſequitur: *Ego, ſi foris cænitarem, Cn. Octavio, familiari tuo non defuiſse; cui tamen dixi, cū aliquoties me invitaret, Oro te, quis tu es?* neq; enim eſſe nobilis poterat, cujus Cicero Parentes, Genus, Nomen ipſum ignoraret. Deinde Ironiam eo loco làtere, perſpicuū eſt; quomodo enim idem ignobilis eſſet, & ſummo loco natus? Tertiò ne illud quidem videtur dubium, facetā quę-

dam

dã dicteria, quæ ironicè proferuntur, partim eſſe vera, partim falſa; alioquin nihil ſalis, nihil ſaporis haberent. ſic apud Plutarchum in Cicerone: *Cũ Cęſar Dictator prædia parvo admodum precio Serviliç vendidiſſet; multis vilitatem mirantibus, At quo Meliùs, inquit Cicero, empta ſciatis, tertia deducta eſt*. Tertiam pecuniç partem deductam fuiſſe, falſum erat; Tertiam Serviliç filiam per Matrem conciliatam fuiſſe Cęſari, & ad ipſum deductam, id erat verum. Fac Cn. Octaviũ eodem tempore, eademq; ſententia, & ſummo genere natũ dici, & planè ignobilẽ; quid eſſe poteſt magis inſulſum? at cum ea verba *Terræ filius* duo contraria ſimul ſignificent, etſi diverſa ratione, ut expoſui; ingenioſiſſimè jocatur Cicero, cũ aliud videtur dicere, aliud revera dicit, & quaſi incertis prognatũ Parentibus lepidè explodit, quẽ à vetuſtate generis, & Majorũ nobilitate laudare putatur. Idẽ conviciũ cadere poterat in omnes Nobiliũ Virorum Libertos, eóſq; Peregrinos, qui minimè antea per ſe noti, cujuſpiã vel gratia, vel beneficio Civitatẽ Romanã conſequuti fuerant; nõ in alterũ novorũ Civiũ genus, quos in ſuo quemq; Municipio nobiles lex Julia Civitate donaverat. Sed nimis multa extra chorum; jam redeamus in viam.

Oratione pro Archia, eximii Poetç vices dolet Orator, cui, cũ jure, & lege Civis R. eſſet, Accuſator eripere Civitatẽ conabatur; alios autẽ quãplures ille incolumes eſſe Romę ſinebat, qui contra leges in alicujus Municipii Tabulas irrepſiſſent, *Nõ modò poſt Civitatẽ datam, ſed etiã poſt legem Papiam*. Duæ quidẽ intra bienniũ latæ ſunt leges de Civitate R. altera Juliã à L. Cęſare, ãno primo Italici belli: *ut Sociis, qui in fide manſiſſent, aut arma depoſuiſſent, Civitas daretur*; altera Plautia Papiria: *ut ii Peregrini Cives R. eſſent*,

qui

qui fœderatis Civitatibus adſcripti fuiſsent ; ſi tùm cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuiſſent, & ſi ſexaginta diebus apud Prætorem eſſent profeſſi ; non tamen ad utramque legem allata ſententia refertur, cum multi dicuntur poſt Civitatem datam irrepſiſſe in tabulas Municipiorum, ut quidam falsò exiſtimant. Anno V. C. 620. prima lex Papia lata eſt, *ne quis peregrinus in Urbe eſſet*, contra Italos, & Socios Latini nominis, quorum maxima multitudo Romam convenerat. anno deinde 655. L. Craſſus, & Q. Scævola eandem fere legem reſtituerunt, *ne quis pro Cive ſe gereret, qui non eſſet Civis*; pariter ad Italiæ populos compeſcendos, cùm inde Sociale bellum ortum fuiſſe, tradant Hiſtorici. Quinquennio poſt, Sociis omnibus Latini nominis, atque Italis data eſt Civitas per L. Cæſarem Conſulem; proindeque duę illę ſuperiores leges ſunt abrogatæ. mox anno ſequenti 661. Silvanus, & Carbo Tribuni pl. tulerunt, ut & Peregrinis daretur Civitas, qui fœderatis Civitatibus adſcripti fuiſſent; cujus beneficio legis, quam multos putamus ex aliis etiam nationibus extra Italiam Cives R. factos eſſe? Hinc, cum plurimi per fraudem adſcriberentur in Municipiorũ tabulas, C. quidam Papius, ęmulus domeſticę laudis, tertiam tulit legem, anno 685. Dione teſte, *ne quis Peregrinus in Urbe eſſet*. non adversùs Italos quidem, qui cuncti Cives R. erant, ſed reliquos extra Italiam. Advertendum eſt autem, non tam illud cautum fuiſſe his legibus, ne Peregrini morarentur in Urbe; quàm, ne qui Peregrinus eſſet, pro cive ſe gereret. De Conſulari Licinia Mucia non eſt dubitandum; nam Oratione pro Balbo: *Cum paucis annis poſt hanc Civitatis donationem, acerrima Quæſtio de Civitate R. Licinia & Mucia lege veniſſet*. ſed neque de poſterio-

riore Papia; an non enim multi omnium Gentium homines Romæ quotidie erant? non quotannis Prætor creabatur, qui Cives inter, & Peregrinos jus diceret? non flagrantem in Concionibus Judæorum multitudinem Cicero pro Flacco commemorat? in eadem pro Balbo, cum quæreretur, an M. Craſſus Mamertinus Civis R. eſſet, nec ne; lege Papia ſententiam Judices laturi erant. veriſimile porrò eſt, eandem omninò vim priori Papiæ fuiſſe. Cicero 3. Offic. videtur contra ſentire, cum ait: *Male etiam, qui Peregrinos Urbibus uti prohibent, eoſque exterminant, ut Petronius apud Patres noſtros, Papius nuper. nam eſſe pro Cive, qui Civis non ſit, rectum eſt non licere, quam tulerunt legem ſapientiſſimi Conſules, Craſſus, & Scævola; uſu verò Urbis prohibere Peregrinos, ſanè inhumanum eſt*. Hujuſmodi enim tradit eſſe diſcrimen inter Papiam legem, & alteram Liciniam Muciam, quòd hæc caveret, ne quis pro cive ſe gereret, qui non eſſet Civis, quam ut æqua & honeſta jubentem laudat; illa Peregrinos Urbis uſu prohiberet, quam ut inhumanam reprehendit. Re ipsa tamen utriuſque legis eadem ſententia eſt, etiam ſi verbo diſcrepare videantur. Papius vetat, Peregrinos habere in Urbe domicilium. quid ita? quod cum illud Civium R. jus eſset, ſe quodammodo gerebant pro Civibus, ratione Domicilii; Cicero autem lib. 3. Offic. verba legis potius attendit, quàm ſententiam, idq; inſtituta eo loco de honeſtatis cum utilitate comparatione diſputatio fortè exigebat. Cęterum pro Archia, multos fuiſſe refert, qui *non modò poſt Civitatem datam, ſed etiam poſt legem Papiam aliquo modo in eorum Municipiorum tabulas irrepſerint;* ubi eſset plane inutilis mentio legis Papiæ, niſi eadem caveret ne quis pro obtinenda Civitate R.

re-

qui fœderatis Civitatibus adſcripti fuiſſent ; ſi tùm cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuiſſent, & ſi ſexaginta diebus apud Prætorem eſſent profeſſi ; non tamen ad utramque legem allata ſententia refertur, cum multi dicuntur poſt Civitatem datam irrepſiſſe in tabulas Municipiorum, ut quidam falsò exiſtimant. Anno V. C. 620. prima lex Papia lata eſt, *ne quis peregrinus in Urbe eſſet*, contra Italos, & Socios Latini nominis, quorum maxima multitudo Romam convenerat. anno deinde 655. L. Craſſus, & Q. Scævola eandem fere legem reſtituerunt, *ne quis pro Cive ſe gereret, qui non eſſet Civis*; pariter ad Italiæ populos compeſcendos, cùm inde Sociale bellum ortum fuiſſe, tradant Hiſtorici. Quinquennio poſt, Sociis omnibus Latini nominis, atque Italis data eſt Civitas per L. Cæſarem Conſulem; proindeque duę illę ſuperiores leges ſunt abrogatæ. mox anno ſequenti 661. Silvanus, & Carbo Tribuni pl. tulerunt, ut & Peregrinis daretur Civitas, qui fœderatis Civitatibus adſcripti fuiſſent; cujus beneficio legis, quam multos putamus ex aliis etiam nationibus extra Italiam Cives R. factos eſſe? Hinc, cum plurimi per fraudem adſcriberentur in Municipiorũ tabulas, C. quidam Papius, ęmulus domeſticę laudis, tertiam tulit legem, anno 685. Dione teſte, *ne quis Peregrinus in Urbe eſſet*. non adversùs Italos quidem, qui cuncti Cives R. erant, ſed reliquos extra Italiam. Advertendum eſt autem, non tam illud cautum fuiſſe his legibus, ne Peregrini morarentur in Urbe; quàm, ne qui Peregrinus eſſet, pro cive ſe gereret. De Conſulari Licinia Mucia non eſt dubitandum; nam Oratione pro Balbo: *Cum paucis annis poſt hanc Civitatis donationem, acerrima Quæſtio de Civitate R. Licinia & Mucia lege veniſſet*. ſed neque de poſte-

rio-

riore Papia; an non enim multi omnium Gentium homines Romæ quotidie erant? non quotannis Prætor creabatur, qui Cives inter, & Peregrinos jus diceret? non flagrantem in Concionibus Judæorum multitudinem Cicero pro Flacco commemorat? in eadem pro Balbo, cum quæreretur, an M. Craſſus Mamertinus Civis R. eſſet, nec ne; lege Papia ſententiam Judices laturi erant. veri ſimile porrò eſt, eandem omninò vim priori Papiæ fuiſſe. Cicero 3. Offic. videtur contra ſentire, cum ait: *Male etiam, qui Peregrinos Urbibus uti prohibent, eoſque exterminant, ut Petronius apud Patres noſtros, Papius nuper. nam eſſe pro Cive, qui Civis non ſit, rectum eſt non licere, quam tulerunt legem ſapientiſſimi Conſules, Craſſus, & Scævola; uſu verò Urbis prohibere Peregrinos, ſanè inhumanum eſt*. Hujuſmodi enim tradit eſſe diſcrimen inter Papiam legem, & alteram Liciniam Muciam, quòd hæc caveret, ne quis pro cive ſe gereret, qui non eſſet Civis, quam ut æqua & honeſta jubentem laudat; illa Peregrinos Urbis uſu prohiberet, quam ut inhumanam reprehendit. Re ipsa tamen utriuſque legis eadem ſententia eſt, etiam ſi verbo diſcrepare videantur. Papius vetat, Peregrinos habere in Urbe domicilium. quid ita? quod cum illud Civium R. jus eſset, ſe quodammodo gerebant pro Civibus, ratione Domicilii; Cicero autem lib. 3. Offic. verba legis potius attendit, quàm ſententiam, idq; inſtituta eo loco de honeſtatis cum utilitate comparatione diſputatio fortè exigebat. Cęterum pro Archia, multos fuiſſe refert, qui *non modò poſt Civitatem datam, ſed etiam poſt legem Papiam aliquo modo in eorum Municipiorum tabulas irrepſerint;* ubi eſset plane inutilis mentio legis Papiæ, niſi eadem caveret ne quis pro obtinenda Civitate R.
re-

Irreperet in Municipiorum tabulas; hoc eſt, ne pro Cive ſe gereret, cum non eſſet Civis. Nunc peto, an Civitatem adipiſcerentur ii Peregrini, qui poſt legem Plautiam Papiriam adſcripti fuiſſent fęderatis Civitatibus. equidem ſic lego: *Si qui fęderatis Civitatibus adſcripti fuiſſent; ſi tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuiſſent; & ſi ſexaginta diebus apud Prætorem eſſent profeſſi;* in eorum gratiam lata eſt, qui jam adſcripti fuiſſent, non qui adſcriberentur in poſterum. Quapropter Cicero ſic arguit à Comparatione: *cum cæteri non modo poſt Civitatem datam* (lege Plautia Papiria, cujus beneficio uti non poterant, qui poſtea adſcripti fuerant) *ſed etiam poſt legem Papiam* (coercentem eos, qui ſe Cives facerent cum jure non eſſent; & poſteriorem Papiam ſignificat) *aliquo modo in eorum Municipiorum tabulas irrepſerint* (per fraudem, non legitimè) *hic, qui nec utitur quidem illis, in quibus eſt ſcriptus* (ante legem Plautiam Papiriam; nam & Tarentini, & Rhegini, & Neapolitani civitate, cæteriſque præmiis donarunt Archiam) *quod ſemper ſe Heraclienſem eſſe voluit, rejicietur?* non poterat eſſe, niſi Civitatis unius civis, & Heraclienſem prępoſuit cæteris.

Quęnam his ipſis tẽporibus Patavinę Urbis condicio fuerit, non conſentiunt Viri eruditi. Portinarius eam inter fœderatas Civitates enumerat; Pignorius dubitat, Coloniane fuerit, an Municipium; Eq. Urſatus de Antiquis Monumentis Epiſt. 10. contendit Paduam deductam fuiſſe Coloniam cum reliquis Civitatibus Tranſpadanis à Cn. Pompejo Strabone, anno V. C. 661. adductus, opinor, teſtimonio Aſconii in Piſonianam. Hanc mihi præcipuè ſententiam oppugnandam ſumo, bona pace tan-

tà

ti Viri, noſtramq; Civitatem à numero Coloniarum excludo. Id in primis conjici poteſt ex Vellejo lib.1.ubi, cum Romanas omnes Colonias recenſuiſſet, ita concludit: *Narbo Marcius in Gallia M. Porcio; Q. Marcio Coſſ. deducta Colonia eſt; poſt tres, & viginti annos* (error patet; ſunt enim anni decem, & octo) *in Vagiennis Eporadia Mario VI. Ualerioq; Flacco Coſſ. neq; facilè memoria mandaverim, quæ niſi militaris, poſt hoc tempus deducta ſit*. Militares Colonias vocat, in quas Sylla, Cęſar, & Octavianus poſt bella Civilia, milites deduxere, loco præmii. Quid igitur de Padua cenſeamus? an illā inter militares Colonias, quæ multæ deindè conſtitūtæ ſunt, collocemus? hoc ne ipſe quidem Urſatus fecit. an ignoraſſe Vellejum dicamus, qui proxima vixit ætate, Civitates omnes Tranſpadanas deductas fuiſſe Colonias à Strabone undecim poſt Eporædiam annos? demens fuerit, quicunq; id ſibi perſuadeat. Pompejus, ait Adverſarius, Latinarum Coloniarum jura omnia Paduæ, & reliquis Civitatibus Tranſpadanis conceſſit, & hac ratione Colonias illas deduxit, Aſconio teſte; non autem quòd novos in eas Colonos miſerit, de quo genere Coloniarum intelligēdus eſt Vellejus. Sed quis ex Antiquis Colonias dixit Civitates illas, quibus jus Latii conceſſum eſt? miror vehementer, Pignoriū Romanarū rerum peritiſſimū, & in Veterū lectione plus, quàm mediocritèr verſatū, ignorare, quo ſenſu à Cicerone accipi ſoleant hujuſmodi voces, Municipiū, & Colonia; nùm id quoq; explicare valeā, conabor. Lib. 2. de Legibus: *Ego mehercule, & illi, & omnibus Municipibus duas eſſe cenſeo Patrias; unā naturæ, alterā Civitatis*. Padua igitur Municipium erat, cujus Cives duas Patrias habebant; alteram, in qua nati, & educati ipſi, eorumq; Majores fuerant; alterā ratione Civitatis R. quam ſub Cęſare adepti ſunt. Oratione 2. cōtra Rullū, veretur Cicero,

Digitized by Google

ne Rullus Municipia Campaniæ colonis occupet; oſtenditque, eas Civitates à ſe Colonias vocari, in quas deducti eſſent Coloni, reliquas eſſe Municipia. Philippica 2. *conſuluiſti me per literas de Capua tu quidem, ſed idem de Caſilino reſpondiſſem, poſſeſne ibi Coloniam novam jure deducere*. hac de re conſuluerat Ciceronem Antonius; quid ille reſponderit, attendamus: *negavi in eam Coloniam, quæ eſſet auſpicatò deducta, dum eſſet incolumis, Coloniam novam jure deduci, Colonos novos adſcribi poſſe reſcripſi*. Quæſo, Paduane poſt impetratam Civitatem R. deduci Colonia poterat, miſſis in eam Roma Colonis? procul dubio; atque adeo dicendum eſt, aut nullo modo Paduam fuiſſe Coloniam, aut non rectè Ciceronem de jure conſultum reſpondiſſe. Ut rem univerſam aliquantò altiùs repetam; cum duo genera Coloniarum eſſent, quarum aliæ dicebantur Latinæ, quæ jus Latii, aliæ Romanæ, quæ jus habebant Civitatis R. ſi Patavini, impetrato jure Latii à Strabone Conſule cum reliquis Tranſpadanis, effecerunt, ut ſuamet Civitas Colonia Latina fieret; facta profectò eſt Colonia Romana ſtatim, ac jus Civitatis R. à Cæſare Dictatore obtinuerunt, referente Dione lib. 41. quo refertur & illud Ciceronis Phil. 12. ubi de Patavinis loquitur: *Communicata cum his Rep*. Quid inde neceſſariò conſequitur? nimirùm, ſi Coloniæ Romanæ dicantur eæ omnes Civitates, quibus jus Civitatis R. conceſſum eſt, cum toti Italiæ datam fuiſſe Civitatem conſtet lege Julia, nullam Italiæ Civitatem commemorari poſſe, quę Colonia Romana non fuerit. quod eſſe abſurdum nemo non videt. Cicero in Piſonem, Placentiam Municipium vocat; & ad illum locum ita commentatur Aſconius, cujus auctoritate maximè Adverſarii nituntur: *Magnoperè me*

me hæſitare confiteor, quid ſit, quare Cicero Placentiam Municipium eſſe dicat; additque rationem, quia deducta fuerat Colonia à P. Cornelio Scipione, & T. Sempronio Longo, ſecundi belli Punici anno primo. deinde proſequitur: *Neque illud dici poteſt, ſic eam Coloniam eſſe deductam, quemadmodum poſt plures ætates Cn. Pompejus Strabo Tranſpadanas Colonias deduxerat. Pompejus enim non novis Colonis eas conſtituit, ſed veteribus Incolis manentibus, jus dedit Latii.* Notentur ea verba per Prolepſin allata, *Neque illud dici poteſt*: Si enim, ait Aſconius, ita Placentia eſſet Colonia, ut per quandam Similitudinem diceret quiſpiam Colonias Tranſpadanas, quòd iis Pompejus jus Latii dedit; jure Placentia vocaretur à Cicerone Municipium, non Colonia, ſicut nos Tranſpadanas Civitates hoc modo deductas, Municipia dicimus; Colonias nequaquàm. quam Aſconii ſententiam non fuiſſe animadverſam ne à Panvinio quidem valdè miror. Denique idem Urſatus, Civitatis nomen Paduæ non denegat, & numi veteres oſtenduntur cum Inſcriptione: *Padua Civitas Regia.* qui quamvis antiqui non ſint, aliquid tamen auctoritatis obtinere poſſe videntur. hìc etiam audiatur Aſconius: nam ad eandem Orationem, ubi legimus: *Hic cum ad Padum Placentiæ fortè conſediſſet, in eam Civitatem (nam tùm erat Civitas) aſcendit*, ipſe ſubjicit: *dicit fuiſſe Civitatem, ab eadem perſuaſione ponit Placentiam Municipium fuiſſe.* Itaq; apud Aſconium, qui Colonias negat dicendas eſſe Civitates; Padua certè non Colonia, ſed Municipium eſt, quam Civitatem fuiſſe non inficiamur.

Faſtigium, me quidem Judice, teneo; ſi redactum putas ad anguſtias, alio nobis duce opus eſt, qui facem præferat. Vale. Kal. Maii. A. S. 1697.

EPISTOLA QUARTA.

AD NOB. N. N.

De Sacerdotiis.

QUamquàm non iis me dignum laudibus judico, quibus pro tua ſingulari humanitate, audire, & legere ſoles, quicquid meum eſt; nihilominùs ita non modò jucundum, verùm etiam glorioſum eſſe videtur, ab idoneo, atque optimo æſtimatore laudari, ut meas nugarum quoq; rerumque ludicrarum plenas Epiſtolas nemini mittam libentiùs, quàm tibi. Hiſce feſtis, ac proximè elapſis diebus, Romanorum Pontificum, cū adhuc ſtaret Reſp. inſtitutionem, dignitatem, cæremonias examinandas mihi ſumpſi, quædam nactus, in quibus à cęteris Commentatoribus diſſentirem. Arrepta occaſione, adornavi ſtatim munus, quod tibi Patrono meo, ac laudatori meritiſſimo offerrem.

Pontifices tantùm quatuor fuiſse præter Pontificem Max. uſque ad annum V. C. 452. tùm autem quatuor additos ex Plebe, ut eſſent octo, teſtis eſt Livius lib. 10. L. Sylla Dictator factus, apud Florū Epit. Liv. lib. 89. *Pontificum, Augurumq; Collegium ampliavit, ut eſſent quindecim*. adjungit Roſinus, laudato Flori loco lucis aliquid allaturus: *Primi octo majores; ſeptem à Sylla additi minores dicebantur*, eademq; eſt Panvinii ſententia. & Alexander ab Alex. *minores Scribæ erant Pontificum, qui Faſtos, ſeu Annales maximos cuſtodiebant*. Hæc omnia, & hujuſmodi alia quàm infirmo nitantur fundamento, ex ipſius Ciceronis verbis apertè colligitur. ait enim Oratione

de

de Haruſp. Reſp. *at verò meam domũ P. Lentulus Conſul, & Pontifex, P. Servilius, M. Lucullus, Q. Metellus, M. Glabrio, M. Meſſala, L. Lentulus Flamen Martialis, P. Galba, Q. Scipio, C. Fannius, M. Lepidus, L. Claudius Rex Sacrorum, M. Scaurus, M. Craſſus, C. Curio, Sex. Cæſar Flamen Quirinalis, Q. Cornelius, P. Albinovanus, Q. Terentius Pontifices minores, cauſa cognita*, & cæt. Præter duos Flamines, & Regem Sacrorum, ſexdecim nominantur Pontifices, apud quos dixit cauſam Cicero pro Domo ſua. adde L. Pinarium Nattam, qui M. Tullii domum dedicanti Clodio affuerat; adde & alios quoſdam, qui vel morbo impediti, vel Reip. cauſa fortaſſe aberant. an enim, cum C. Cæſar Pontifex Max. bellum in Gallia gereret, & Flamen Dialis abeſſet, ex tot Pontificibus neminem vel in Provincia fuiſſe, vel morbi excuſatione uſum eſſe putabimus? Habes igitur plures fuiſſe Romæ Pontifices poſt Syllam, quàm quindecim, & citatum Flori locũ emendatoris Cenſorium ſtylũ deſiderare. Deinde tres illi, qui poſt Flaminem Quirinalem ſunt, Cornelius, Albinovanus, & Terentius, Pontifices minores dicuntur. quomodo ii omnes per Roſinum minores erant, quos addiderat L. Sylla? Tertiò non minùs & cauſã cognoverant, & de Ciceronis domo reſponderant Pontifices minores, quã reliqui. an ſi Miniſtri, & Scribæ fuiſſent, ut Alexander docet, jus ferendæ ſententiæ de Religione obtinuiſſent? Poſtremò aduertendũ eſt, ex Majoribus Pontificibus, qui numerãtur, octo Plebeios eſſe, Servilium, Lucullũ, Metellũ, Glabrionẽ, Q. Scipionẽ, ut adoptatum à Metello, C. Fannium, M. Craſsũ, C. Curionem; totidẽ fuiſſe Patritios, habetur pro Domo ſua: *Probate genus Adoptionis*, vt Patritii ſine cauſa, & ſimulatè

adoptari poſſint à Plebeiis hominibus, *Populus R. brevi tempore neque Regem Sacrorum, neque Flamines, neque Salios habebit, nec ex parte dimidia reliquos Sacerdotes*. nam Rex Sacrorum, Flamines, & Salii erant ex ſolis Patritiis; ex parte dimidia reliqui omnes Sacerdotes, juxta veterem legem.

Oratione 2. in Rullum, Cicero: *Item, inquit, eodemque modo, Capite altero, ut Comitiis Pontificis Max.* Cum lex illa Agraria primo Capite juberet creari Decemviros à minore parte Populi, hoc eſt per decem, & ſeptem Tribus; cumq; nemo ignoraret, eodem modo creari Pontificem Maximum; cur id altero Capite repetitur, quod Primo ſatis manifeſtè præſcriptum fuerat? nimirùm, ut præter illud, quod de minore parte Populi notaverat, reliqua etiam omnia ſervarentur, quæ comitiis Pont. Max. ſervari ſolebant. Hic autem fortaſsè allucinatus eſt Thomas Dempſterus, atque ipſe Panvinius, qui putant, *Labienum reſtituiſſe legem Domitiam ſuadente C. Cæſare, ut ipſe deinde per populum Pontifex Max. crearetur in locum Q. Metelli Pii*. Nam Labienum fuiſse Tribunum pl. Cicerone Conſule, patet ex Oratione pro C. Rabirio Perduellionis reo; quo anno Cæſar erat Prætor deſignatus. Pontificatum autem conſequutus eſt aliquanto ante Præturam, ut ex Suetonio colligitur, Salluſtio etiam atteſtante: *Catulum ex petitione Pontificatus adeò incenſum, quòd extrema ætate, maximis honoribus uſus, ab adoleſcentulo Cæſare victus diſceſſerat*. Præterea, multo ante legem Domitiam, Pontifex Max. creabatur Tributis comitiis; quod habet infrà Cicero: *Ne hoc quidem vidit* (ſc. Rullus) *Majores noſtros tã fuiſſe populares, ut, quod per Populum creari fas non erat, propter religionem Sacrorum, in eo tamen, propter amplitudinem Sacerdotii voluerint ſupplicari*; id Majores inſtitue-

fuerant; quid porrò novi attulit Domitius? *Atque hoc idem de cæteris Sacerdotiis Cn. Domitius Trib. pl. Vir clariſſimus tulit*. Cn. Domitius Ænobarbus in Trifundtu Pontificibus offenſior, quòd alium, quàm ſe, in Patris ſui locum cooptaſſent, legem tulit, ut Pontifices, Augures, aliique qui antea à ſuis Collegiis cooptari ſolebant, eligerentur Tributis Comitiis, ita tamen, ut ſolummodo decem, & ſeptem Tribus ſortitò ſuffragium ferrent, eadem planè ratione, qua Pontifex Max. veteri inſtituto creabatur. Eam legem abrogavit L. Sylla Dictator, ac deinde reſtituit Labienus Tribunus pl. Cicerone, & Antonio Coſſ. Dione teſte. At neque à Sylla ſublatum eſt jus creandi Pontificis Maximi comitiis Tributis, neq; reſtituit Labienus; cum de illo lata lex Domitia non fuiſſet. Antequàm à Labieno reſtitueretur lex Domitia, ſuam Rullus promulgavit de Decemviris. quomodo eos creari volebat? *item, inquit, eodemque modo, ut Comitiis Pont. Max.* ergo Pont. Max. Comitiis creabatur etiam ante legem Labieni. Hac eadem Lege, ſcribunt Panvinius, Calvinus, & Dempſterus, cautum fuiſse, ut abſentis ratio haberetur in creandis Sacerdotiis; quod paritèr falſum eſſe intelligitur ex Epiſt. 5. ad M. Brutum: *Exiſtimo omninò abſentium rationem Sacerdotum Comitiis poſſe haberi, nam etiam factum eſt antea. C. enim Marius, cũ in Cappadocia eſſet, lege Domitia factus eſt Augur.* an; ut rem dubiam comprobaret Cicero, exemplo potius, quàm ipſius Legis verbis uſus eſſet, ſiquid illa hujuſmodi indulſiſſet? an dubium eſſe poterat, quod multo añte lege cautum fuerat? ait porrò *lege Domitia*; hoc eſt à Populo creatus, non cooptatus à Collegio,

Pro Domo ſua hæc lego: *Dico apud Pontifices, Augures adſunt, verſor in medio jure publico.* Augures aderant; an & ipſi cum Pontificibus ſententiam laturi de Domo Ciceronis? an plures ex iis Augures ſimul erant, & Pontifices? utrique enim Interpretationi ſui non deſunt Patroni; cum tamen alterum manifeſtè ſit falſum, alterum veriſimile non videatur. Equidem non ignoro, ſummos aliquandò Viros, qui dignitate, & gratia plurimum poſsent, duobus Sacerdotiis inſignitos fuiſse. Livius lib. 30. cum Q. Fabii Maximi mortem referret: *Augur*, inquit, *in locum ejus inauguratus Q. Fabius Maximus filius; in ejuſdem locum Pontifex (nam duo Sacerdotia habuit) Ser. Sulpicius Galba.* Cæſar ipſe, cum eſſet Pontifex Maximus, Augur præterea fuit, ut ex Philip. 2. *obſtrinxiſti religione Populum R. Augur Auguri, Conſul Conſuli, obnuntiaſti*; Antonius enim Conſul, & Augur obnunciaverat Cæſari Conſuli, & Auguri, ad impedienda Dolabellæ Comitia. Hoc tamen perquàm rarò factum crediderim in Principibus viris, maximè antequàm jus Sacerdotum creandorum Domitia lege ad Populum transferretur; ubi verò in ea quoq; re habere locum cœpit ambitio, non arbitror, ita multos de ſua dignitate ſæpiùs periculum facere voluiſse, aut Populum neglexiſſe de pluribus bene mereri: Cur Pompejus, Hortenſius, alii multi Augures erant, non etiam Pontifices? cur P. Clodius homo Popularis, Sybillinus tantùm Sacerdos, non item vel Augur, vel Pontifex? cur uno erant contenti Sacerdotio ii, qui multum apud Plebem gratia valebant, quique honores omnes, omniaque ambire ſolebant imperia? Dio narrat lib. 39. P. Lentulum Spintheris filium, ut Augur fieri poſſet, datum fuiſſe in adoptionem Manlio Torquato, quòd ejuſdē Cor-

nelię

neliæ Gentis Augur eſset Fauſtus Sylla. quod ſi ejuſdem Gentis duo ſimul eſse non poterant Augures, licèt ex diverſis orti Familiis, minùs eſt probabile, unum & eundem duo eodem tempore habere Sacerdotia potuiſse: *Dico apud Pontifices, Augures adſunt*; videlicet aderant Advocati Ciceronis. ideòque Oratione de Haruſp. Reſp. *maxima frequentia ampliſſimorũ, ac ſapientiſſimorum Civium adſtante*, ſe pro Domo ſua dixiſse teſtatur, cũ Viros principes, ſuique amiciſſimos advocatos haberet, maximè verò Cn. Pompejum, Q. Hortenſium, C. Marcellum, P. Craſsũ, Fauſtum Syllam, quos omnes Augures fuiſse, ex Veterum monumentis cognoſcimus. hos appellat non tanquàm Judices, ſed eorum teſtes, quæ dicturus erat. Hinc duo illa diverſa membra ſeparatim Orator enunciat, cum de diverſis Perſonis loquatur; id ſi non eſset, hac alia ratione multò meliùs, fortaſse: *Dico apud Pontifices, & iidem ſunt Augures; verſor in medio Jure publico*.

Accedit locus alter ex Philippica 5. cujus explicatio ad Superiorem Diſsertationem pertinere videtur. Orator ſententiam recitat, in quam Sen. Conſ. de C. Cæſare Octaviano fieri velit: *Quòd C. Cæſar C. Filius, Pontifex, Proprætor, ſummo Reip. tempore milites Veteranos ad libertatem populi R. cohortatus ſit*, & cæt. Dubitat Manutius, quam ob cauſam adoleſcens ille Pontifex appelletur, atque ita non rectè opinatur: *Pontifex Maximus*, inquit, *erat Lepidus*; *ſed Pontifex dicitur, id eſt Augur, ſicut fuerat Pater ejus*. Cum Cæſar Dictator ſimul Pontifex Max. fuerit, & Augur, ut ſupra dictum eſt, Philip. 2. an ſicut M. Lepidus in locum ejuſdem interfecti Pontifex Max. creatus eſt, ſic factus Augur Octavianus? nequaquam, ſed jam à majore Avunculo Pontificatũ ante obtinuerat,

Vellejo

Vellejo teſte lib. 2. *Cæſar dilexit ut ſuum, natumque annos XIIX. Hiſpanienſis militiæ aſſecutum ſe poſtea comitem babuit, nunquam aut alio uſum boſpicio, quàm ſuo, aut alio vectum. vebiculo; Pontificatuſque Sacerdotio puerum bonoravit.* An iidem Augures erant, & Pontifices, cum diverſa Collegia conſtituerent; & illi quidem auſpicia, hi verò Sacra, & Deorum religiones curarent? nuſquàm legimus apud Veteres, appellatum Pontificem, qui eſſet Augur, aut contra. Scilicèt, duos ejuſdem Gentis ſimul Augures eſſe, per leges non licebat; duos pluresve ſimul eſſe Pontifices poterant. neque ſolùm auctoritate valebat Augur, quòd omnia tùm Magiſtratuum, tùm legum ferendarum Comitia nuntiando impediret; verùm etiam honore, quòd toga Prætexta uteretur. Cicero enim Epiſt. 9. lib. 2. ad Atticum, de Vatinio Auguratum petente in locum Q. Metelli Celeris: *denique etiam Vatinii ſtrumam Sacerdotii Dibapho veſtiant*; ut habet Oct. Ferrarius lib. 2. de re Veſtiaria. Perperam tamen idem ille aliud affert ex Epiſt. 16. lib. 2. teſtimonium, ad ſuam de Prætexta Augurum ſententiam firmandam (id porrò notare obiter certum eſt, quod diſſimulare non poſſum) *Sed tamen togam Prætextam texi Oppio, puto te audiſſe; nam Curtius noſter dibaphū cogitat, ſed infector eū moratur.* putat Ferrarius auctoritatem Manutii ſequutus, de Auguratu Curtii Ciceronem loqui, quem vel à Cęſare, vel à Populo ſe conſecuturum ſperabat. Cur non etiam de Auguratu Oppii locutum Ciceronem dicamus? an Magiſtratus quidem toga Prætexta, Augures autem ſoli utebantur Dibapho? nugamur. Querebatur in laudata Epiſtola, quam ſcribit ad Cęlium, Civis Patriæ amantiſſimus fugatam ex Italia Nobilitatem armis C. Cæſaris, ſublatas leges, uni-

verſam

verſam Remp. perturbatam. quid præterea? homines ignotos, atque abiectos, quales erant Oppius, & Curtius, à C. Cæſare, cujus illi duo partes ſecuti fuerant, Magiſtratus ſperare; hoc putabat non eſſe ferendum. Cùm autem Ciceronis familiaris uterque eſſet, ut ex Epiſtolis ad Atticum patet; ideò per ludum, & jocum: *Togam*, inquit *Prætextam texi Oppio*, jam divino, Oppium quamprimùm Ædilem, aut etiam Prætorem creatum iri, quibus Magiſtrátibus jus togæ Prætextæ conceditur: *Nam Curtius noſter Dibaphum cogitat; ſed eum infector moratur*; idem & Curtius ſperat, qui hac nova ſpe elatus cogitat ſuæ Prætextę non illam vulgatam Purpurám intexere, ac Plebejam, ſed Dibapham pretioſiſſimam, delicatiſſimo cuique uſitatam: *Hæc aſperſi*, adiungit Cicero, *ut ſcires, me tamen in ſtomacho ſolere ridere;* en jocum.

Sed tu, vir optime, fac, ut quàm primùm in Urbem redeas; tecum enim de meorum Studiorũ ratione communicare ſummoperè cupio. Vale. iv. Non. Január. A.S. 1696.

EPISTOLA QUINTA.

AD NOB. N. N.

De Patritiis.

Refert Urſatus noſter, cui certè non hæc tantùm Civitas, ſed literaria Reſp. univerſa plurimum debet, duo quondam fuiſſe Paduæ Nobilium genera, cum alii Patritii, alii Plebeii nobiles dicerentur. Non dubito, quin eruditus Hiſtoricus duas in Claſſes Cives ſuos diſtributurus, & quaſi in di-

verſas factiones, ad Romanæ Urbis inſtituta reſpexerit, cui funeſta illa Patritiorum, Plebejorũque nomina tot mala, tot ſediciones invexiſſe legimus. Negas? equidem fateor, non eandem utrorumq; rationem, neque idem fuiſſe diſcrimen; ſi vero mihi pauliſper attendas, animumque tuum revocare velis ad illarum rerum memoriam, quas ex Veterum monumentis copioſè perſpicere potuiſti; dubio procul hæc etiam Quæſtio nullo negotio definietur.

Romulus Urbis conditor centum Patres legit, qui Senatores eſſent; alios quoſdam Tullus Hoſtilius addidit, diruta Albà; mox etiam L. Brutus in eorum locum, quos Tarquinii Superbi crudelitas abſũpſerat, Livio teſte. Horum omnium Poſteri dicti ſunt Patritii, ità tamen, ut qui primo tempore lecti fuerant in Senatum, Majorum; qui poſtremo, hoc eſt à Bruto, Minorum gentium Patritii dicerentur. Cicero Epiſt. 20. lib. 9. ad Pætum, de Papiriis: *fuerunt enim Patritii minorum gentium, quorum princeps L. Papirius Mugillanus;* hic enim ſuæmet Genti primus inſignia Conſulatus attulit. Iidem ſoli erant Nobiles, quippe cum ex geſtis honoribus tota nobilitas haberetur. Plebeiis non patebat aditus ad Magiſtratus Curules ante legem Liciniam Sextiam, de altero Conſule ex Plebe creando; qua lata, Plebeii quoque, ubi ad honores pervenerant, Senatores, & Nobiles eſſe cœperunt; non ſimiliter Patritii, quod ſibi nomen, & dignitatis inſigne propriũ, & peculiare Familię primę in Senatum lectę retinuerunt. At quàm multos, inquies, habemus ex plebe homines, Patritiarum familiarum nomina præſeferentes? Octavios, Antonios, Papirios, Quinctios, Valerios. Antequam huic etiam Quæſtioni ſatisfacio, Manutius mihi coarguendus eſt, qui ad Orationem pro Sex.

Ro-

Roſcio, M. Meſſalam, cujus fit ibi mentio, Valeriæ gentis Patritiæ fuiſſe non negat; quod autem adiungit: *fuiſſe & Valerios Flaccos Plebejos*, miror excidiſſe Viro erudito, Romanarum rerum peritiſſimo. Poſt legem Liciniam Sextiam de Conſulatu, nullum Patritium reperies in Faſtis Conſulum datum collegam hominibus Valeriæ gentis; quod certiſſimũ argumentũ eſt, Valerios omnes eſſe Patritios, cũ ex lege illa Tribunitia, duo quidem Plebeii ſimul eſſe Conſules poſſent; at nõ duo Patritii ſimiliter. Cicero pro L. Flacco, eum à Valerio Poplicola originẽ ducere manifeſtè teſtatur: *Cum L. Flaccus veterem Valeriæ gentis in liberanda Patria laudem propè quingenteſimo anno Reip. retuliſſet*. quis porrò plebejum dicat Poplicolam? Sit hoc oratorie dictum, quippe in illius laudem, cujus tùm cauſam agebat; an & hæc duo, quæ ſequuntur, negare, aut in dubiũ vocare poſſumus? Conſtat apud omnes, L. Valerium Flaccum, qui Epit. Liu. lib 83. *Princeps Senatus* dicitur, fuiſſe Interregem poſt interfectos Marium, & Carbonem Coſs. eundemque in Interregno tuliſſe legem de Syllæ Dictatura: neque ſanè quiſpiã dubitaverit, nùm quis creari poſſet Interrex, qui Patritius non eſſet: ſed omninò controverſiam dirimit Livius lib. 49. *Cenſuram ſumma contentione petebant L. Valerius Flaccus, P. & L. Scipiones, Cn. Manlius Unlſo, L. Furius Purpureo, Patritii; Plebeii autem M. Porcius Cato*, & cæt. Erant igitur Valerii Flacci, ſicut & Meſſalæ Patritii; etſi videam, non ex Valeria tantùm alios quoſdam, ſed ex omnibus fere Patritiis familiis nonnullos Tribunos pl. factos fuiſſe, adeoque ſine controverſia Plebeios.

Oratione pro Sextio, ait Cicero, P. Clodium, qui Patritius adoptandũ ſe dederat Fonteio homini

ple-

plebeio, eſſe tetram, immanemque belluam, vinctam auſpiciis; neque probatur, quod quidam tradunt, idcircò belluam dici vinctam auſpiciis, quia videbatur eſſe contra auſpicia, ſi Patritii fierent per adoptionem Plebeii. Nulla enim lex vetabat, à Plebejo homine Patritium adoptari; & P. Cornelius Scipio gentis Patritiæ, qui fuit deinde Socer Magni Pōpeii, adoptatus à Q. Metello Pio tranſiit in familiā Plebejam, ſervatis legibus, inſtitutiſque Majorum. aliique præterea non pauci. Oratio pro Domo ſua explicat, quid hoc ſit, ubi fusè reprehenditur hęc adoptio Clodii, non eo nomine, quòd eſſet Patritius, ſed tùm quia, non habita ratione ætatis, imberbis adoleſcens Fontejus Senatorem populi R. adoptaverat, tùm etiam, quia nulla juſta cauſa adoptandi allata fuerat apud Collegium Pontificum, ut mos fuerat: *Probate*, inquit, *genus adoptionis*, Patritios adoptari poſſe à Plebeiis non cauſa prolis, ſed ut è Patritiis exeant, & Tribuni pl. fiant; plurima autem enumerat abſurda, quæ inde conſecutura ſunt, ac tandem concludit: *auſpicia Populi R. ſi Magiſtratus Patritii creati non ſint, intereant neceſſe eſt, cum Interrex nullus ſit, quòd & ipſum Patritium eſſe, & à Patritiis prodi neceſſe eſt*. nam fieri poteſt, ut nulli creentur Magiſtratus Patritii, apud quos ſunt auſpicia; tunc ſi nulli ſint Patritii, à quibus, & ex quibus prodi poſſit Interrex ad habenda Comitia, Interrex nullus erit, ſed neque Magiſtratus; nulla igitur auſpicia. Quamobrem fuit illegitimū Clodianæ adoptionis genus, tùm propter auſpicia, quæ hac una ratione interire poterant, ſi pro libidine cujuſque, non juſta de cauſa Patritii tranſire poſſent ad Plebem per adoptionem; tùm etiam, quia mos Majorum, & leges Sacratę, ne quis Pa-

tritius

tritius Tribunus pl. fieret, cavebant; hoc eſt, ne qui legitimè non factus eſſet plebejus, Tribunitiā poteſtatem conſequeretur. Ceterùm ita conſtat, jure, ac legitimè Patritios adoptari potuiſſe à Plebeiis, ſicut etiam promiſcuè Patritii à Patritiis, Plebeii à Plebeiis adoptabantur, ut nullum contra ſit exemplum in promptu, quo doceamur, Plebejos quoque datos fuiſſe in adoptionem Patritiis; & hac ratione fieri potuit, ut quidam Patritiarum familiarum nomina retinerent, ex quibus orti, adoptione tranſierant in Plebejas. Verùm id perquàm rarò contigiſſe neceſſe eſt, proindeque probabiliori mihi conjectura opus eſſe non inficior. Cicero pro C. Cornelio, ait eſſe: *Cornelios itamultos, ut jam etiam Collegiū conſtitutum ſit*. Ex unane Familia, & quidē Patritia tam multi? nimirùm, ut quiſque potentiſſimus erat in Civitate, pluresque ſervos habebat, ſic plures pro Meritis libertate donabat, qui Libertorum, ſeu Libertinorum nomine Civitate Romana potiebantur, ſuorumque Patronorum nomina uſurpare ſolebant. Itaque plurimi Cornelii Romæ numerabantur, quòd Sylla, atque alii ejuſdē Gentis, maximæ Servorum multitudini libertate reddita, effecerant, ut Cives etiam R. eſſent; idemque reliquarum etiā Familiarum judicium eſt. quamvis enim nonnulli arbitrentur, Patritios ad Plebem tranſire potuiſſe; id ego tamen nunquàm affirmaverim, niſi per adoptionem, neque dubito, quin ex Libertis plerumque originem traxerint, quicumque Patritiarum familiarum nomina referrent. adeoque, ut hoc uno utar exemplo, Junios Brutos, quorum plurimos Conſulatus in Faſtis habemus, ex liberto L. Junii, qui Reges expulit, genus duxiſſe graviſſimi Auctores tradiderunt. Poſt Ciceronis demùm ætatem, cum reliqua

qua Reip. facie, iſtâ quoque Ordinum condicio penitùs immutata eſt. Cæſares enim, quòd animadverterent, pleraſque Patritias Gentes extinctas eſſe, partim bellis Civilibus, partim Imperatorum ſævitia, atque iniuria temporum; eas, quæ nobiliſſimæ erant inter Plebeias, ſufficere, ut commodè poſſent Salios, Flamines, & reliquos pro dimidia parte Sacerdotes creare Patritios ex veteri inſtituto.

Nunc habes, non modò quid inter utramque Civitatem maximè interſit, verùm etiam qua ratione, in recenſenda Nobilitate, una ad alteram referatur. Vale. Id. Ianuar. A. S. 1699.

EPISTOLA SEXTA.

AD NOB. N. N.

De Publicanis.

MIrum tibi aliquandò videbatur, in Romana Rep. Ordinem alium extitiſse Equeſtri majorem dignitate; quippe qui ad Juris ſcientiam, & ad ſingularem Eloquentiæ laudem animum adjeceras, hæc leviora contempſeras. Tū ego, ne in re tam perſpicuâ diutiùs hæreres: vim, ajebam, nominis ipſius, & ſententiam non tenes. nos quidem præſtantiſſimos quoſque, tui ſimiles, florem Nobilitatis appellamus Equites; Romani eos omnes in Equeſtrem Ordinem referebant, habita ratione Cenſus, quorum Parentes non fuiſsent nobiles, neque ipſi honoribus geſtis inſignes. Quid plura? nemo inter Publicanorum ſocietates recipiebatur, qui non idem Eques R. eſset. His à me dictis acquieſcere viſus es; ne quid verò intactum relinquerem, domum reverſus

ſus notavi quædam de Publicanis, quæ ad noſtrum inſtitutum pertinent, eaque ad te mittenda curavi.

Quid, & quotuplex Vectigal eſſet, quod exigeretur à Publicanis, & quemadmodũ à Cenſoribus Romæ locarentur in quinquennium publica Vectigalia; alii crudite, & copioſe tradidere. quædam ego delibabo ex Ciceronis Orationibus, quæ in diſputionẽ venire poſſint; in primis autem, num vita Publicanorum, ac ſtudium vulgò reprehenderetur. Oratione pro Rabirio Poſtumo, cujus Pater Publicanus fuerat, cauſas affert Cicero, cur ſe ad eandem vitę cõdicionem Rabirius contulerit, & quare *In Paternæ culpæ ſimiltudinem deductus eſt*. quænam porrò illa eſt Paternæ culpæ ſimilitudo? cum & Patrem Curiũ, & filium Poſtumum ibi laudet, cur ſubitò ad vituperationem tranſit, & in Paternam culpam deductum filium affirmat? an illud mendoſum eſt, ut pro *Culpæ* legendum ſit *Curæ*, ad ſignificandã ſumam utriuſq; ſedulitatem, & attentionem in re familiari augenda? ſic enim Commentatores quidam emendant, ne Patris Curii reprehenſionem admittant. hoc tamen non probo, & antiquam, eandemque vulgatam lectionem tueor, quam ſic expono. Nimiam illam in negotiis gerendis curam (quã Orator appellat animi magnitudinem) homines per ſe non laudabant in Patre Curio; laus omnis deſumebatur à Cauſa finali, quòd pecuniæ comparandæ tantus amor ad aliorum maximè commoda referretur: *ut in augenda re non avaritiæ prædam, ſed inſtrumentum bonitati quærere videretur*. Poſtumi filii idem planè ſenſus erat, cujus conſilium in fortunis ſuis omnibus Regiæ poteſtati lucri cauſa cõmittendis ęque à Cauſa finali probatur: *nec interea locupletare amicos unquam*

 quàm

quam ſuos deſtitit, mittere in negotium, dare partes, & augere, fide ſuſtentare. alii quidam vituperabant, & ſpem inanem fuiſſe, inconſultam rationem, denique temeritatem dicebant. Hujuſmodi criminationis genus ut Cicero depellat, argumento inſuper utitur à Cauſis Efficientibus, atque ita ſuum Clientem purgat: *natura ipſa duce, quæ plurimum valet, & aſſiduis domeſticorum ſermonibus in Paternæ culpæ ſimilitudinem deductus eſt*; Paterna ſtudia in negotiis gerendis imitari cœpit, quod nunc illi culpæ datur; hoc eſt, tanta cura in parandis divitiis, ſicut antea in Patre, ita nunc in Filio temere à quibuſdam reprehenditur. Officiorum lib. 1. de Mercatura; *ſin magna, & copioſa, multa undique apportans, multiſque ſine vanitate impartiens, non eſt admodùm vituperanda; atque etiam, ſi ſatiata quæſtu, vel contenta potiùs, ut ſæpe ex alto in Portum, ex ipſo Portu ſe in agros, poſſeſſioneſque contulerit, videtur jure optimo poſſe laudari.* Dictum illud etiam de Publicanis puta, quorum maximæ pecuniæ in redimendis Vectigalibus occupabantur, maximo propoſito quæſtu, ut ſe aliquandò ad Remp. gerendam, & honores compararent.

Quod ad illorum Societates attinet; in Planciana ea omnia Cicero enumerat, quæ Cn. Plancio adiumento fuerant in petitione Ædilitatis. Cum Publicani, ait ille, ſint Equitum R. flos, ornamentum Civitatis, Reip. firmamentum, *Quis eſt, qui neget, Ordinis ejus ſtudium fuiſſe in bonore Plancii ſingulare?* Sicut prima pars de publicanorum dignitate erat per ſe manifeſta, ut proinde maximè valerent in Comitiis, ſi cui fortè candidato faviſſent; ſic altera de eorundem in Plancium ſtudio, ratione aliqua firmanda erat. itaque ſubiicit Orator: *neque iniuria; vel*

quod

quod erat Pater is qui eſt Princeps jam diu Publicanorum, vel quod is ab Sociis unicè diligebatur. Duas ob cauſas præcipuè habuit illum Ordinem Plancius ſui ſtudioſum in honore; tùm quia Pater ejus Publicanorum eſt Princeps, tùm quia idem unicè diligebatur ab iis Publicanis, quibuſcum ſæpè in redimendis Vectigalibus fecerat Societatem. ii enim Socii dicebantur, qui Vectigal alicujus Provinciæ communi nomine redimerent à Cenſoribus, & à Provincialibus exigerent. Eodem ſenſu paulo infra: *quid eſt autem queſtus unquam, niſi cum à Sociis, & à ſe iniuriam propulſaret?* de qua iniuria Epiſt. 13. lib. 1. ad Atticum: *Cato miſeros Publicanos, quos habuit amantiſſimos ſui, tertium iam menſem vexat, neque iis à Senatu reſponſum dari patitur*. Miror eſſe, qui exiſtiment, amorem Sociorum populi R. erga Plancii Patrem hoc loco ſignificari, quòd eſſet perquam rarum, ibi contentiones, odiaque non eſſe, ubi Vectigalia exiguntur. Quem uſquam legimus Publicanum unicè dilectum fuiſſe à Provincialibus? quomodo amor Sociorum populi R. in Plancii Patrem poteſt referri ad argumentum ſumptum ex ſtudio Publicanorum? quanto futuri erant adiumento Candidatis ii Socii, qui certe nullum in Comitiis locum habebant?

Qui Magiſter, qui Scribæ, ſeu Servi uniuſcujuſque Societatis fuerint, habetur ex Verrina 4. ubi, cum de Societate Sicilienſi ſermo eſſet, commemoratur *Servus Societatis, qui tabulas confecerit*. Manutius ad eũ locum vult deſignari Carpinatium quendam, qui Socieati operas dabat, qui tabulas ſcribebat, ipſe enim tabulas illas confecerat, de quo ſuprà: *Inſpiciebamus Syracuſis, à Carpinatio confectas tabulas Societa-*

 tis

tis; Manutiū alii quoque Commentatores ſequuntur. At hinc duo abſurda conſequantur, neceſſe eſt; & primùm quidem: Cum Cicero Accuſator Verris, in conventu Syracuſano Carpinatium de illo Verrucio interrogaret, cui magna ſæpe vis pecuniæ expenſa lata fuerat: *quis eſſet? ubi eſſet? ūde eſſet?* & alia hujuſmodi, continuò etiam ſubiicit: *cur Servus Societatis, qui tabulas confecerit, ſemper in Verrutii nomine certo ex loco mendoſus eſſet?* quid de ſervo Societatis interrogat Carpinatium, ſi Carpinatius ipſe Servus erat Societatis? Deinde non eſt dubium, quin Carpinatius Civis R. fuerit, unus ex numero Publicanorum, atque adeò, Eques R. cum eſſet, pro Magiſtro Societatis in Sicilia, hoc eſt Magiſtri Vicarius. nam Verrina 5. L. Vettius, P. Servilius, & C. Antiſtes Equites R. & homines honeſtiſſimi, dicuntur fuiſſe Romæ ejuſdem Societatis Sicilienſis Magiſtri. Itane Cicero civem R. & fortaſſe ex Ordine Equeſtri, Servum palàm dixiſſet? Hinc multo convenientiùs, ſi Scribam Societatis ſignificari dicamus, qui tabulas juſſu Carpinatii confecerit; Magiſtris enim fuiſſe Scribas, qui & tabulas conficerent, & literas ſcriberent, patet ex eadem Verrina 5. *etenim caſu Scribæ tùm duo Magiſtri fuerunt cum Vettio*. At dicitur ſuprà Carpinatius ipſe confeciſse tabulas Societatis; nimirùm, ut Verres, ut Perperna, ut Hortenſius, ut nobiliſſimus quiſque conficere ſuas tabulas dicitur. Ipſine accepti, & expenſi rationes ſua manu ſcribebant? Scribâ quilibet ſuo uti ſolebat; quomodo ipſe quidem Carpinatius Societatis tabulas confecit, quas à Servo Societatis ſcribendas curavit; Servus verò eaſdem tabulas confecit, quas ſcripſit ſua

manu.

manu.

Antequam Verrinas, ipſamq; adeò provinciam Siciliam miſſas faciamus, locus quidam occurrit initio Verr. 5. *Præterea, omnis ager Siciliæ Civitatum decumanus eſt*; quem cum Interpretes perperàm expoſuiſse videantur, quòd Sicularum Civitatum quatuor fuiſſe diverſa genera putarent; idem mihi diligenter explicandus eſt. Siciliç Civitates aut bello ſubactę fuerant, aut ſponte venerant in amicitiam, fidemque populi Romani. quæ bello ſubactę fuerant, ſeptendecim erant: *quarum ager cum eſſet Publicus populi R. factus, tamen illis eſt redditus; is ager à Cenſoribus locari ſolet*. Cenſores Romæ locabant Publicanis vectigal eorum agrorum; Publicani frumentũ, aliaque cujuſcumq; generis colligebant, iiſque venditis pecuniam, quam in redimendo pacti fuerant, in ærarium referebant. ſuperiori autem Oratione attigit Cicero, quàm iniquus fuerit Verres Siculis Civitatibus, quæ vectigal penderent, in gratiam Carpinatii, proindeque Publicanorum. Ex iis, quæ ſponte venerant in ditionem populi Romani, aliç nihil pendebant, duæ ut pote fœderatę, Mamertina, ac Taurominitana; quinque ut pote immunes, Centuripina, Haleſina, Segeſtana, Halicienſis, Panormitana. his porrò nullæ iniuriæ ſunt factæ pro frumento Decumano, quod illæ non dabant, ſed pro Empto, & Æſtimato, ut alibi fuſiùs oſtendàm. Reliquæ omnes Civitates, præter has ſeptẽ, & illas ſeptendecim bello ſubactas, Decumas frumenti dabant, quas dederant etiam ſub Regibus; ideòque onus erat illis admodum leve, cui antiquitùs aſſueverant. Itaque Siciliç Prętor quotannis vẽdebat Decumas ſingularum Civitatum, & ii, quibus vendebantur (Erant autem ferè Equites R.

M 3 Pu-

Publicani) dicebantur Decumani , quorum ſub Verre princeps fuit Apronius . Decumani ex qualibet Civitate Decumas colligebant; tot frumenti, ordei , aliarumque rerum modios Prætori dabāt; quot pro ſingulis Civitatibus in ēptione pacti fuerant, quod reliquũ erat, Decumani ſibi habebant. De hoc frumento Decumano loquitur Cicero Verrina 5. oſtenditque tùm pro Decumanis iniquiſſimum fuiſſe Verrem Aratoribus, hoc eſt iis, qui agros poſſiderēt, tùm etiam ſibi ipſi Verrem emiſſe Decumas, ipſũque fuiſſe Decumanum. denique nulla in re ſervatam fuiſſe veterem legem Hieronicam , de Decumis à Hierone Rege latam , qui Rex Siciliæ fuerat bello Punico ſecundo . Verùm ut propiùs ad Quæſtionē de Publicanis accedam;

Septendecim Civitates erant in Sicilia, quæ bellum cum populo R. geſſerant , ſicuti paulò ante dixi : *quæ tamen victæ*; ut ait Manutius ad Verrinā 7. *in eo clementiam maximam ſunt expertæ , quòd eorum ager iis redditus eſt, cum eſſet jure belli publicus populi R. factus* . Non ignoro , hæc eadem eſſe verba Ciceronis deſumpta ex Verr. 5. quorum explanationem non idcircò præteribo, cum difficultatis aliquid præſeferre videantur . An enim ſunt regiones aliquę bello captæ , quas populus R. primis Poſſeſſoribus non reſtituerit ? an quæ reddebantur , publica Populi R. ampliùs non erant ? illud quidem incertum fortaſſe videtur eſſe, hoc autem procul dubio falſum eſt. Quæ jure belli ſua fecerant, aliquandò ſibi retinebant Romani , expulſis veteribus Dominis ; aliquandò ea victis populis reſtituebant; ita tamen, ut ſemper publica Populi R. eſsēt. Ad primum genus refertur Campanus ager, qui Cāpanis

panis ademptus publicè colendus locabatur, de quo Oratione 2. contra Rullum: *Majores noſtri non ſolùm id, quod de Campanis ceperant, non imminuerunt; verùm etiam, quod ii tenebant, quibus adimi jure non poterat, coemerunt*. Cæterùm perquàm raro id contigit; plerumque autem in agros bello captos, & primis dominis adeptos, Coloni ex plebe Romana deducebantur; & hinc alias aliis temporibus, maximè per univerſam Italiam deductas Colonias legimus, ſolvebantque Coloni Reip. annuam penſionem. Ad alterum genus reducuntur cetera plurimarum victoriarum præmia in Sicilia, Græcia, Africa, Hiſpania, & Aſia; nam ea condicione ſubactis populis agri reſtituti ſunt, ut vel Provinciarum Magiſtratibus quotannis Vectigal certum penderent, & Stipendiarii dicebantur; vel Publicanis ex lege Cenſoria quotannis Vectigal darent, quibus ea Vectigalia in quinquennium Cenſores locaſſent; & Vectigales populi vocabantur. Cicero Ver. 5.: *Cæteris aut impoſitum Vectigal eſt certum, quod Stipendiarium dicitur, ut Hiſpanis, & pleriſque Pœnorum, quaſi victoriæ præmiū, & pœna belli; aut cenſoria locatio conſtituta eſt, ut Aſiæ lege Sempronia*. & ex Verrina 7. conſtat, certum fuiſſe Vectigal, quod etiam Publicanis penderetur, ubi hæc ſunt: *Qui publicos agros arant, certum eſt, quid ex lege cenſoria dare debeant*; peſſima enim, & omninò non ferenda condicio fuiſſet, ſi dare tantumdem Populi Vectigales debuiſsent, quantum à Publicanis petitum eſſet. An verò hæc omnia, reſtituta quia fuerant veteribus Dominis, Stipendio, ſeu Vectigali impoſito, ideò non erant populi R. publica? falſum eſt; imò & adimi jure poterant, ſi viſum id eſset è Rep. 2. in Rullum:

Italiam percenſuiſti; perge in Siciliam. nihil eſt in hac Provincia, quod aut in oppidis, aut in agris Majores noſtri proprium nobis reliquerint, quin id venire jubeat. Præter alia quædam, horum etiam ſeptendecim Populorũ agros, qui bello in Sicilia ſubacti fuerant, vendebat ſua lege P. Servilius Rullus. nùm Cicero negat, eos eſse publicos populi R. & jure adimi Siculis poſseſsoribus? ne verbum quidem. fatetur utrumque, & agros illos eſse publicos, & adimi jure poſse, neque hoc nomine reprehendit Servilian legem; ſed illud unum contendit, vendendum non eſse Populi R. Patrimonium.

An quiſquam Vir nobilis publica Vectigalia hoc tempore redimat? te enim nunc jam alloquor in extrema Epiſtola. neque tamen qui non redimunt, ii ſtatim Equites dicuntur, ſi cætera deſint ornamẽta Virtutis. Vale. iv. Id. Febr.. A. S. 1698.

EPISTOLA SEPTIMA.

AD NOB. N. N.

De Pueris, & Adoleſcentibus.

QUid ceſsas Juvenalem illum tuum in lucem edere, deq; univerſa literaria Rep. benè mereri? cur adhuc latitat domi Opus te Auctore digniſſimum, cujus jam diù deſiderio tenemur? Modeſtiam ſcilicet, atq; animi moderationem agnoſco, quam unam Virtutem invidam pęnè dixerim laudis tuæ, nobiſque omnibus pernicioſam. Mihi longè alia mens eſt; ſi quid eniti, ac perficere aliquandò poſsum,

poſſum, ipſe ſtatim expono, majora daturus, ſi quidem voluntati par reſponderet ingenium. Commentanti quædam nudiuſtertius non inutilem Cęlianę locus Quæſtiunculam poſuit, quam ad te mitterem; addam etiam plura, & obtundam, ut, ſi rationibus nequeam, aut precibus, moveam te ſaltem exemplo.

Cœlianæ tamen ſit Oratio pro P. Sextio quaſi pręludium quoddam, ubi Cicero, cum de Albina Sextii uxore mentionem feciſſet: *Ex qua hic eſt Puer*, inquit, *& nupta jam filia*. Aderat Puer hic filius P. Sextii, cum Pater cauſam diceret de Vi, quinimò teſtimonia, & publicas, privataſque tabulas ipſe recitabat, de quo infra: *Recita, quæſo P. Sexti, quid decreverint Capuæ Decuriones, ut jam virilis tua vox poſſit aliquid ſignificare inimicis noſtris, quidnam, cum ſe corroborarit, effectura eſſe videatur*. cum ad ulciſcendas illatas Patri injurias, inimicos noſtros ipſe accuſabit. Publius hac Oratione vocatur, eodem Prænomine, quo Pater; at Epiſt. 8. lib. 13. ad Famil. Lucius dicitur. nemo non videt, alterutrum locum eſſe mendoſum; niſi forte alicui ex Propinquis in adoptionem datus eſt, qui Lucius diceretur: ſicut eadem ratione P. Scipio, Quintus appellatur de Haruſp. Reſp. quod tamen veriſimile non videtur eo loco. Prætextatus etiam erat puer ille Sextius; nam in Peroratione: *video hunc prætextatum ejus filium oculis lacrymantibus me intuentem*. cur ergo, ſubiungit Manutius, & Puer dicitur, & Prætextatus, cum, qui decimum ſextum annum fuiſſent egreſſi, ii demùm prætextati dicerentur? Minimè omnium hæc Virum eruditum ſententia decebat; non arbitror, quemquam eſſe adeò rerum

Ro-

Romanarum incurioſum, qui non audierit aliquid de Puerili Prætexta, qua depoſita, Virilem togam ſumebant .. hoc etenim ſenſu pro annis pueritiæ, Prætextati anni dicuntur apud Plinium, Prætextata ætas apud Gellium, & Juvenalis Satyra 2.

Sic Prætextatos referunt Artaxata mores,

hoc eſt puerorum mores depravatos. Id quidem manifeſtum eſt, videtur autem alterum eſſe admodùm incertum, quo anno deponeretur puerilis Prætexta, ſumpta virili Toga; cum alii decimum ſeptimum ætatis, alii decimum quartum aſſignent. Cicero hac eadem Oratione de P. Lentulo Spintheris filio ſic loquitur: *cui ſuperior annus idem & virilem Patris, & Prætextam Populi judicio togam dederit;* judicio Populi conſecutus fuerat togam Prætextam, Augur creatus, & eodem anno Virilem judicio Patris. Quamobrem patet, judicium Parentum fuiſſe, quo quiſque filius anno ſumeret Virilem togam, cumque nullum certum tempus definitum eſſet, non omnes eodem ſuæ ætatis anno è pueris exceſſiſſe. nunc jam venio ad Orationem pro Cælio.

Vetus Romanorum inſtitutum commemoratur, ut Adoleſcentes anno, quo togam Virilem ſūpſiſſent, brachium toga cohiberent. Dubitant Viri Docti, utrum brachium toga cohiberetur, & jure quidem. ſi enim de Siniſtro intelligas cum Manutio, contra eſt Seneca, quem infrà citabimus; an verò, ſiniſtro cohibito, dexterum exerebant? brachiū præterea ſine ulla additione poſitum, nobilius brachium ſemper ſignificat. Si dextrum ſumas cum Ferrario, probeſque rationem ab eo allatam, *Ut toga utrumque humerum tegeret*, lib. 1. de Re Veſtiaria; quid toga opus erat, cum tunica omnia tegeret uſque

que ad cubitum? Ciceronis igitur hæc ſunt verba: *nobis quidem olim annus erat unus ad cohibendum brachium toga conſtitutum*; & Seneca lib. 5. Controv. Cap. 4. *apud Patres noſtros, qui forenſia ſtipendia auſpicabantur* (ſumpta Virili toga) *nefas putabatur brachiũ extra togam exerere*. Vetus nimirùm hęc fuerat conſuetudo, ſublata multo ante Senecæ, ac Ciceronis etiam tempora, ut adoleſcentes, depoſita puerili Prætexta, brachium per annum toga cohiberent, ne pars illa corporis nuda eſſet. Sed utrum brachium ſignificari dicamus? illud, ſi Senecę credimus, quod exerebatur; dextrum autem ſolummodo exeri ſolebat; ſiniſtro ſubducebatur, ac ſuſtinebatur toga. At, inquies, nonne Tunica partem humeri, totumque ferè brachium tegebat? procul dubio; itaque primis Reip. temporibus, cum nullus adhùc eſſet Tunicæ uſus, tùm conſtitutus eſt annus Adoleſcentibus ad brachium toga cohibendum, ne membra nuda paterent. poſtquam tunicati eſſe cœperunt, & illa cohibendi brachii conſuetudo obſolevit. Ferrarius in Epiſtola ad Gronovium: *argenteum*, inquit, *Auguſti numum obſervavi, in cujus averſa parte C. & L. Cęſares ejus nepotes, quorum alter brachium toga cohibet, alter exerit; quod me dubium reddit, cur ita factum ſit; nam ſi tyrocinii cauſa, uterque eodem cultu eſſe debuiſſet*. Verùm alii multi numi ſunt, in quibus Romani Viri, ne dum adoleſcentes; brachium toga cohibent. ad aliud quodlibet potiùs res hujuſmodi referenda eſt, quàm ad tyrocinium; cum, Cicerone teſte, *olim* mos ille viguerit, quo tempore non utebantur Tunica, ut ſupra dictum eſt.

Hactenùs de brachio cohibito; neque tamen ea una erat ratio, qua Majores modeſtiæ puerorũ, & pudicitiæ conſulebant, cum illi ſumerent Virilem

to-

togam. ſequitur enim Orator: *& ut exercitatione ludoque Campeſtri tunicati uteremur; eademque erat, ſi ſtatim mereri ſtipendia cœperamus, Caſtrenſis ratio, ac militaris.* hoc eſt, Adoleſcentes anno ſui Tyrocinii, cum ludo, & exercitatione utebantur in Campo Martio, tunicam non ponebant; pariterque in Caſtris tunicati ſeſe exercebant, ſi eodem illo primo anno militare cœpiſſent. Aliter Manutius: *non ludo Campeſtri*, inquit, *ſed Campeſtri tunicati uteremur in ludo modeſtiæ cauſa*. erat enim Campeſtre genitalium ſuccinctorium, quo in Palæſtris, & in Campis ludentes utebantur, cujus meminit Horatius lib. I. Epiſt. 10.

> *Incolumi Rhodus, aut Mitylene pulchra facit, quod Pœnula Solſtitio, Campeſtre nivalibus auris.*

Itaque apud Aſconium, *Cato Prætor judicium Scauri, quia æſtate agebatur, ſine tunica exercuit, Campeſtri ſub Toga cinctus*; Campeſtri Cato uſus eſt, quia Tunicam depoſuerat, neque Tunicato Campeſtri opus erat. Ita Civis incolumis, ait Horatius, qui non ſit in exilium pulſus, eget Rhodo, aut Mitylene, quarum Inſularum deliciis nequaquàm delectantur ii, qui jus tenent Civitatis Romanæ, ut nivalibus auris Campeſtri egemus, & Solſtitio Pœnula. cur nullus Campeſtris uſus hyemali tempore? quia Tunica ſupplebat; nam Pœnula quidem, quippe ex craſſiori filo contexta, vim adderet Solſtitii caloribus. an eadem ratione frigus etiam creſceret, ſi quis præter Togam, ac Tunicam, cingeretur Campeſtri? Sed & Cato Succinctorium illud ſumpſit, quia ſine Tunica judicium Scauri exercebat; & nemo ſic genitalia ſuccingebat, qui nō tunicā antea poſuiſſet. denique *Homo Campeſtri cinctus*, & *Homo Tunica-*

nicatus, ſibi invicem opponuntur, ut unum ſemper excludat alterum; cum nullo Succinctorio tegenda eſſent genitalia, quę multo commodiùs tunica tegerentur. In campo igitur, cum cæteri omnes nudi, Campeſtri tantùm cincti exercerentur, Adoleſcentes tunicati ludebant, ne qua corporis pars cujuſpiam oculis, ne dùm manibus contrectaretur. Præterea, Ciceronis verba diligentèr examinentur: *Ut exercitatione, ludoque Campeſtri tunicati uteremur*; juxta Manutii interpretationem, univerſalis eſt ſententia, Adoleſcentes uſos eſſe Tunica, & Campeſtri, ubi, & quandocumque luderent, ſeq. exercerent. quid poſtea? *eademque erat, ſi ſtatim mereri ſtipendia cęperamus, Caſtrenſis ratio, ac militaris*. poſt univerſalem ſententiam, quæ locum, ac tempus quodlibet complectitur, cur altera particularis ſubjungitur, ad loci diverſitatem notandam? Scilicet ea verba *Caſtrenſis*, & *Militaris*, ad illud alterum referuntur, quod ſuprà eſt, *Ludoque Campeſtri*; eodemque planè ſenſu dixiſſet Orator: *ut exercitatione, ludoque non ſolùm in Campo, verùm etiam in Caſtris tunicati uteremur*. pro Subſtantivis Adiectiva eleganter uſurpàvit, Ludus Campeſtris, ſicut Gratia Campeſtris apud Livium, Arma Campeſtria apud Horatium. Quæ cum Viris eruditiſſimis diſputavi, ſi tu probàveris, nihil eſt, quod cujuſpiam judicium reformidem. Vale. Id. Dec. A. S. 1696.

EPISTOLA OCTAVA.

AD NOB. N. N.

De Cenſoribus.

SUblatam docebam nudius tertius lege Cornelia Cenſuram, quam undecim poſt annos Pompejus Conſul reſtituit. Cæteri facilè aſſenſere, quos utrumvis affirmare minimè attinebat; tu, qui nihil temerè probare ſoles, quod non certis rationibus nitatur, repugnare cœpiſti. Nam Cenſoria poteſtas è Rep. tolli nullo modo potuit; quibus autem Magiſtratibus eam extra ordinem à Sylla delatam dicemus? Ingenioſum ſemper eſt, quicquid objicis; hoc inſuper nonnihil eruditionis præſefert, quo libentiùs ad propoſitam mihi Quæſtionem accedam.

Primi Romæ Cenſores creati ſunt Anno V. C. 311. juxta Livianam ſummam, quorum poteſtatem Livius deſcribit lib. 4. *Idem hic annus Cenſuræ initium fuit, rei à parva origine ortæ, quæ deinde tanto incremento aucta eſt, ut morū, diſciplinæq; Romanæ penes eam regimen, Senatus, Equitumque Centuriæ, decoris, dedecoriſque diſcrimen ſub ditione ejus Magiſtratus, publicorum jus, privatorumque locorum, & vectigalia Populi R. ſub nutu, atque arbitrio eſſent.* Cum movere Senatu Patres, Tribu reliquos Cives poſſent, & facere ærarios, Equitibus R. equum publicum adimere, improbos, ac ſceleratos notare; univerſam autem Civitatem cum cenſerent, non capita tantùm, ſed & pecuniam, & bona ſingulorū; Vectigalia locarent, curarentq; publica omnia loca, & ſarta tecta exigerent; qui cæte-

ris dignitate præſtarent, poſt geſtos honores omnes, ad ſummum hunc Magiſtratum populi ſuffragiis deligebantur Comitiis, Centuriatis. Initio tamen, cum non adhùc tanta illorum poteſtas foret, Cenſura, quam primores Civitatis recuſaverant, delata eſt primùm Papirio & Sempronio, *quorum de Conſulatu dubitabatur, ut eo Magiſtratu parùm ſolidum Conſulatum explerent*, Livio teſte lib. 4. idque etiam colligitur ex Ciceronis Epiſt. 21. lib. 9. ad Pætum: *Quorum princeps L. Papirius Mugillanus; qui Conſul cum L. Sempronio Atratino fuit, cum antea Cenſor cum eodem fuiſſet, annis poſt R. C.* 312. quem locum Sigonius in Faſtis emendat, & legit: *Qui Cenſor cum L. Sempronio Atratino fuit, cum antea Conſul cum eodem fuiſſet*. Quis primus ex Plebe Cenſor fuerit, quando uterque ex Plebe primùm creatus ſit, quis eam poteſtatem ſeſquiannuam fecerit, cum eſſet antea quinquennalis, & alia hujus generis multa, legentibus Romanorum Hiſtorias paſſim ſunt obvia. Venio ad utilem, ac planè animadverſione dignam Quæſtionem. cum enim poſt Syllam Dictatorem nulli crearentur Cenſores, à quibus legi Senatus, cenſeri univerſa Civitas, locari publica Vectigalia, ſarta tecta exigi ſolebant; dubitare meritò poſſumus, quinam eorum vice hæc eadem pręſtarent. Alia quidem alio modo; quæ gravem, & acerbum illum Magiſtratum faciebat, nota Cenſoria ſublata è Rep. Quæſtura Senatum ſupplebat, ſicut alibi dictum eſt; Cenſum Prætores ſervabant, cum lex Plautia Papiria juberet, Peregrinos, qui Civitatem R. conſequi vellent, profiteri apud Prætorem, & ex Oratione pro Archia manifeſtũ ſit, apud eoſdẽ Prætores ſervatas fuiſſe Tabulas, quibus Civium R. nomina continebantur. conjectura etiam facit, ut id ita factum putemus; cum enim

ſeſ-

ſeſquiannua eſſet Cenſura, & poſt elapſos demùm annos quinque, novi crearentur Cenſores, alii cuidam ex Magiſtratibus, qui refici quotannis ſolebant, demandanda fuerat publicarum tabularum cura. at in ſartis tectis exigendis, Conſules ipſi Cenſorum munus obibant, ut proinde veriſimile videri poſſit, eos etiam locandis Vectigalibus præfuiſſe. Sic poſt Philippum, & Perpernam, qui Cenſores fuerunt anno V. C. 664. extincto paulo poſt eo Magiſtratu, ſacras Ædes Conſules locaverunt, Cicerone teſte Verrina 3. *Ædem Caſtoris P. Junius habuit tuendam, L. Sylla, Q. Metello Coſſ.* & elapſo quinquennio, ut in Cenſoribus creandis fieri conſueverat: *Cum L. Octavius, C. Aurelius Coſſ. ædes ſacras locaviſſent, neque potuiſſent omnia ſarta tecta exigere, neque ii Prætores, quibus erat negotium datum, C. Sacerdos, & M. Caſius; factum eſt S. C. quibus de ſartis tectis cognitum, & judicatum non eſſet, uti C. Verres, P. Cælius Prætores cognoſcerent*. In locum igitur Cenſorum Conſules quolibet quinquennio ſarta tecta locabant, & exigebant; quod ſi ipſi per ſe non poſſent omnia exigere, negotium illud ex Sen. Conſulto Prætoribus demandabatur. Hoc jure C. Verres Prætor Urbanus, cũ in traditione Ædis Caſtoris, columnas ad perpendiculum exigeret à Junio pupillo, tutores Junii *cum Rabonio, quod erat vix HS quadraginta millium, tranſigunt HS ducentis millibus*; pro reponendis videlicèt ad perpendiculum Columnis, quinque millia Coronatorũ polliciti ſunt Junii Tutores, cum mille tantum ſatis eſſent. Manutius hoc dici putat, *totam impenſam in Ædem Caſtoris à Redemptore factam vix HS. XL. millium fuiſſe, ſcutatorum mille*, & mirum eſt, quàm toto Cœlo aberraverit. Columnas ad perpendiculum exigebat Verres à Junio, nihil prete-
rea

rea vitii in Æde Caſtoris repererat ; pro Columnis ad perpendiculum reponendis HS ducenta millia pollici ſunt Junii Tutores . cur enim de tota Æde Caſtoris tranſigerent , cum una eſſet de Columnis cum Rabonio , adeòque cum Verre , cujus miniſter Rabonius erat, controverſia? Præterea, de illo opere tranſegerant cum Rabonio Junii Tutores, quod deinde in locatione addictum fuit , ut ex tota rei illius narratione apud Ciceronem patet; quod autem opus addixerit Verres ſic exponit : *omnes illæ Columnæ, quas dealbatas videtis, machina appoſita, nulla impenſa dejectæ, eiſdemque lapidibus repoſitæ ſunt. hoc tu HS DLX. millibus locaviſti* . Si de Columnis tanto pretio locatis hoc loco Cicero queritur, ſupra etiam de iiſdem Columnis tranſegiſſe cum Junii Tutoribus Verres dicendus eſt, qui non id exigebat , quantum in Ædem Caſtoris Junius inſumpsiſſet, ſed quantum ad eam abſolvendam deeſſet.

Definitos Cenſuræ terminos ſemel egreſſi , perſeveravimus aberrare, aliud quiddam ex eadem Verrina 3. proferentes, quod tamen rei explicandæ , quam præ manibus habemus , mirificè inſerviat : *Conſuetudo in bonis, prædibus, prædiiſque vendundis*. Hic enim Aſconii ſententiam probare non poſſum, quã nec probavit Manutius, ut, cum de *bonis vendundis* loquitur, de Operibus locandis accipiendus ſit Cicero; *nam*, ait ille ſæpe alibi reprehenſus , nunc demum laudatus Manutius, *bona pro Operibus , vendere pro locare, accipi non poſſunt; & quæ ſequuntur, ad eam ſignificationem non poſſunt detorqueri, nec illud, Cuja res ſit, ad Redemptorem pertinet* . Orator ſcilicet injuriam à Verre factã Pupillo Junio amplificat à Congruo, quòd in operibus locandis optima condicione is haberi

debet, cujus pecunia illa Opera reficienda ſunt; hoc autem confirmat à Pari: ſi in auctione bonorum eſt optima condicione dominus, & ſponſor; etiam in hoc genere locationis ille, cujus pecunia fieri opus debet. cujus Comparationis prima pars continetur hiſce verbis, de quibus eſt diſputatio; altera reticetur, ſed ex ſupra dictis colligitur. Singillatim omnia perpendantur: *Ubi illa conſuetudo in bonis, prędibus, prædiiſque vendundis?* ſi quis, quod publicè deberet, ſolvendo non eſſet, vendebantur bona omnia tùm illius, tùm eorum, qui ſpopondiſſent; neque ſolùm ea bona, quæ moveri loco poſſunt, & dicuntur Prędes, ut Philip. 2. timebat Antonius, *ne L. Plancus Prædes ſuos venderet*; ſed etiam Prædia ipſa, ut hac eadem Verrina de D. Bruto Sponſore Junii, *cujus prædia ſubierant periculum*. facta Auctione, pecunia omnis referebatur in Ærarium. Proſequitur Cicero: *omnium Conſulum, Cenſorum, Prætorum, Quæſtorum denique?* Cenſores quidem, cum & publica Vectigalia locarent, & Sacras Ædes, jure ſui Magiſtratus id præſtabant, ſi vel Societates Publicanorum debitam pro Vectigalibus pecuniam nō ſolverent, vel Redemptores publicorum Operum muneri ſuo defuiſſent. quòd ſi nulli eſſent Cenſores, idem Conſules, aut Prætores ex S. C. faciebant, ut ſupra obſervavi. Quæſtores autem damnatorum de Repetundis, & de Peculatu bona vendebant; quippe Cicero in Verrem occultántem res ſuas ob damnationis metum, ſic invehitur: *Quid tum hos de te judicaturos arbitratus es, cum viderent, te jam non contra Accuſatorem tuum, ſed contra Quæſtorem, Sectoremque pugnare?* contra Quæſtorem qui auctioni præeſſet, & eum, qui bona Verris emeret ab haſta. Præterea juſſu Conſulum quorum iuſſu publicorum

ope-

operum locationes fiebant per Quæſtores Urbanos ; Philip. 9. *utique C. Panſa A. Hirtius Coſſ. alter, ambo-ve, ſi eis videbitur, Quæſtoribus urbanis imperent, ut eam baſim, ſtatuamque faciendam, & in Roſtris ſtatuendam locent*. At videamus, quænam ſit hæc omnium conſuetudo: *ut optima condicione ſit is, cuia res ſit, cujum periculum*; ut nemo minoris emat, quàm dominus, cujus res eſt, vel Sponſor, cujus eſt periculum. Exemplo res fiet manifeſta: Junii pupilli prędia vendantur ita, ut, ſi illa non ſufficiant, Sponſoris etiam Bruti prædia periculum ſubeant ; emat quiſpiam ab haſta HS ducentis millibus, ſi tantumdem offerat Junius prædiorum Dominus, aut Sponſor Brutus, hi reliquis omnibus præferendi ſunt, eorumque dicitur optima eſſe condicio. Quid ad hęc Urſatus noſter ? omnia, inquiet, ferè extra Cauſam ; ita planè, quæ ipſa tamen Cauſa poſtularet. Vale. VII. Kal. Maii. A. S. 1696.

EPISTOLA NONA,

AD NOB. N. N. P. P.

De Prætoribus.

NOn ignorabam, fore, ut iis minimè contentus, quæ in explicando Pomponiii loco ſcripſiſſem, me rurſus in certamen vocares. quęris, an ea promiſcuè omnia probem, quæ ad vocem *Prętor* Theſaurus linguæ Latinæ habet, ex Commentariis, opinor, P. Manutii deprompta. Scilicet veterem, & nobilem agnoſco Adverſarium ; cujus auctoritas

me pugnę alioquin avidum, receptiq; officii memorem, quod tibi perſolvere neceſse eſset, in arenam pertrahit non invitum. Loco enim ſuprà citato, de Prætorum numero, officio, ac poteſtate multa traduntur ex P. Manutio, quibus facilè aſsentior, quęque ſuſcepta aliis de rebus diſputatione, attigi non una vice; fateor tamen eſse quædam ita vel obſcura, vel incerta, ut Commentatoris, & Emendatoris manum deſiderent. Notabo ſingula diligenter, & pro virili parte explicabo, non contrà dicendi ſtudio, ſed amore vèritatis.

De Capitalibus criminibus quærere ſolitos fuiſse Prætores docemur, præterquàm de Inceſtu, & Perduellione, quorum cognitio ad Populum ſpectabat. Quis autem de Inceſtu judicaſse Populum tutò aſſirmet? aut quibus id conjecturis confirmare commodè poſſit? In XII. Tabulis hęc habetur lex: *Inceſtum Pontifices ſupremo ſupplicio ſanciunto*; itaque ex univerſa Livii Hiſtoria colligimus, Virgines Veſtales, quoties de Inceſtu accuſarentur, cauſam dixiſse apud Pontificē Maximum, cui non dubito, reliquos etiam Pontifices fuiſse in conſilio. Quòd ſi malè judicaſse Pontifices exiſtimarentur, Populus aliquando Judicem queſtionis quempiam creabat, qui cum delectis Judicibus de eodem crimine quæreret; ſibi verò jus ferendæ ſententiæ nequaquàm arrogabat. Aſconius in Orationem pro Milone: *quo tempore Sex. Peducæus Tribunus pl. criminatus eſt, L. Metellum Pont. Max. totumque Collegium Pontificum male judicaſse de inceſtu Virginum Veſtalium, quod unam modò Æmiliam damnaverat, abſolverat autem duas, Marciam, & Liciniam. Populus Caſſium creavit, qui de iiſdem Virginibus quæreret.* Hinc patet, de Virginum Veſtalium inceſtu quæſivifse

viſse Pontificem Max. & quandoq; extra ordinem , Judicem quæſtionis Populi ſuffragiis creatum . De P. Clodii inceſtu , cum is Bonæ Deę ſacra violaſset, dubitari fortaſsè poteſt , nùm judicium illud ad Populum pertineret ; ſed rem totã ex Epiſtolis ad Atticum lib. 1. proferamus in lucem. Scribit Cicero Epiſt. 8. primùm in Senatu à Q. Cornificio mentionem factam de Sacris temeritate P. Clodii violatis , ſtatimque ſubiungit: *poſtea rem ex S. C. ad Virgines , & Pontifices relatam , idque ab iis nefas eſse decretum ; deinde ex S. C. Conſules rogationem promulgaſse .* De Capite Civis judicare Pontifices non poterant ; ideoque Senatus, ubi id nefas eſse intellexit , decrevit , ut rogatio ad Populum ferretur de novo Judicio conſtituendo in P. Clodium reum inceſtus . Epiſt. 9. de Q. Fuſio Tribuno pl. qui Pompejum produxerat in concionem: *quæſivit ex eo , placeretne ei , Judices à Prætore legi , quo conſilio idem Prętor uteretur ; id autem erat de Clodiana religione ab Senatu conſtitutum .* Sed cum Fuſius ipſe, qui Clodio favebat , impedimento eſset, ne rogatio illa ex. S. C. ad populum ferretur; tandem per compoſitionem ſublata eſt omnis diſsenſio , ſicut habetur Epiſt. 11. *Hortenſius excogitavit , ut legem de Religione Fuſius Tribunus pl. ferret . in qua nihil aliud à Conſulari rogatione differebat , niſi Judicum genus .* Neutra pars Judicium illud eſſe Populi contendebat ; tùm amici Clodii , tùm ejuſdem inimici cenſebant , rem ad Prætorem deferri oportere . erat autem poſita in eo tota controverſia , quòd Patres Conſcripti volebant ab ipſo Prætore , cui nimirùm Judicium illud delatum fuiſset , deligi Judices , ut corrumpendi judicii ſpes , & facultas Clodio nulla eſset ; Fuſius verò , & Clodiani non delectis , ſed ſorte

datis Judicibus Prætorem uti cupiebant; idque cum obtinuiſſent, judicium quoq; corrumpere potuerunt. Quæris, cur neceſſe foret, rogationem ad Populum ferri? quoniam nulla erat de Inceſtu hujuſmodi lata certa Lex, & nulla conſtituta Quæſtio; adeòq; & legem ferri, & nominatim Queſtionem conſtitui per Populum oportebat, quippe de novo, & ante illum diem inaudito crimine. Reſtat Inceſtus alterum genus, ſi quis cum Matre, Filia, & Sorore ſtuprum feciſſe argueretur; nùm de hoc ipſo Populus judicabat? In primis non videtur probabile, turpiſſimi, ac flagitioſiſſimi Inceſtus cognitionem ad Pontificem Maximum, vel ad Pretorem delatam fuiſſe; Populum de iis Inceſtus criminibus voluiſſe ſuffragium ferre, quæ minus haberent flagitii, ac turpitudinis. Deinde, me nullum hujuſmodi Judicii exemplum legiſſe memini, in univerſa Romanarum rerum Hiſtoria; cumq; Cicero perſæpe exprobret Clodio ſtuprum illatum Sororibus, ne verbum quidem uſquam facit, quo ſignificet, ſcelus illud ſingulare, & nefarium fore per Populum vindicandum. Poſtremò, etiamſi conſtaret, de alterutro Inceſtus genere habita fuiſſe Populi Comitia, antequam conſtituerentur publicæ Quæſtiones; tamen poſt eaſdem à Sylla Dictatore legibus conſtitutas, Judicia omnia, præterquàm de Perduellione, à Populo ad Prætores, & Judices quæſtionis translata ſunt; niſi forte quippiam extra ordinem fieri contingeret.

Etenim probare non poſſum, quod ſecundo loco affirmatur: *nonnunquàm diem dicente aliquo Tribuno pl. qui cogendi ad judicium Populi jus haberet, non Pratores, ſed Populum ipſum de Majeſtate quæſtionem exercuiſſe*. Lex eſt in XII. Tabulis, quæ jubet omnia rerum Capitalium Judicia Comitiis tantùm Centuria-

riatis haberi: *De capite Civis, niſi per maximum Comitium, ne ferunto.* de multa igitur pecuniaria Tribus, de Capite Centuriæ ſuffragium ferebant; idq; duobus confirmatur Exemplis apud Livium lib. 25. & 26. nam Tribuni pl. qui diem dixerant M. Poſtumio, ac deinde Cn. Fulvio, donec pecunia anquiſitum eſt, apud Tribus accuſationem peregerunt; ubi ſe rei Capitalis judicare dixere, à Conſulibus, iiſque abſentibus, à Prætore Urbano diem Comitiis Centuriatis petierunt. Florus Epit. Liv. lib. 67. *Secundùm populi R. juſſionem, Cæpionis, cujus temeritate clades accepta erat, damnati bona publicata ſunt, primoque poſt Regem Tarquinium imperium ei abrogatum.* Ipſe tamen Q. Servilius Cæpio, qui Conſul victus fuerat à Gallis, anno V. C. 644. eoque nomine damnatus à Populo Tributis comitiis, pecunia multatus eſt, non capite, & poſt damnationem in Urbe manſit, & Senatorium Ordinem tenuit. quod colligitur ex Aſconio in Orationem pro C. Cornelio: *L. Caſſius L. F. Longinus Tribunus pl. C. Mario, C. Flacco* (corrige, C. Flavio) *Coſſ. plures leges ad minuendam nobilitatis potentiam tulit, in quibus hanc etiam, ut, quem populus damnaſſet, cuive imperium abrogaſſet, in Senatu non eſſet. tulerat autem eam maximè propter ſimultates cum Q. Cæcilio* (hìc etiam legendum eſt, cum Q. Cæpione) *qui ante biennium Conſul fuerat, & cui Populus, quia malè adversùs Cimbros rem geſſerat, imperium abrogavit.* An, ſi capitis damnari quiſpiam poterat Tributis comitiis, Cæpioni Populus pepercisset? capitis porrò damnato Cæpioni non licuiſset venire in Senatum. Neque obeſt Cicero, & alii quidam in exilium pulſi ab inimicis Tribunis pl. ſuffragium ferentibus Tribubus; ut enim alibi dictum eſt, ii omnes

damnati fuerunt abſentes, cum jure Tribus exilio mulctare poſſent Reos, qui citati non adeſſent; pecunia tantùm eos, qui ſe præſentes defenderent. At, inquies, cur non omnes in judicium vocati aderant, multo graviori pœna in abſentes conſtituta? quia nimirum carcer erat propoſitus iis, qui ſolvendo non eſſent, ut de Scipione Aſiatico legimus apud Livium. Quæ cum ita ſint, Majeſtatis crimen capitale fuiſse, nemo negaverit, de quo proinde Populus Tributis comitiis cognoſcere nullo modo potuerit ex legibus. Cicero in Cluentiana tradit, Judices, poſtquàm damnaverant aliquem Repetundarum, in æſtimanda lite negligentiores fuiſſe: *ſi qua lis capitis*, inquit, *illata eſt, non admittunt*; paulo infra etiam apertiùs: *itaque & majeſtatis abſoluti ſunt permulti, quibus damnatis de pecuniis repetundis lites eſſent æſtimatæ*. En crimen Capitale Majeſtas, cum damnati Repetundarum, abſolverentur Majeſtatis; hoc eſt, lis capitis in eos illata non admitteretur. Obiter hoc inſupèr obſervandum videtur, primis Reip. temporibus, eadem ferè extitiſſe Perduellionis, & Majeſtatis crimina; poſt conſtitutas publicas Quæſtiones, omninò diverſa. Livius loco laudato lib. 26. de Cn. Fulvio: *cum jurati permulti dicerent, fugæ, pavoriſque initium à Prætore ortum, ab eo deſertos milites* (quibuſdam omiſſis) *tùm Sempronius perduellionis ſe judicare Cn. Fulvio dixit, diemque Comitiis ab C. Calpurnio Prætore Urbano petiit*. Accuſaturus erat Sempronius Fulvium Perduellionis, Centuriatis comitiis, quòd ab illo deſertos milites diceret. illam ipſam deinde deſerti exercitus culpam pertinuiſse ad Majeſtatem, manifeſtum eſt; nam C. Cato, quòd malè cum Scordiſcis pugnaverat, teſte Floro lib. 3. & Eutropio lib. 4. & C. Antonius, quòd copias truciidan-

cidandas hoſtibus temerè obiecerat, ipſe fugerat cum Equitatu, referente Dione lib. 38. damnati ſunt à Iudicibus, iiſque ſeu Majeſtatis, ſeu capitis lis illata. Verùm, poſtquàm certo Queſitori, & conſilio Iudicum huiuſmodi Quæſtio delata eſt, & Rei Perduellionis ij tantùm eſſe cœperunt, qui Ciues Romanos interfeciſſent, ſemper apud Queſitores dicta eſt cauſa de Majeſtate, nunquàm apud populum. Egregiè Cicero Verrinâ 3. ſi C. Verres Repetundarum, & Peculatus abſolvatur, ſe poſtulaturum eum de Majeſtate minitatur apud aliud Conſilium; deinde ſubiicit: *ex hoc quoque evaſerit; proficiſcar eò, quo me jam pridem vocat Populus R. de jure enim libertatis, & Civitatis ſuum eſſe putat judicium, & rectè putat.* Cur de Perduellione ob necatos in Sicilia Cives R. ſe velle apud Populum accuſare C. Verrem profitetur, quippe, cum eſſet Ædilis Curulis, habendę concionis, dicendiq; diē jus habebat ęquè, ac Tribuni pl. non etiā de Majeſtate? nonne palàm atteſtatur, ac pręſefert, multo ſeveriorem Populum futurum in Verris ſceleribus vindicandis, quàm Judices? cur iterū, ac tertiò ad Queſitores Peculatus, & Majeſtatis ſe conferat, ultimū demū crimen Populo reſervet? Nimirū optimè noverat, de ſola Perduellione Populū judicare, Cēturiatis comitiis; de cęteris criminibus apud Judices neceſſariò accuſationē eſſe peragendam. Sed tamen Cn. Domitius Tribunus pl. is, qui cum C. Caſſio Conſul fuit, accuſavit M. Silanum, quòd injuſſu Populi bellum cum Cimbris Conſul geſſiſſet; qua de re ſuffragium Tribus tulerunt. audio; nam & alia fortaſsè proferri poſſent ejuſdē generis exēpla. Quis autem de Capite, non de multa pecuniaria certatū fuiſſe, pro certo affirmet? Equidē ſic expono, cum

alla-

allata pro contraria parte argumenta plurimum a-
pud me ponderis, ac momenti habeant. In Divi-
natione ita res eadem commemoratur: *nuper Cn.
Domitium ſcimus M. Silano diem dixiſse propter unius ho-
minis Egritomari, paterni amici, atque hoſpitis iniurias.*
non itaque, ut ſumitur ab Adverſario, quòd injuſ-
ſu populi bellum cum Cimbris geſſiſſet; & veriſimi-
le eſt, Silano ob illatas privato homini iniurias,
pecuniariam multam irrogatam fuiſſe, non pœnam
Capitis, ſicut etiam factum oſtendi in judicio Q. Cę-
pionis, qui non unum, aut alterum hominem, ſed
univerſam Remp. lęſerat bello Gallico.

*Quod autem dixi, Prætores de criminibus quæſiſſe; u-
num excipio Prætorem Urbanum, qui nullo de publico cri-
mine quærebat.* Hoc eſt, quod tertio loco refellam;
imo verò Cicero ipſe refellit Verrina 3. ubi hæc ha-
bet de C. Verre Prætore Urbano: *Atque etiam iu-
dicium in Pratura publicum exercuit.* quid igitur non
quæreret de crimine publico Prætor Urbanus, qui
judicium publicum exercuerit? Præterea non video,
quare Commentator noſter, qui paulo poſt quæſtio-
nem Iniuriarum unam ex publicis eſſe contendit,
& ex conſtitutis à L. Sylla, jus omne quærendi de
publicis criminibus, Urbanis Prætoribus ademerit,
ad quos procul dubio ſpectabat quęſtioni Iniuriarũ
præeſse, ut habet Gruchius lib. 1. de Comitiis.
Quamobrem non inficior, quod omnibus in promp-
tu eſt, reliquos Prætores de criminibus, quæ plerũ-
que capitalia erant, quæſiviſſe, non autem Urba-
num; ac ſi quando, facta ſortitione publicarum
Quæſtionum, una, vel altera reſtaret ſine certo
Quæſitore, tùm ipſum ita fuiſſe ſolitũ ſortiri Conſi-
liũ, ut jus quærendi Judex quæſtionis teneret, quod
alibi diſputabam. nihilominùs, cum multæ aliæ le-
ges

ges eſſent, quæ capitis pœnam non infligerent, neque certam conſtituerent Quæſtionem; ubi quis contra earum quampiam feciſſe arguebatur, apud Prætorem Urbanum cauſam dicebat, ac de irrogata multa pecuniaria certabat. Q. Opimius Tribunus pl. interceſſerat contra, ac Sylla ſua lege præſcripſerat, qua interceſſionem Tribunitiam ſuſtulerat. anno ſequenti, multa eidem irrogata eſt eo nomine apud Urbanum Prætorem Verrem: *Petita multa eſt apud iſtum Prætorem à Q. Opimio; qui adductus eſt in judicium, verbo, quòd, cum eſſet Tribunus pl. interceſſiſſet contra legem Corneliam*; fuiſſe porrò nō pauca hujuſmodi judicia, oſtendit infra: *Cujus propter indignitatem Judicii, ſæpiſſime eſt actum in Senatu, ut genus hoc totum multarum, & judiciorum ejuſmodi tolleretur*. hæc autem Judicia publica quidem, at nō Capitalia, nō cōſtituta legibus, exercebantur à Prætore Urbano. At enim Prætor non judicat, ſed Judicem dat. eſto, in Civilibus Cauſis, & privatis; imò neque in illis publicis judicabat, ac tantummodo quærebat. nam cæteri etiam Prætores ſuis præerant Quæſtionibus, cum tamen neque in leges jurarent, neque ſententiam ferrent.

Unus de toto Prætorum Collegio & juris dicendi, & quærendi poteſtatem habebat is, qui Prætor inter Peregrinos vocabatur; nam & jus inter Peregrinos ab eo dictū, ſatis conſtat, & quæſitum Sociorum, hoc eſt Peregrinorum cauſa de Repetundis, Pedianus demonſtrat ad Orationem adverſus Competitores. Verùm neque Pedianus hoc uſquàm dicit, neque Prætor Peregrinus judicium Repetundarum unquàm exercuit. Quod attinet ad primum, hæc ſunt Aſconii verba de C. Antonio, qui Conſul deinde fuit cum Cicerone: *Græci, quos ſpoliaverat, eduxerunt Antonium in jus ad M. Lucullum*

cullum Prætorem, qui jus inter Peregrinos dicebat; & cum Lucullus id, quod Græci poſtulabant, decreviſſet; appellavit Tribunos Antonius, juravitque ſe ideò appellare, quòd æquo jure uti non poſſet. hunc Antonium Gellius, & Lentulus Cenſores ſexennio, quo hæc dicerentur, Senatu moverunt, cauſaſque ſubſcripſerunt, quòd Socios diripuerit, quòd judicium recuſarit, & cæt.

An qui accuſatur Repetundarum dici ſolet in Jus educi? an in Reum tali crimine damnatum Prætor dicitur decreviſſe? an damnati publico Judicio appellare Tribunos poterant? an recuſare Judicium, adeòque illatam pœnam ſubterfugere? ſunt illæ privatarũ Cauſarũ formulę; illum in jus ad Prætorem duco, qui mihi pecuniã debeat, aut per vim eripuerit, quod meum erat; & Prætor tùm decernit, quod ego poſtulo, cum de pecunię debitione, ejuſdẽve reſtitutione ſuum interponit decretum. Reus, cũ putabat, ſe non poſſe uti ęquo jure, hoc eſt iniquũ eſſe Prętoris decretum, appellabat Tribunos pl. & recuſabat judicium, ne cogeretur pecuniã ſolvere, quam ipſe debere falſò dicebatur. Sic in Quinctiana, cum iniquum ſibi eſſe Prętorem Burrienũ videret P. Quinctius, appellavit Tribunos; qua de re Cicero: *videturne interceſſiſſe appellatio Tribunorum non more, ſed auxilii cauſa?* appellavit nimirùm Tribunos Quinctius, ſed more, ac legitimè, qui ęquo jure uti non poterat; non autẽ auxilii cauſa, ut hac ratione Judicium recuſaret, quod turpe erat. At Rei Capitalium criminum, ad diſturbandũ Judiciũ, ne cauſam ipſi dicerent, neve Judices ſententias ferrent, appellabant aliquandò Tribunos, & ut homines ſedicioſi, ac perditi reprehendebantur, qui appellaſſent; poſt latas certè ſẽtentias, talis appellatio nõ dabatur, quoniã res judicatę nõ poterant reſcindi. Ex

his

his omnibus facilè quivis intelligere poſſit, C. Antonium non fuiſſe accuſatum à Græcis lege Repetundarum, ſed in jus ductum ad Prætorem Peregrinum (quippe erant Peregrini actores Greci) ut privato judicio repeterent, quæ Antonius per vim ab iis abſtulerat privato conſilio. Quod attinet ad alteram partem, Pretorem Peregrinum de Repetundis quæſiviſse, commentum eſt, & meræ nugæ; nullo enim vel argumento, vel teſtimonio Veterum nititur. M. Tullius Repetundarum quæſtionē exercuit, ſicut ipſe teſtatur in Cluentianâ; ideòque à ſe damnatum Licinium Macrum jure gloriatur, cum ad Atticum ſcribit. cur, ſi jus etiam dixit inter Peregrinos, nuſquàm id meminit, quod eidem profectò maximæ laudi, & gloriæ fuiſſet? nam poſt Urbanam maximè illuſtris, & gratioſa fuit Prætoris Peregrini provincia. Notetur ſingularis locus Verrinæ 3. *Itaque L. Piſo multos Codices implevit earum rerū, in quibus ita interceſſit, quòd iſte aliter, atque ut edixerat, decreviſſet. quod vos oblitos eſſe non arbitror, quæ multitudo, qui ordo ad Piſonis ſellam iſta Prætore ſolitus ſit convenire. quem iſte Collegam ſi non habuiſſet, lapidibus coopertus eſſet in foro; ſed eo leviores iſtius iniuriæ videbantur, quòd erat in equitate, prudentiaque Piſonis paratiſſimum perfugium.* L. Piſo Pretor erat Peregrinus, C. Verres Urbanus; ſicq; appellantur Collegæ, cū alter inter Cives, alter inter Cives, & Peregrinos jus diceret. In multis decretis C. Verris interceſſit Piſo; hoc eſt, multa illius decreta, aliter ipſe decernēdo, abolevit, & irrita eſſe juſſit; plurimiq; ad ejus Sellā conveniebant, auxiliū petituri adverſus Verrē, apud quem equo jure uti nō licebat. dabatur igitur ab Urbano Pretore ad Peregrinū, & vice verſa à Peregrino ad Urbanū, quedā veluti appellatio,
cer-

certum perfugium, ſi decernerent contra, ac habebant in ſuis Edictis. Multiplex proinde, & graviſſimum onus; ut non modò Controverſias omnes dirimeret, quæ Cives inter, & Peregrinos ortæ eſſent, ſed iis etiam præſto foret, qui non æqua decreviſſe Prætorem Urbanum contenderet. Quis ſibi perſuadeat, homini occupatiſſimo, tot, tantiſque negotiis diſtento illud præterea iniunctum fuiſſe munus, ut de Repetundis quæreret, quo nullum erat judicium publicum laboris magis, ac moleſtiæ plenum? Fruſtra tamen pluribus urgeo; explicata enim, declaratáque Aſconij ſententia, quē ſibi Auctorem arrogaverant Aduerſarij, ipſa per ſe Veritas patet.

Locum illum Pomponii de Origine Juris, quo dicitur L. Sylla Quæſtiones publicas conſtituiſſe, veluti de Falſo, de Parricidio, inter Sicarios, & de iniuriis, & quatuor Prætores adieciſſe, ſic explanat: *non quaſi adiecerit quatuor Prætores, ad numerum veterum Prætorum, ſed adjecerit quatuor de iis, qui Prætores erant, ad Queſtiones publicas, ut quatuor ab ipſo Queſtionibus conſtitutis, quatuor item Prætores præeſſent*. At ex laudato Pomponii teſtimonio, ſi ea ratione exponatur, multa ſimul abſurda conſequantur, neceſſe eſt. Primò, cum ex Vellejo lib. 2. conſtet, ſex tantùm Prætores creari ſolitos fuiſſe tempore belli Socialis, demonſtrare oportet, qua de cauſa, quo anno, & à quo auctus illorum numerus fuerit, ut eſſent octo ſub Sylla Dictatore. Secundò, ſi omnibus à ſe conſtitutis publicis Quæſtionibus certos aſſignavit Prætores, qui præeſſent iiſdem; cur deinde, ubi tulit legem de Falſo, ſeu de Veneficio, facta mentione illius, qui quæſiturus eſſet, appellat Judicem quæſtionis, non Prætorem,

qua-

quaſi dubitaret, num ſemper à Prætoribus exercēda eſſet illa Quæſtio, an ſæpiùs à Judicibus quæſtionis? nàm certè Oratione pro Cluentio lēgis verba referuntur ad hunc modum: *Iubet lex ea, quæ lege hæc Quæſtio conſtituta eſt, Iudicem queſtionis*, & cęt. quanto Sylla meliùs Prętorem nominaſſet, non Iudicem quæſtionis, ſi certum illi Quæſtioni Prætorem dabat? Tertiò, ſi lege lata L. Sylla conſtituit, ut Quæſtionibus quatuor à ſe inſtitutis, Prętores quatuor pręeſſent, quomodo contra factum eſt, ut ſępe à Iudicibus quæſtionis cędem exercerentur? Iunius enim, ut Iudex, non ut Prętor, quęſiuit in Oppianicum de Veneno; ne ſingula perſequar; neque enim vel abrogatam dicemus legem illam Corneliam, vel temerè non ſeruatam Rep. incolumi. Quartò, duabus illis Quęſtionibus, inter ſicarios, & de Parricidio, duos aſſignauit Prętores; at una, eademque lege utramque Quæſtionem conſtituit; unus, idemque Prætor utrique pręfuit, quemadmodum alibi dictum eſt. hæc tam diuerſa quo modo conciliari poſſint, non video. Quintò, ſi Quæſtionem Iniuriarum publicam facimus, quid reſpondebimus Paulo Juriſc. qui vult eam eſſe privatam? quid Ciceroni, qui 2. de Inuent. Recuperatorium illud Judicium, privatum ſcilicet dicit? ſi certo Prętori ſorte demandatam aſſirmemus; illam igitur Prętori Urbano, ad quem per ſe ſpectabat, eripiemus. Demum, cum Adverſarii, ut infra habetur, aſſignent duos Prętores Quæſtioni inter Sicarios, neceſſe eſt, adiecerit Sylla quinque, non quatuor Prętores ad Quæſtiones publicas à ſe conſtitutas.

Ultimò, recenſentur Quæſtiones publicę; ſunt autem: *Queſtio de Falſo, de Parricidio, inter Sicarios,*

cui

cui duo Prætores præerant, ex Cluentiana, de Iniuriis, de Veneficio, de Vi, de Ambitu, de Maieſtate, de Repetundis, de Peculatu, de Inceſtu, & aliæ. Nonnulla ſunt, quæ reprehendam. 1. Quæſtio de Falſo eadem eſt, ac de Veneficio. 2. de Parricidio, & inter Sicarios, ne illæ quidem erant diverſæ. 3. Queſtionem de Iniuriis publicam eſſe, probari non poteſt. 4. In Oratione pro Cluentio, nomine *Quæſtionis inter Sicarios* ſignificatur etiam altera de Vi publica. 5. De Inceſtu nulla erat conſtituta certa *Quæſtio*, adeòque nominatim de Clodiano Inceſtu latum eſt ad Populum. de quibus omnibus fusè alibi, & ſingillatim pertractavi; cum Judiciorum formam, leges, perſonas, & publicas *Quæſtiones* perſcriberem, Vale. vi. Kal. Jan. A. S. 1696.

EPISTOLA DECIMA.

AD AMICUM N. N.

De Tribunis pl.

QUanam ratione factum eſt, ut ex multis Fratribus ſolus omninò ſis, quem diligant Deę? Filios natu minores effuſiùs à Parentibus amari, ridens fortaſſe quiſpiam dixerit; ego verò tuę hoc totum induſtrię, atque humaniſſimo ingenio libens aſcribo. nam ſolidę, veręque glorię cupidus, neque illius falſa quadam ſpecie deceptus, eam bonis Artibus operam dediſti, quam cęteri leviſſimis, & vix ullius momenti diſputationibus mirum in modum diſtenti, ſtultiſſimè perderent. Hinc, ſi benè memini, mihi tecum primum conuenit; mutua

deinde

deinde benevolentia conſecuta eſt, ex qua demum earum Epiſtolarum extitit conſuetudo, quâ tantoperè delector. Eodẽ ſtudio tu quoque tenearis, an ſecùs, non quæro; mihi ipſi morẽ gerere certũ eſt.

Quæſtionem de Tribunis pl. cum mihi pertractãdã ſumã, quid primo, quid poſtremo loco dicã, nõ habeo; res adeò per ſe varia eſt, quæq; multa, ac diverſa complectitur. Quoniã verò ex veteribus Hiſtoricis, & eorundẽ Cõmentatoribus plurima nullo negotio percipi poſſunt, atq; ego idẽ non pauca aliis in locis attigi; ſatis me officio, quòd recepi, factũrũ confido, ſi contentus iis, quæ ſcripta ſunt hactenùs, unũ inſuper, atq; alterũ addã pro Corollario. Et primò quidẽ ex Planciana videamus, quales oporteret eſſe Tribunos pl. ex quibus Reſp. adiumẽti aliquid, & ſalutis ſperare poſſet; ubi Cicero Adverſariorũ obiectũ confutaturus: Non fuit, inquit, Cn. Plãcius Tribunus pl. tã vehemens, quàm Racilius illius Collega, aliiq; qui proinde jure laudantur; *Sed certè talis, quales ſi omnes ſemper fuiſſent, nũquã deſideratus vehemens eſſet Tribunus.* Laudabatur M. Cato, qui Tribunus pl. effecerat, ne à Metello Nepote Collega læderetur Reſp. L. Ninnius, qui Clodii conatibus pro virili reſtiterat; Milo, & Sextius, qui perturbãtes omnia Clodianos Tribunos in officio cõtinuerãt. ſi Nepos, Clodius, aliiq; Tribuni moderatè ſe geſſiſſent in adminiſtrãda Rep. ut ſe geſſerat Plãcius; nunquã Collega aliquis deſideratus fuiſſet, qui ſe illorũ furori, atq; amentiæ vehemẽter obiiceret. Quid opus eſt vehementi Tribuno, ſi nemo res novas ſediciosè moliatur? Plãcii laus inde naſcitur, quòd nihil in Tribunatu conatus eſt cõtra Optimates, nullã legẽ tulit vel inutilẽ, vel perincioſã. Plutarchus in Catone Uticenſi, hoc ipſum interpretari videtur;

tur; cum enim Cato junior intellexiſſet, Metellum Nepotem petere Tribunatum, properè in Urbem rediit, & poſtridie ſummo mane cœpit & ipſe eũdem Magiſtratum petere, ut Metelli conatus frangeret. Deſiderata eſt vehementia Catonis, quia Metellus non erat Plancio ſimilis, ac ſubiicit rationẽ Hiſtoricus: *jus enim Tribunitiæ poteſtatis magis ad impediendum eſt, quàm ad agendum, quippe cæteris omnibus Collegis volentibus, unus, qui nolit, & ſe opponat, plùs poteſt.* Optandum erat, ut qualis Plancius fuerat, tales eſſent quotannis omnes Tribuni pl. ſi quis eorum arroganter ſe efferret, ut Collegã tùm demum haberet Catonem.

Cum autem improbi Cives eadem Poteſtate abuti ſolerent ad perturbandam Remp. Tribunis pl. intercedendi, vetandi, cogendiq; populi omne jus ademit L. Sylla Dictator; memor Sulpitiæ rogationis, qua ſibi homo inimicus auferre provinciam, bellumque Mitridaticum conatus fuerat in gratiam C. Marii. Ut eos deinde in priſtinum reſtituerint Cotta, & Pompejus, & quo id conſilio factum ſit, ex Verrinis colligitur. Nam in Divinatione: *Judiciorum deſiderio Tribunitia poteſtas efflagitata eſt*, Coſſ. Pompejo, & Craſſo; idemque habetur Oratione ſequenti, cũ Cicero inducat Q. Catulum hæc in Senatu dicentẽ: *Patres Conſcriptos judicia male, & flagitiosè tueri; quòd ſi in rebus judicandis Populi R. exiſtimationi ſatisfacere voluiſſent, non tantopere homines fuiſſe Tribuniciam poteſtatem deſideraturos.* Efflagitata eſt à Populo, ut Tribuni pl. Senatoribus male judicantibus diem dicerent; idque conſtat ex Verrina 7. cum enim ſermo eſſet de Regia dominatione Hortenſii, aliorumque Nobilium in judiciis, adiecit: *Sed, quo die populo R. Tribuni pl. reſtituti ſunt, omnia iſta vobis, ſi for-*

ſi forte nondum intelligitis, adempta, atque erepta ſunt. ſponte nimirum ceſſabitis judicia corrumpere, metu, ne Tribuni pl. vos apud Populũ accuſent. Ad hanc intepretationem confirmandam, quam procul dubio repudiare nemo ſanæ mentis poteſt, Manutius, & Frigius perperàm utuntur exemplo deſũpto ex Cluẽtiana, L. Quinctii, qui C. Juniũ, quòd minus honeſtè judicaſſet, in concionẽ arreptũ condemnavit. Sylla enim Dictator Tribuniciã ſuſtulit poteſtatẽ, reſtituit Põpejus Conſul eam ob cauſã, ne malè judicãtibus deeſſet Accuſator; hoc eſt, accuſandi apud Populum facultatem ademptã Tribunis pl. per Syllam, rurſus lege ſua Pompejus indulſerat. Quid igitur magis abſurdum, quàm dicere quadriennio ante Conſulatum Pompeii, Lucullo, & Cotta Coſſ. L. Quinctiũ Tribunũ pl. diẽ dixiſſe C. Junio? alterutrũ procul dubio falſũ eſt; aut id, quod de Quinctio ſomniant Interpretes; aut illud, quod de reſtituta per Pompejũ Tribunitia poteſtate omnes affirmant. C. Junium dicunt Judicem quæſtionis (non Prętorem, ſicut Frigius dormitans ſcribit) condemnatũ fuiſſe, quòd minus honeſtè judicaſset, accepta pecunia in judicio Oppianici; & in hoc jam ſecundò allucinantur. Conſulatur Cicero Oratione pro Cluentio, qui de Quinctio accuſatore Junii ſic loquitur: *Multam petivit; qua lege? quòd in legem non juraſſet, quæ res nemini unquam fraudi fuit*, ſignificat condemnatũ fuiſse Juniũ, non ob acceptã in judicio Oppianici pecuniam, ſed quòd ex lege ſubſortitus non erat, & in legẽ non juraverat. Sed ex eadem Oratione, quale illud Judiciũ fuerit, patet manifeſtè; quædam inde decerpam: *Dicat, qui vult, hodie de illo populo concitato, cui tùm mos geſtus eſt, qua de re Junius cauſam dixerit.* adeoq; non Populus ſuffragium tulit de Junio, ſed Judices,

O 2 à qui-

à quibus, ut Reum in gratiam Populi damnarent, mos Populo tũ geſtus eſt. Infra : *accuſabat Tribunus pl. idem in concionibus, idẽ ad ſubſellia; ad judicium non modò de concione, ſed etiam cum ipſa concione veniebat*, in concionibus populariter concitatum Populũ, ſecũ ad Judicum ſubſellia ducebat; neq; verò ſubſellia locum habent in Populi Judiciis. Hinc pergit arguere à Comparatione Similiũ : Nuper, inquit, judices noluerunt recipere Fauſti Syllæ nomen de Peculatu, quòd accuſaret Tribunus pl. rati non poſſe diſceptari ęqua condicione; non ergò mirum eſt, à Judicibus damnatum fuiſſe Junium, accuſante Quinctio Tribuno. Ipſa quoque ratio evincit, hoc non fuiſſe Populi judicium. quid enim lege ſua caverat Sylla? ne Tribuni pl. jus haberent agendi cum Populo; agere autem cum Populo eſt legem ferre, aut aliquid Populum rogare, Gellio teſte. quænam autem in Populi judiciis ferendæ ſententiæ ratio ſervabatur? Eadem omnino, quæ in legibus ferendis, ut duæ tantùm darentur tabellę, & multam à Reo petitam quælibet Tribus aut juberet, uti Magiſtratus rogaſſet, aut antiquaret. Quamobrem, ſi Tribuni pl. non poterant ante Conſulatum Pompeii agere cum populo, neque de multa cujuſpiam ferre ad Populum eis licebat, proindeque dicendus eſt C. Junius damnatus non à Populo, ſed à Judicibus, accuſante Quinctio Tribuno. Quod initio propoſueram, ex hac brevi diſſertatione intelligi poteſt; ex ea, quæ ſequitur, multo magis.

Verrina 3. accuſatus fuiſſe dicitur apud Prætorem Urbanum Opimius quidam, *Quòd, cum eſſet Tribunus pl. interceſſiſſet contra legem Corneliam*; neque declaratur apertè quęnam lex Cornelia, cum plurimę fuerint, ſignificetur. Commentatores omnes hic mihi

mihi non videntur Ciceronis mentem aſſecuti; ſi enim Aſconius, quem temere cæteri etiam ſequuntur: *Ut Tribuni pl. aliorũ quoque Magiſtratuũ capeſſendorum poteſtatem haberent, & perſuaſiſſe dicitur hanc legem Opimius*; ratus eo nomine damnatũ fuiſſe Opimium, quòd ſuaſiſſet legem Cottę de Tribunicia poteſtate reſtituenda, contra legem Corneliam. quaſi Intercedere, & Perſuadere eãdem omninò ſententiam efficiant. Ut veritas meliùs pateat, pręmittere neceſſe eſt id, quod nemo eruditus ignorat; lege Cornelia Syllę Dictatoris ademptũ fuiſſe Tribunis pl. jus vetandi, intercedendi, agendi cum Populo, & reliquos Magiſtratus capeſſendi. Sexennio poſt C. Aurelius Cotta Conſul legẽ tulit, ut liceret iis, qui Tribuni pl. fuiſsent, alios etiã Magiſtratus capeſſere, & ad concionẽ populũ vocare. quorũ primum conſtat apud omnes; alterũ colligitur ex Oratione pro Cluentio, ubi Cicero de L. Quinctio, qui Tribunus fuit poſt Conſulatũ Cottæ, ita loquitur: *qui, quòd Roſtra iã diu vacua, locumq; illũ poſt adventũ L. Syllę à Tribunicia voce deſertũ oppreſſerat, multitudinemq; jã deſuefactam à concionibus ad veteris conſuetudinis ſimilitudinẽ revocaverat*. Similitudinem dicit veteris conſuetudinis; hoc eſt, ex aliqua parte Plebem revocaverat ad jus, quod antea obtinebat; nã reliqua omnia, quæ Sylla ademerat, quinquennio poſt Pompejus Conſul reddidit Tribunis, & maximè jus vetandi, intercedendi, legumque ferendarum. Anno poſt Cottam Conſulem, Opimius accuſatus eſt, illudq; Judicium publicum fuit: *Atque etiam Judicium in Pretura publicum exercuit*; duas illius damnationis cauſas affert Cicero, alteram, quam prætetulerant Accuſatores, ſed falſam; alteram, quã reticuerant, ſed verã, & iniquam: *adductus eſt in judiciũ, verbo, quòd,*

cum eſſet Tribunus pl. interceſſiſſet contra legem Corneliam; re, quòd in Tribunatu dixiſſet contra alicujus hominis nobilis voluntatem. Habemus igitur, eo prætextu, & accuſatum, & damnatum fuiſſe Opimium, quòd auſus eſſet intercedere contra, ac lex Cornelia Syllæ jubebat; jus enim habendæ Concionis, non intercedendi Cotta reſtituerat. At qua ratione Interpretes contendant damnatum Opimium, quia ſuaſerat legem Aureliam? an quippiam ſuadere contra leges erat? nam certè in judicium publicum adduci non poterat, niſi quid ab eo contra leges factum diceretur. an Judices damnarent ſuaſorem legis, quam populus juſſiſſet? quanto ęquius fuiſſet Cottam damnare, qui eam tulerat? an cauſam damnationis hujuſmodi Cicero probaret? quippe cum ait: *adductus eſt in judicium; verbo, quòd, cum eſſet Tribunus pl. interceſſiſſet contra legem Corneliã*, indicat legitimo nomine accuſatum fuiſſe Opimiũ, ſed falſo; potuiſſe ob illud crimen accuſari, condemnari nequaquàm debuiſse. Niſi forte dictum Aſconii referendum ſit ad alteram partem, ut Opimius aliquem Nobilem offenderit, cum ſuaſit legẽ Cottæ de Tribunicia poteſtate; quod ipſum tamen veriſimile non eſt.

Quid ergo, inquies, non ceſſabis homini amico, & hoc quidem tempore maximè occupato, moleſtiã afferre? quin imò prolixiores literas dabo, rerumque omnium plenas, ſi minùs hiſce breviſſimis acquieſcas. Vale. Prid. kal. Dec. A. S. 1696.

EPISTOLA UNDECIMA.

AD NOB. N. N.

De Purpura, & Prætexta.

POſt plurimas Togatas, quas tribus his annis proximè elapſis dedi, ſeu ſponte mea, ſeu te jubente; velim hanc ſpectes Prætextatam attentiùs. eamne ob cauſam, quòd cum Ferrario mihi res eſt, nuperrimo Antiquitatis Interprete, quem peroxantem ſæpe laudavimus, inter turbam latentes; an quòd ipſum Prætextæ, & Purpuræ nomen leporis aliquid habeat, ac venuſtatis, neutrum affirmo. ſcito, eam ſimiliter Auctori caram eſſe, ac ſuus erat Epidicus Plauto. Neque inde plauſum aut laudem eximiam ſpero; ſatis eſt non explodi ſibilis. tibi verò ſi placeam, tùm optimè locaſſe operam videar, &, ut vulgo dicitur, Cœlum digito.

Orator in Cluentiana, cum L. Quinctii Tribuni pl. arrogantiam inſectaretur: *atque illam*, inquit, *uſque ad talos demiſſam Purpuram recordemini*; ad quem locū Veteres, & Recentiores diviſi in partes pugnant, quorum alii Prætextam Tribunis pl. concedunt, alii adimunt. Quintilianus lib. 5. ſic ait: *ut adverſus Quinctium Cicero, non hæc ſolum, ſed ipſam etiā Prætextā demiſſam ad talos inſectatus eſt*; cui aſſentiuntur Manutius in Commentariis, & Oct. Ferrarius de Re Veſtiaria lib. 2. Plutarchus contra in Opuſculo de Romanis Quæſtionibus, vult eſſe intelligendā Tunicam Quinctii, cum Tribuni non uterentur Prætexta, quem ſequitur Abrahamus. Ego verò, cui Plutarchi opinio magis probatur, ut rectè, atq. ordin

perdifficilis Quæſtio agitetur, afferam primùm argumenta, quę Prætextam Tribunis pl. eripiunt; mox eorum, qui aliter ſentiunt, dicta ſigillatim refellam, & locum exponam.

Notanda eſt primò vetus illa Lex, quæ prohibebat, poſt unum geſtũ Magiſtratum, aliũ capere, niſi interiecto biennio; qua quidem ſolutũ fuiſſe neminem legi. cũ tamen Tribunus pl. Clodius, Piſone, & Gabinio Coſſ. anno ſequenti factus fuerit Ædilis; & Milo poſt Tribunatũ, elapſo anno, Pręturam petierit; idemq; alii fecerint non pauci. Quamobrẽ, ſi lex de Biẽnio complectebatur omnes Magiſtratus, non autem Tribunatũ, neceſſe eſt; Magiſtratum non fuiſſe Tribunatũ pl. neq; uſum Prętextę obtinuiſſe, quę ſolis Magiſtratibus, & Sacerdotiis permittebatur, teſte Livio lib. 34. *Purpura viri utemur, Prętextati in Magiſtratibus, in Sacerdotiis*; quod ipſum Plutarchi argumentũ eſt, & comprobatur teſtimonio deſumpto ex Agraria 2. *Majores de omnibus Magiſtratibus bis vos ſententiam ferre voluerunt*; hoc eſt Comitiis Centuriatis, vel Tributis, & præterea Curiatis; cũ tamen lex Curiata de Tribunis pl. nõ ferretur. Secundò enumerat Cicero Verrina 7. Ornamenta omnia, quæ per Ædilitatem conſequutus fuerat: *antiquiorem in Senatu ſententiæ dicendæ locum, togã Prætextam, Sellam curulem, jus imaginis ad memoriam, poſteritatemq; prodendam*. quòd ſi Ædilitas togam Prętextam dabat, non igitur vel Quæſtura, vel Tribunatus pl. Fallitur enim Manutius, qui putat commemorari inſignia ipſius Magiſtratus, non hominis, qui cùm Magiſtratũ geſſerit; tùm quia nullius momenti fuiſſent inſignia, elapſo anno, interitura; tũ quia etiam Quæſtores in Provinciis utebantur Prętexta, ut habetur ex Oratione pro Plancio, neque id-

idcircò Quæſtura jus habere Pretextæ dicebatur; tùm qùia, ſicut poſt annum ſui Magiſtratus, homo Ædilitius jus obtinebat Sellę curulis, & Imaginis, ita & poſt Pretorios dicere ſententiam in Senatu, & Prętextam ſumere ſolemnibus quibuſdam diebus ſolebat. Jam verò nemo non videt, ſi hęc quaſi propria dabat ornamenta Ædilitas, nihil horum datum Tribunis pl. Tertiò, Oratione poſt Reditum in Senatu, invehitur in Gabinium Cicero his verbis: *Cum vos veſtem mutandam cenſuiſſetis, cunctique mutaſſetis, atque idem omnes boni jam antea feciſſent; ille unguentis oblitus, cum toga Prætexta, quam omnes Prætores, Ædileſque tùm abjecerant, irriſit ſqualorem veſtrum, & luctum graviſſimæ Civitatis*. Argumentum eſt ab Adiunctis, nihilque omittitur, quod ad amplificandam rem valeat. mutant veſtem Senatus, & omnes Boni; in ſqualore Patres, in luctu Civitas eſt; abijciunt Prętextam Prętores, abjiciunt Ædiles; ſoli Conſules induti Prætextam in forum veniunt. At cur Tribunorum pl. nulla mentio? cum ex iis, octo pro Ciceronis ſalute referrent, & unum ipſe Cicero haberet L. Ninnium ſui amantiſſimum. cur non etiam Tribuni pl. dicuntur abjeciſſe Prætextam? cur in tam accurata amplificatione, qua duo Ædiles nominantur, reticentur octo Tribuni? ſcilicet, ne ſummum Oratorem peccaſse dicamus, quod eſt incredibile, abiicere Tribuni pl. Prętextam non poterant, quam non habebant; veſtem cum reliquo Senatu mutaverant. Quartò, Epiſt. 9. lib. 2. ad Atticum, quam ſcripſit Cæſare, & Bibulo Coſſ. cum eo anno Tribunus pl. eſſet Vatinius, imodicam quorumdam potentiam ita Cicero deteſtatur: *proinde iſti licet faciant, quos volent, Conſules, Tribunos plebis &*

de-

denique etiam Vatinii ſtrumam Sacerdotii dibapho veſtiant; nam petebat Vatinius Auguratum in locum Q. Metelli Celeris. Cur indignam rem putaret, Vatinium veſtiri Augurali Prætexta, quem Tribunicia Prętexta jam videbat ornatum? Hæc, & alia hujus generis multa me in eam ſententiam pertraxere, ut denegarem cum Plutarcho Tribunis pl. togam Prętextam; nunc demùm quid alii ſenſerint, videndum eſt, & ab iis dicta diligentèr examinanda.

Quintilianus, cujus cæteri auctoritate moventur, vixit centum, & quinquaginta poſt amiſſam libertatem annos, cum jam ferè nulli Tribuni pl. crearentur, & una Cæſarum domus reipſa Tribuniciam poteſtatem compleċteretur; cumque Oratoriam artem profeſſus, iis ſtudiis incumberet, quæ hominibus, qui tùm eſſent, probarentur, facilè hac in re decipi potuit, ut inſignia libertatis, & Reip. inſtituta aliquà ex parte ignoraverit, cujus vix nomen ipſum homines jam per tot annos aſſueti ſervitio tenebant. Plutarchus autem, Græcus ille quidem, at Romanarum rerum ſtudioſiſſimus, quod ex illius Scriptis omnibus colligi poteſt, hoc idem ignorare non potuit, cum alia propè innumera rectè perſcripſerit, ex antiquiſſimis eruta monumentis. adeoque auctoritatis multo plus habere debet Vir exquiſitiſſimæ eruditionis, quàm Rhetor Quintilianus, & in hoc literaturę genere non ęquè verſatus; quem ſequar libentiùs de Arte dicendi pręcepta tradentem, & ingenioſè declamantem laudabo. Præterea, hic aliud agens, & obiter, inſtituto de Eloquentia ſermone, Tribunis Purpuram dedit; ille, ſuſcepta de hac eadem re per-

pertractanda Quæſtione, non temerè, nec ſine certa ratione dicendus eſt ademiſse.

Manutius ſic interpretatur illud Cluentianæ: *Refellitur, inquit, Plutarchus, qui Tribunis pl. purpuram adimit, & hoc utitur argumento, ut Magiſtratum non fuiſſe Tribunatum pl. oſtendat; aut hoc novum fuiſſe in Quinctio propter arrogantiam putemus.* Vult ſignificari Prætextam Quinctii, proindeque refelli Plutarchum Tribunis pl. uſum Prætextæ denegantem, atque ita arguentem: Magiſtratus Prætextati ſunt; non igitur Tribunatus inter Magiſtratus enumerandus eſt, cum jus Prætextæ non habeat. Vel ſi Plutarchi valere teſtimonium debet, ait idem Manutius; dicendum eſt, Quinctium contra veterem conſuetudinem, per ſummam arrogantiam, induiſſe Prætextam in Tribunatu. Quæ quidem ſententia duas partes habet, earumque prima, quæ conjectura eſt, non videtur eſſe neceſſaria, cum locus Cluentianæ multo meliùs intelligi poſſit de Tunica, quàm de Prætexta, ut infra oſtendam; altera etiam incredibilis, contra inſtituta Majorum, ſumptam à Quinctio fuiſse Prætextam in Tribunatu, idque non prohibuiſse cæteros Magiſtratus. Neque tamen turpiſſimam Viro de Literis optimè merito inuſtam notam ab Oct. Ferrario pati poſſum. ſcribit enim in Analectis cap. 12. *Manutium purpuram Quinctii in Cluentiana interpretari Tunicam purpuream, quòd ex Plutarcho non uterentur Tribuni Prætexta.* Itane Manutius purpureas fuiſſe Tunicas dixerit, qui toties albas agnovit? Plutarchi teſtimonium probet, cujus refellendi inde arripit occaſionem? patet legenti, quam efficiant ſententiam Manutii verba. Rubenius adimit & ipſe cum Plutarcho Tribunis pl.

Præ-

Prætextam; ſed illud Quinctii intelligit de Prętexta, quam induerit alium deinde adeptus Magiſtratum, & interpretatur ſuperiora verba: *quorum opera ad altiorem gradum perveniſſet*, hoc eſt vel ad Ædilitatem, vel ad Præturam. In promptu tamen eſt confutatio. nam qualem arrogantiam Quinctii Cicero deteſtatur? eam procul dubio, quam præ ſe tulit in Tribunatu, cum ſediciosis concionibus populum concitavit in Junium Quæſitorem; quæ igitur poſtea conſequuta ſunt, dixiſset Orator extra Cauſam. Præterea, poſt reſtitutum Tribunis à. C. Cotta Conſule jus habendæ concionis, primus Quinctius vocare ad concionem multitudinem cępit: *idcirco cuidam hominum generi paulisper jucundior fuit*; initio Tribunatus, fuit infimæ plebi jucundus: *atq; idem quanto in odio poſtea ſuis illis ipſis fuit, per quos in altiorem locum aſcenderat?* eidem infimæ plebi, quæ Tribunatum detulerat. nam illa duo Adverbia temporis *Pauliſper*, & *Poſtea*, ad eundem annũ referuntur, quo fuit Quinct. Tribunus pl.

Oct. Ferrarius in Analectis Rubenii ſententiam refellit, & Ciceronis teſtimonium, quod ille attulerat ex Oratione in Vatinium, ſic ipſe perperam explicat, ut mirer, Virum plus, quàm mediocritèr eruditum, in interpretandis Veterum ſententiis, tam ſæpè, ac fœdè allucinari. Sermo erat de tribus, Collegis quondam Vatinii in Tribunatu, quos his Cicero verbis deſcribit: *de quibus duos Prætextatos ſedentes vides, te Ædilitiam Prętextam togam, quam fruſtrà confeceras, vendidiſſe, tertium ſcis ex illo obſeſſo, atq; afflicto Tribunatu Conſularem auctoritatem hominem eſſe adoleſcentem conſecutum*. primi duo, ut habetur ex illa pro Sextio, erant Cn. Domitius, & Q. Ancharius, quos Populus

crea-

creaverat Prætores, tertius C. Fannius, cui munus aliquod delatum fuerat, ſolis Conſulibus demandari ſolitum. Ferrarii explanatio talis eſt: *Nam ex illis tribus Collegis, quos in Tribunatu irridebat Vatinius, duo jam Magiſtratum adepti erant, idest Ædilitatem, tertius Conſulatum, & omnes in Prætexta rursùs erant*. Quàm multa ſunt, quæ reprehendam! 1. Domitium, & Ancharium ipſe facit Ædiles, quos Cicero Oratione pro Sextio teſtatur, *à populo R. Pratores eſse factos*. 2. C. Fannio Conſulatum aſſignat, qui neque habetur in Faſtis, neque Conſul eſſe poterat anno V. C. 694. omiſſa Prætura, cum anno 691. Tribunus pl. fuiſſet cum Vatinio 3. omnes vult fuiſſe in Prætexta, cum Orator ibidem ſolùm *duos Pratextatos ſedentes* faciat, & in Sextiana de C. Fannio loquatur, ut de privato: *Jam de C. Fannio qua ſit exiſtimatio videmus; quod judicium populi R. in honoribus ejus futurum ſit, nemini dubium eſſe debet*. 4. alteram illis Prętextam dat, quaſi primam habuerint in Tribunatu, cum tamen lis ſub Judice ſit, fuerintne Tribuni pl. Prætextati. Itaque idem Ferrarius lib. 2. de Re Veſtiaria, Quintilianum ſequitur; ſubjicit autem: *neque tamen ideò Cicero Quinctium reprehendit, quòd Pratexta talari uteretur, nam omnes tales erant; ſed quòd cum alii paulò ſupra imam togæ oram purpuram circumtextam geſtarent, ſuperbus ille, & latiorem, & talos ipſos perfundentem induerit*. In primis à Quintiliano recedit, quem utcumque habet Auctorem ſententiæ; ille enim non purpuram, ſed Prætextam ipſam demiſſam ad talos facit. deinde non proprie uſus eſſet Cicero verbo *Demitto*; nam demitti ad talos veſtis dicitur, non purpura in Veſte ad talos demitti. Imò, ſi omnes togæ de-

demittebantur ad talos, & in Prætextis purpura paulo ſupra imam togę oram circumtexebatur; profectò nulla erat Prætexta, quæ non haberet purpuram talos ipſos perfundentem. Poſtremò, quid eo loco exprobret Orator Quinctio, diligenter quęrendum eſt.

Purpuram ſumi etiam pro Tunica tùm Senatoria, tùm Equeſtri, teſtis eſt Cicero, qui & exprobrat Piſoni, antequàm Magiſtratus conſequeretur, fuſcam, & plebejam Purpuram, & de M. Cœlio Equite R. *ſi quem*, ait, *etiam minimorum horum aliquid offendit*, *ſi Purpuræ genus*, ſignificans latum, & anguſtum clavum, quod erat in Tunica inſigne Ordinis. Illud paritèr in confeſſo eſt apud omnes, Togam vulgò Romæ talarem fuiſſe, non verò Tunicam, ut ex nummis, & Simulacris Veterum intelligitur. Quæ cum ita ſint, jam ad Ciceronem accedo: *facite enim*, inquit, *ut non ſolùm mores ejus*, & *arrogantiam*, *ſed etiam vultum*, & *amictum*, *atque illam uſque ad talos demiſſam purpuram recordemini*; id reprehendit, quòd demitteret ad talos purpuram. An non omnes demiſſam ad talos togam, ſeu prętextam geſtabant? quid igitur erat in Quinctio ſingulare? at purpuram, hoc eſt Senatoriam tunicam talarem ferre, quod cæteri non ſolebant, ſummæ arrogantię argumentum erat. Quòd ſi purpura in veſte demitti ad talos, latinè dici poſſit, exiſtimarem ſignificari purpuram lati clavi ad imam Tunicę oram demiſſam, & uſque ad talos; & ſanè minus inſolens dictum eſſet, quàm de Toga Prętexta, juxta interpretationem Ferrarii. nam in Tunicis demittebatur latus clavus ab ipſis faucibus; in Prætextis purpura circumtexebatur.

It-

Illud quoque obſervandum eſt ex Oratione in Vatinium: *te Ædilitiam Prætextam togam, quam fruſtra confeceras, vendidiſſe*; Vatinius enim in petitione Ædilitatis repulſam tulerat. Cicero Verrina 7. ornamenta omnia recenſet, quæ per illum Magiſtratum quiſpiam conſequebatur: *antiquiorem in Senatu dicendę ſententiæ locum, togam Prætextam, Sellam curulem, Jus Imaginis*. Quando antiquiorem in Senatu ſententiæ dicendæ locum obtinebant Ædiles? an, ut Manutius docet, in ipſo Magiſtratu? nequaquàm; Magiſtratus rogatos fuiſſe ſententiam nuſquàm legimus, ſed tantùm deſignatos Magiſtratus. Ædilitii cum erant, tùm rogabantur ſtatim poſt Prætorios, ut alibi diſputabam. Quod attinet ad Prætextam, illa quoque uti conſueverunt, anno ſui muneris elapſo, ſolemnibus quibuſdam diebus, maximeque dum ludi Romani fiebant, de quibus Cicero Philip. 2. *Cur non ſumus Prætextati?* cur ſcilicet nos omnes Conſulares, Prætorii, Ædilitii, Augures non habemus Prætextam, quippe ſolemni die? Cæterùm ex utroque loco ſuprà citato, & ex Oratione poſt Reditum in Senatu: *cum toga Prætexta, quam omnes Prætores, Ædileſque tùm abjecerant*, manifeſtum eſt, Ædiles Prætextatos fuiſſe; ut proinde vehementer mirari ſoleam, Ferrarium lib. 2. de Re Veſt. cap. 3. aliundè potius emendicare argumenta. Cicero, inquit, Epiſt. 10. lib. 2. ad Q. Fratrem, de Ædilitate Appii Claudii loquitur: *Togam ſum ejus Prætextam, quam erat adeptus Cæſare Conſule, magno hominum riſu cavillatus*; Appii ambitionem, & avaritiam mordet, quòd mallet foris, & in Provincia lucrari, quàm domi damnum accipere, renovandis honoribus, &

& interpolanda Prætexta. Sed neque Appius factus eſt unquàm Ædilis, neque eum Magiſtratum adipiſci potuit Cæſare Conſule, neque loquitur Cicero de Appii Ædilitate, neque Romæ uſitatum erat honores eoſdem renovare, neque tùm in Provincia Appius erat. monſtri, ac portenti ſimile videtur, potuiſse Ferrarium tam multa ſimul non animadvertere. 1. Non fuit Appius Ædilis, quippe qui interverſa, & omiſsa Ædilitate, à L. Piſone Conſule per fraudem Prætor renunciatus eſt; Oratione pro Domo ſua. 2. cum Appius fuerit Prętor, Lentulo, & Metello Coſs. quo anno reſtitutus eſt in Patriam Cicero, & biennium ab uno geſto Magiſtratu ad alterum capeſsendum interponi neceſse foret; quomodo Cæſare Conſule Ædilitatem adipiſci potuerit, non video. 3. Cicero Epiſtola laudata, ſic illud de toga Prętexta concludit: *Vos autem homines nobiles, qui Buſyrum prætextatum non ferebatis, Commagenum feretis? Genus vides, & locum jocandi; quo genere commotus, ut dixi, Appius totum me amplexatur.* Cur Appium illius anni Conſulem, qui Senatum coegerat, quocum jam in gratiam redierat, Pompejo auctore, Prætextatum ferendum non eſſe dicit? cur illum Commagenum, & ignobilem Regem nominat? cur irridentem Ciceronem amplexatur Appius? Scilicet alius quilibet notatur eo loco potius, quàm Appius. 4. Quis unquàm bis Ædilitatem petiit? quotuſquiſque Præturam, aut Conſulatum bis obtinuit? an arguebatur Appius id non feciſse, quod ne ipſe quidem Cicero fecerat? 5. Quo die illam Orationem Cicero habuit, Appius idem Conſul Senatum coegerat: *nam*

nam pride Id. cum Appius Senatum infrequentem coegiſſet; poſt Præturam, & Conſulatum ſuam omnes Provinciam ſortiebantur; quam aliam extra ordinem Provinciam ſibi demandandam Appius curaverit, non invenio. De Prętexta Augurum alio loco, & quidem non ſine reprehenſione ejuſdem Ferrarii; nunc de ipſa Purpura agendum eſt.

Venio ad Piſonianam, ubi cùm in hominē inimicum multa Orator convicia congerit, tùm illud etiam objicit, quod Catoni laudi erat, Purpuræ genus: utebatur, inquit, *Noſtra hac Purpura plebeja, ac pœne fuſca*. Ut delicatum Gabinium, ſic alterum Conſulem Piſonem, tætrum, atque aſperum exhibet, qui veſtitu obſoletiore uti ſoleret, & purpura tunicæ intexta (latum clavum dicebant) plebeja, ac pœnè fuſca. Cum explicarem Cluentianam, videbatur Ferrarius non rectè Manutium reprehendiſſe, tùm quòd peccaret in nominanda Perſona, cujus Purpura à Cicerone arguebatur, & Oratione (ad illam enim pro Sextio, non ad alteram pro Cluentio, Piſonis, non Quinctii, purpuram accipit Commentator pro Tunica) tùm, quòd eum opinatum diceret, tunicas Romanorum fuiſſe totas purpureas, eamque Manutii ſententiam eſſe negavi. at ad hunc locum fit, ut pœnè reprehenſionem illam meam inducam: *Tunica Senatoribus erat purpurea*, Commentator inquit, *cum lato clavo intexto*. an quidquam dici poteſt apertiùs? reliqua tamen attendantur, quæ ſtatim ſubjungit: *Noſtra igitur dixit Cicero de tunica Senatoria, ideſt lato clavo*; explicat, quid nomine tunicę intelligat; latum clavum nimirum ſignificat, quē totum fuiſse purpureum, nemo ignorat. quid enim

P opus,

opus erat purpureum latum clavum intexere tunicæ, ſi illa fuiſſet purpurea? Pergit Manutius: *plebeja, ac pæne fuſca; filo craſſo, & ad fuſcum accedente, quales erant Plebejorum tunicæ, quæ à Senatoriis primùm clavo differebant, qui erat in Senatoriis latus, in plebeiis anguſtus; deinde, præſtantia Purpuræ.* Clavus Equitum R. (ipſe vocat Plebejos) differebat à Senatorum clavo, tùm quia hi latum, illi anguſtum intexebant tunicæ; tùm quia ex præſtantiori Purpura erat Senatorius clavus, quàm Equeſter. Hæc interpretatio ni valeat, fœdiſſimè lapſum hìc etiam fuiſſe diligentem alioquin Interpretem, fatendum eſt; neque vero, cum hoc ipſum ſit dubium, laudatum omni ex parte, atque excuſatum dimittam. Quid tu mihi de præſtantia Senatoriæ purpuræ commentaris? an non etiam Equites R. dibapha, ac Tyria utebantur? Cicero pro M. Cœlio: *ſi quem etiam minimorum horum aliquid offendit, ſi purpuræ genus*, & cęt. cum tamen Cœlius eſset Eques Romanus. quid autem Noſtram purpuram dicit, ſi præſtantiſſima Senatoribus omnibus uſitata erat? Obſervandum eſt, Cicerone Conſule, primum Lentulum Spintherem Ædilem Curulem uſurpaſſe in Toga Prætexta purpuram Dibapham, bis tinctam, & precioſiſſimam, Dione teſte, ſed & antea in lato clavo non dubito uſurpatam fuiſſe à delicatis quibuſdam hominibus; quod ipſum utcumque affirmare non audeam. L. Piſonis veſtitus ſordidus erat, quia non modo Purpuram illam vulgarem (*Noſtram* dicit Orator, hoc eſt omnibus ferè communem) non autem Dibapham, & precioſam, tunicæ intexebat; verùm etiam infimi generis Purpuram, ignobiliorem, minimi

pre

precii, plebejam, Violaceam, ut ejus color d. fuſcum potius, quàm ad purpureum accederet cum reliqui Senatores, & Equites, licèt Dibapham reſpuerent, in ipſa tamen vulgari, & uſitatâ Purpura aliquam præſtantiam quærerent, & fortaſse Tarentina uterentur. Non enim prætermittendus eſt locus quidam Cornelii Nepotis apud Plinium, tria Purpuræ genera deſcribentis: *Me juvene*, inquit, *Violacea Purpura vigebat, cujus Libra denariis centum venibat; nec multo poſt rubra Tarentina; huic ſucceſſit Dibapha Tyria, quæ in Libram denariis mille non poterat emi.* verba illius omnia ſigillatim exponam: *Me juvene*, hoc eſt ad annum V. C. 687. *Violacea purpura vigebat*, purpura Violacea, quam Romulus ipſe Romanæ Civitate donaverat, & uſurpandam Senatoribus dederat, adhùc vigebat; deſiit porrò vigere circitèr ætatem Auguſti, Cornelio Nepote jam ſene: *cujus libra denariis centum venibat*; hinc in minimo fuiſse precio intelligitur. *Nec multo poſt rubra Tarentina*; hoc eſt, non multis annis, poſtquàm uſurpari cœpta jam fuerat Violaceâ, hæc altera Purpura ita recepta eſt in Civitatem, ut primam illam non excluderet. Utraque diu viguit, donec Tarentinæ (ait Nepos) *Succeſſit Dibapha Tyria*, Cicerone Conſule, ut Dio refert. Itaque nemo non videt, ultimis Reip. temporibus, triplicem Purpuram viguiſse, Violaceam, & infimam; Tarentinam, & mediam; Dibapham ſummi precii. Cicero in Piſonem, ut illum ſordidè veſtitum exhibeat, indutum autumat, *Noſtra hac Purpura plebeja, ac pœne fuſca, non Dibapha*, delicatiſſimis tantùm hominibus uſitata, ſed noſtra hac vulgari, & cunctis obviæ:

eaque non Tarentina, ſed Violacea, ac pœnè fuſca. Violaceam expono. an enim Piſonem ut ſordidum reprehenderet, quòd non indueret Dibapham, recens luxurioſæ Civitatis inventum? an quòd Tarentinam uſurparet, qua Cicero ipſe reprehenſor induebatur? Plutarchus in Catone Uticenſi: *qui cum Purpuram ſaturi coloris, & acuto rubore ſplendentem in precio videret eſſe*, Dibapham ſcilicet. quid fecit Cato? num Tarentinâ ipſe uſus eſt? tùm verò nihil in eo ſingulare fuiſſet, cum illam haberent Senatores omnes, & Equites R. familiarem: *ipſe fuſcam, & obtuſam geſtabat*; Hiſtorici verba ſunt Violaceam Purpuram deſcribentis. Hanc autem, ut ex Plinio, & Vitruvio habetur, Africani murices dabant, quorum color ſubfuſcus erat; ex Muricibus Tyriis Tarentina, ſic dicta, quòd Tarentum primùm illud Purpuræ genus invectum fuerit, vel in ea certè Civitate primùm infici conſueverit. ſi Tyrio murice bis tingeretur, Dibapha erat ex Ovidio:

Et quæ bis Tyrio murice tincta rubet.

Ne tua diutius abutar patientia, Epiſtolæ finem impono, quam eſſe aliquanto prolixiorem oportebat, pro dignitate Argumenti. Vale. Kal. Aug. A. S. 1699.

EPI-

EPISTOLA DUODECIMA.

AD AMICUM N. N.

De Quæſtoribus.

ADvola, mi Pomponi; aut expedies me omni moleſtia, aut particeps eris. circumventus ab inimicis, ſic olim Atticum ſuum Cicero in periculi, moleſtięque partem vocabat. Nobis verò longe diverſa mens eſt; cum alienam calamitatem levare nequeas (noſti enim Quæſtorum genus) hoc certè nomine minuitur utrique dolor, quòd tu hinc abſis beatus. Putâſſeſne, eo rem brevi tempore ductam iri, ut de capite cauſam dicere neceſſe foret? verùm, ut innuebam, cadat in Quæſtores culpa, omni ſuſpicione cæteri liberentur. Hæc obitèr; nam diſputandi, non conquerendi cauſa ſcribere Epiſtolam ſoleo: animumque aliò ſapienter, & non ſine aliqua utilitate avocatum, minùs adverſa perturbant. De Quæſtoribus pauca quæram ex Cicerone, pluribus omiſſis, quæ ex Veterum ſcriptis erui commodè poſſunt.

Viginti poſt Syllam cœpti ſunt creari Quæſtores, Tacito teſte Annal. 11. quorum plerique proficiſcebantur in Provincias, alii quidam Romæ, & apud Conſules retinebantur. Cicero Quæſtor factus Sicilienſem provinciam ſortitus eſt, ut ipſe habet in Divinatione: *cum Quæſtor in Sicilia fuiſſem*. Dubitant porrò Comentatores, quo Prætore cū Magiſtratū geſserit; nam Sex. Peducæū nominat Aſconius in Verrinis, Cicero ipſe Oratione poſt Reditū in Senatu, ſe M. Curtio Quæſtorem fuiſse in Provincia teſtatur; duos autem eodem anno Prætores procul dubio Sici-

lia habere non potuit. Non defuere, qui dicerent, fuiſſe illum Quæſtorem Curtio Romæ, mox altero anno Peduçeo in Provincia; hanc tamen ſententiam ſatis confutavit Manutius, qui ſic duos locos adeò diverſos conciliat: *Crediderim*, ait ille, *è Sicilia deceſſiſſe Peducæum ante exitum anni, aliqua nobis obſcura cauſa, Senatu permittente, & ei ſtatim Curtium ſucceſſiſſe; ita Ciceronem eodem anno duobus Prætoribus Quæſtorem fuiſſe*. Hæc mihi diligentèr examinanti, multa occurrunt, quę probare non poſſim; cum ante legitimum tempus de Provincia Peducæus neque decedere potuerit, neque re ipſa deceſſerit. Prętores enim provinciarum deceſſiſſe ante tempus ob privatam aliquam cauſam, idque annuiſse Senatum, nuſquàm legimus; illud autem aſſerere ſine fundamento non debemus, cujus in univerſa hiſtoria nullum extat exemplum. Sed ne Curtius quidem Peduçeo Romam redeunti extra ordinem, ſuccedere poterat ex Prætura, Urbanæ provincię anno nondùm elapſo; niſi forte hoc etiam loco extraordinarium quippiam admittere temere velimus. Neuter igitur potuit, aut Curtius ſuccedere, aut decedere Peducæus, extra tempus; at neque deceſſit re ipſa. Verrina 5. de Peducæo: *biennio Provinciam obtinuit, cum alter annus in vilitate, alter in ſumma caritate fuerit*. quomodo ante exitum anni deceſſit, qui biennio Provinciam obtinuit? imo verò, ſi alter annus Peducæo fuit in vilitate, alter in caritate; neceſſe eſt, cum in Sicilia fuiſſe utroque año poſt meſſem, quo tempore ex ubertate, vel calamitate fructuum, vilitas, aut caritas certa eſt; & eidem Peduçeo, utroque anno data fuiſſe publicè cibaria poſt meſſem, ea, quę ſequuntur, oſtendunt: *nùm aut in vilitate nummum*

mum

mum arator quiſpiã dedit, aut in caritate de æſtimatione frumenti queſtus eſt? Prеterea, poſt latam legem Corneliam de Imperio, de qua alio loco; ita quilibet obtinebat Provinciam, ut etiam poſt annum retinere eã poſſet ſine ulla prorogatione, vel, ſi mallet, ſpontè decedere, non expectato Succeſſore. atq; adeò fruſtra dicunt, è Sicilia deceſſiſſe Peduceum ante exitum añi, Senatu permittente, cui ſtatim poſt primum annum decedere licebat. Utcumq; tamen certum eſt, ita perperàm ad hunc locũ divinaſſe Manutium, quòd nõ alia ratione Ciceronem, & Aſconium conciliari poſſe putaret. quid ſi ego verã, & germanam cauſam oſtendo, propter quam Cicero duorum Prеtorum Queſtor eſſe potuit? Verrina 3. hec habet de C. Verre, cujus Queſtor nondum è Provincia Romam venerat: *Quæſtorem ſe in Senatu expectare dixit;* multo etiam manifeſtiùs Verrina 4. *Quæſtores utriuſq; Provinciæ, qui iſto Prætore fuerant, cum faſcibus mihi præſto fuerunt;* cum non eódẽ, quo Prеtor, Menſe venirent in provinciam Queſtores, neq; eodem tempore de provincia decedebant. Itaque dicendum eſt, eo modo Ciceronem Queſtorem fuiſſe tùm Peduceo, tùm deinde Curtio ſucceſſori, quomodo illi duo, de quibus commemoravi ſuprà, Prеtore Verre Queſtores fuerant, & adhùc erant, Metello Prеtore, qui ſucceſſerat Verri. Si cui forte non arridet hec interpretatio, habeat & alteram: L. Murena Gallie Ciſalpine Proprеtor C. Murenam fratrem Legatum ſuum provincie prеfecit, Romam ipſe profecturus ad petendũ Conſulatum; Cicero Queſtorem C. Cœlium præpoſuit Ciliciæ, aitq; Epiſt. 15. lib. 2. ſe id fecisſe *omniũ ferè exemplo*, indicans multos alios ante miſsum Succeſsorem deceſſiſſe, & curam provincie demandaſſe aut Queſtori, aut alicui

ex Legatis. Fac igitur ita profectum è Sicilia Peducæum M. Curtio tradidiſse provinciam; nihil jam impedit, quin utriq; fuiſse Qųęſtor Cicero dicatur. Sic ferè in Provinciis ſe res habebat;

At ex iis, qui manebant Romæ, duo dicebantur Urbani; exigebant autem rationes ab iis, qui rem publicam adminiſtraverant. & præerant Ærario. quo refertur illud Quinctianæ: *propter ærariam rationem non ſatis erat, in tabulis inſpexiſſe, quantum deberetur, niſi à Quæſtoribus quæſiſſet, quantum ſolveretur*. Ærariam rationem Monetę varietatem Manutius intelligit, aliam aliis temporibus, de qua ſic lib. 3. Offic. *Cum Tribuni pl. Collegium Prætorum adhibuiſſent, ut res numaria de communi ſententia conſtitueretur; jactabatur enim temporibus illis numus, ſic, ut nemo poſſet ſcire, quid haberet*. Sed quæro; cum orta eſt controverſia illa inter Quinctium, & Scapulas, vel jam conſtituta fuerat res numaria, vel adhùc erat incerta. ſi jam conſtituta operâ M. Marii Gratidiani, ut refert Cicero 3. Offic. quid opus erat Quæſtorem conſulere? ſi adhùc incerta, neſcio quantum ponderis habuerit Quæſtoris judicium in ea re ſtatuenda, de qua publicè, & privatim omnes dubitarent. Pergit Manutius, & quod ſequitur; Ad Denarium: *quid iis ad denarium ſolveretur*, ſignificare putat integræ ſummę ſolutionem; idque multo minus probare poſsū. Nam ad integram quamcumque rem ſignificandam, As uſurpatur; non Denarius. ita *Ad Aſſem omnia perdere*, & *redigere ad Aſſem*, Horatius: *ad Aſſem impendium reddere*, Plinius; vel certè minima omnium moneta ſumitur, ut ad Atticum Cicero: *ſubducunt ad numum*, non ad denarium, qui quatuor numos continet: adeòque hoc etiam loco dixiſſet; *Quid iis ad numum ſol-*

ſolveretur, ſi integræ ſummæ ſolutionem, & ne unum quidem numum à ſumma detractum denotare voluiſſet. Quare alia omninò ratione explicandus eſt Cicero : Provinciæ ſingulæ ſuum habebant Monetæ genus, Aſia Ciſtophorum, Gallia Victoriatum, Roma, atque Italia Denarium; neque Denarius valebat idem, quod Victoriatus, & Ciſtophorus. Fac dediſſe Scapulas in Gallia C. Quinctio mille, ac trecentos Victoriatos; ſoluturus hanc debitam pecuniam hęres Quinctii, Victoriatos, quos daret, nō habebat; dixit igitur ſe daturum Denarios. Sed, cum ignoraret, quot Denarii illos mille, ac trecentos victoriatos valerent, ad Quæſtores ſe contulit, eoſque hac de re conſuluit; qui Ærarii curam habentes, quo omnium Provinciarum monetæ, Vectigalis, aut Stipendii nomine comport[illegible]tur, optimè noverant, quid quæque Mo[illegible]a valeret, & quantum pecuniæ ſolui oporteret ad Denarium, hoc eſt ad monetam Romanam, pro mille, ac trecentis Victoriatis Gallicanis.

Alias quoque fuiſſe Romę Quęſtorias provincias, perſpicuum eſt; namque Oratione pro L. Murena duę Titia, & Hoſtienſis recenſentur, quarum illam Murena, hanc Sulpitius ſortiti ſunt : *Habuit hic lege Titia provinciam tacitam*. Gruchium ſecutus lib. 2. de Comitiis, hanc fuiſse Quęſturam puto, natam ex Agraria lege Sex. Titii Tribuni pl. ad colligendum ſcilicet Vectigal agris publicè aſſignatis impoſitum, cujus meminit lib. 8. cap. 1. Valerius; Penſionem vocabant. Neque Manutii conjecturæ multum habère momenti videntur : *Murena*, inquit, *Provinciam habuit ſorte*, *non lege*; nempe ſortitus eſt Quęſtoriam provinciam, quam lex Titia, ut dicimus, conſtituerat : *oportuit nominari*

pro-

provinciam Murenæ, ut illa Sulpicii nominatur. eſto, ſed non aliud illi nomen erat; Quæſtura dicebatur lege Titia, hoc eſt a Sex. Titio inſtituta: *reponendum Lautia, quæ munera fuerant Legatis exterarum nationum dari ſolita per Quæſtores*, ex Plutarcho. An tantum hoc munus erat, cui Queſtores Urbani non ſufficerent? & ſanè non ſine cauſa Plutarchus in Probl. per Quæſtores dari ſolita Lautia ſcribit, non per Quæſtorem, quòd illi rei non certus quidam Quæſtor, ſed Urbani Quæſtores præeſſent. De provincia Sulpicii quod ſequitur: *tu illam, cui, cum Quæſtores ſortiuntur, etiam acclamari ſolet Hoſtienſem*. nunquàm adduci potui, ut crederem de frumentaria procuratione intelligendum eſſe, quemadmodum vulgo omnes interpretantur. Nihil in Urbe Roma gratioſum magis, quàm frumentaria procuratio, eſſe poterat. qua enim ratione, ut alia multa prætercam, omnia Senatus, Magiſtratuum, Legum munia in ſe unum traxit Auguſtus? *militem donis, populum annona, cunctos dulcedine ocii pellexit*, Tacitus lib. I. Quamobrem Oratione pro Sextio: *nec mihi erat res cum Saturnino, qui, quòd a ſe Quæſtore Hoſtienſi per ignominiam, ad Principem & Senatus, & Civitatis rem frumentariam translatam ſciebat, dolorem ſuum magna contentione animi perſequebatur*. an de Provincia non tam gratioſa, & illuſtri, quàm negotioſa, & moleſta (ſic enim eam deformat Orator) adeò ſolicitus fuiſſet Saturninus? *Hoſtienſem*, acclamari ſolebat à Populo. benevolámne, an adverſam acclamationem intelligit? ſi benevolam; cur neget illuſtrem eſſe, & gratioſam? cur Sulpicii quoque, ſicut Murenæ nomen jacuiſſe dicat in Quæſtura? cur, ut Sulpicii adverſarii Provinciȩ gratiam detrahat, acclamationem

nem populi præpoſtere Cicero commemoret? Si verò adverſam, quod magis videtur probabile; nam & Vatinio obtigiſſe legimus Aquariam Provinciam *magno clamore*, hoc eſt adverſo; frumentaria certè Procuratio non eſt, cui nunquàm plebs Romana acclamaſſet.

Sed Queſturam non ſine cauſa perſtrinxi tantũ; fuit in animo præterire ſilentio, quę renovàre moleſtiam poterant. Vale. Kal. Dec. A. S. 1697.

EPISTOLA DECIMATERTIA.

AD ABB. N. N. P. P.

De Rectoribus Provinciarum.

LAudo conſilium, quòd tranſivi leviter, & de Voconia lege Quæſtionem attigi tantùm, non pertractavi copioſiùs, ut ſoleo. Accepi literas tuas, quibus rem totam ſic explicas, ut, cum nihil intactum reliqueris, me temeritatis, atque arrogantiæ videaris arguere, qui jejunè nimiùm, & exiliter graviſſimam diſputationem inſtituerim. Habes utcumque confitentem reum, neque illud multæ genus detrectantem, quod tu pro ſingulari tua Sapientia irrogaveris; idque mihi erat in votis, non tam Cenſorem quærere, quàm plurima, atque optima docentem audire. Interea certum eſt ſtylum mutare, iiſque rebus dare operam, à quibus te non omninò alienũ putem, & quæ mihi familiares ſint, atque in promptu. ſi te reprehenſorem ſimiliter nactus fuero, non deterrebor; multa peccaturus in arenam ſæpius deſcendam, ut doctior inde diſcedã.

De

De Rectoribus Provinciarum (ad hanc enim Romanæ Reip partem animum adieci) non ea quæram, ac diſputabo, quorum pleni ſunt Recentiorum omnium libri; pauca ſeligam, atque eadem ipſa non omninò inaudita, pro mei inſtituti ratione, Ciceronis, quem explicandum potiſſimùm ſumo, teſtimonio tuebor. Unuſquiſque profecturus in Provinciam cum imperio, Cohortem Prętoriam ſibi deligebat; ex quibus illa conſtaret, non videtur eſse manifeſtum. Ad Orationem pro Quinctio; cum Junius, qui aliquoties Cauſam illam egerat, abeſse tùm diceretur, *Nova legatione impeditus*, quid hoc ſit, explicat Manutius tali pacto: *Profectus in provinciam cum aliquo Proconſule; nam Rectores provinciarum Quæſtoribus, Legatis, Tribunis militaribus, & aliis utebantur, quæ Cohors Prætoria dicebatur*. Profectus ne fuerit in Provinciam Junius, Legatus alicujus Proconſulis, puta Cn. Pompeii, qui eo ipſo tempore miſsus eſt à Dictatore Sylla in Siciliam contra Cn. Carbonem; an impetrata potius à Senatu libera legatione, ob cauſam fortè adeundę hęreditatis, ſicut alii Principes viri ſolebant, incertum eſt. Sed Cohortem, quę Prætoria vocabatur, conflatam fuiſſe ex Quęſtoribus, Legatis, Tribunis militaribus; hoc nullo argumento nititur. Pedianus quidem ad Verrinam 3. Cohortem Prętoriam, *Comites Conſulares* interpretatur; ipſe tamen Cicero eodem loco dubium ſoluit, cum rationes à Verre Quæſtore relatas commemorat: *Dedi ſtipendio, frumento, Legatis, pro Quæſtore, Coborti Prætoriæ*; unde patet, Legatos, & Quęſtores Cohorte Prætoria non contineri. Inſupèr Quęſtores, & magna ex parte Tribunos militares Populus creabat; cum ſuos Prętor quiſque comites, hoc eſt Cohortem, eligeret ex amicis. ſic Verrina

4. pri-

4. *primùm omnium, opera danda eſt, ut eos nobiſcum educamus, qui noſtræ famæ, capitique conſulant.* Quid plura? Satis apertè docet Orator in Accuſatione Verris, ex quibus hominibus Cohors iſta conſtaret; ſępè enim queritur, ex Cohorte ſua Verrem Judices delegiſse, quos Venerios, & Servos appellat, iiſque multa contra leges conceſſiſse; erant autem Timarchides Accenſus, Pręco Valerius, Artemidorus Medicus, Lictor, Scriba, & alii hujuſmodi Miniſtri, & familiares Prætoris, quibus ex publico ſtipendium, atque alimenta dabantur, non ſecus ac Legatis, & Quæſtoribus. Paulus ad Feſtum docet Cohortem Prætoriam eſse dictam, *quòd à Prætore non diſcedebat. Scipio enim Africanus primus fortiſſimum quemque delegit, qui ab eo in bello non diſcederent, & cetero munere militiæ vacarent, ſeſquiplex ſtipendium acciperent*, ſicut eſt apud Livium lib. 29. ſed non fit mentio hujus Cohortis apud Ciceronem loco citato, neque nobis nunc ſermo eſt de illa Cohorte Pretoria ad militiam inſtructa.

Secundò, ad ea verba Verrinæ 3. *neque legitimum tempus expectare ad ulciſcendum*, notat Frigius, ex Aſconio, & Hotamano, Legitimum tempus accuſandi comites Magiſtratuum fuiſſe, accepto Succeſſore, niſi ſi de Provincia, qui iniurias feciſſent, ſtatim decederent; tùm enim Romam deferendas fuiſſe querimonias. Ego verò ſignificari puto occaſionem ſumendę ultionis juxta leges per accuſationem legitimam, duoque Adiuncta ſimul deſignari, Modũ, & Tempus ulciſcendi: *neque legitimũ tempus expectare ad ulciſcendum, neque vim tanti doloris in poſterum differre potuerunt.* Lampſaceni Rubrium, qui iniuriam fecerat, ſtatim ipſi ulti ſunt, non expectarunt legitimũ tempus, ut cũ apud Prætorẽ agerent

Iniu-

Iniuriarum juxtà leges; quomodo inſidiatorem repellere fas eſſe docemur in Miloniana : *ſilent enim leges inter arma, nec ſe expectari jubent, cum ei, qui expectare velit, ante iniuſta pœna luenda ſit, quàm juſta repetenda*. Verùm, ut intelligamus, quænam, & à quibus judicia fierent de Magiſtratuum comitibus; diſtinguenda ſunt duo genera Cauſarum, quarum aliæ erant publicæ, de Repetundis, de Peculatu, de Vi, & illa quoque Iniuriarum; aliæ privatæ, hoc eſt de Jure Civili. In cauſis privatis, Magiſtratus ipſe, cujus erant Comites, Judicem dare poterat, aut Recuperatores; quòd ſi exiſtimaretur non æquus contra ſuum familiarem futurus, expectandus erat Succeſſor, vel decedentibus de Provincia iis, quibuſcum lis erat, ante adventum Succeſſoris, Romam judicia illa deferebantur. In Cauſis, quas Criminales vocamus, Prætores Provinciarum ſuos Comites, qui deliquiſſent, aut ipſi vindicabant, quemadmodum legitur apud Plutarchum M. Brutus Civem Romanum quendam publicè damnaſſe, Caſſius, cognita cauſa, duos ex ſuis familiaribus abſolviſſe, cum ille Græciam, hic Aſiam obtinerent; aut certè in pœnam miſſos faciebant, cum Prætori reddenda eſſet ratio Romæ eorum omnium, quæ à ſuis Comitibus admiſſa fuiſſent. Hinc Cicero Verrinâ 4. *primùm omnium opera danda eſt, ut eos nobiſcum ducamus, qui noſtræ famæ, capitique conſulant; deinde, ſi in hominibus eligendis nos ſpes amicitiæ feſellerit, ut vindicemus, miſſos faciamus, ſemper ita vivamus, ut rationem reddendam nobis arbitremur*. quo refertur illud etiam Juvenalis Sat. 8. *Si tibi Sancta Cohors comitum*, & cæt. nobiles enim viros in provinciam profecturos hortatur, ut Sanctam Cohortem habere ſecum velint, ne reprehen-

ſionem

ſionem , ſi ſecus fecerint , & pęnas legibus Repe-tundarum pręſcriptas, ipſi ſubeant . Si quando Prę-tores has ſuorum iniurias eſſe impunè paterentur, in ipſos ut plurimum lege Repetundarum Judices animadvertebant , non autem in eorum Comites ; idque colligitur ex Oratione pro Rabirio Poſtumo: *Cum optimo, & præſtantiſſimo Conſule Cn. Pompejo de hac ipſa Quæſtione referente, exiſterent nonnullæ, ſed perpaucæ tamen, acerbæ ſententiæ, quæ cenſerent, ut tribuni, ut præfecti, ut ſcribæ, ut comites omnes Magiſtratuũ lege hac tenerentur* (lege Repetundarum) *Senatus frequens reſtitit* . Diverſum fortaſsè fuerit de Quęſtoribus, & Legatis judicium, quippe qui ea lege tenebantur ; ſed & eorum culpa in Prętores , qui non prohibuiſsent, cadebat. ne illud quidem omittam, Socios aliquando hujuſmodi iniurias perſecutos fuiſſe Romę, ſed privato judicio ; nam C. Antonium, qui Cohortes nactus ex exercitu L. Syllę Provinciales in Achaja ſpoliaverat, Gręci in jus duxere apud M. Lucullum Prętorem Peregrinum, repetentes ea, quę ſibi iniuſtè fuerant, & per vim ablata ; ex Aſconio.

Tertiò quæri poteſt , Legatiſne , an Quæſtori mandare Prętor ſoleret, quæ ipſe per ſe facere commodè non poſset. Verrina 7. ita Cicero invehitur in Verrem, qui Romanę Claſſi Syracuſanum Cleomenem Ducem dederat : *Imperium navium Legato populi R. ademiſti, Syracuſano tradidiſti* ; cujus loci teſtimonio intelligimus, Legatum potius, quàm Quęſtorem debuiſse Claſſi, & Exercitui præeſſe ; impe-[illegible] Prætore . Supra tamen eadem Oratione contra-[illegible]mari videtur : *Cum P. Ceſetius* (Quæſtor) (Legatus C. Verris) *decem navibus bis* [illegible]*rent* ; & paulò poſt : *Siculone homini,*

Legati,

Legati, *Quæſtoris*, *Prętoris denique poteſtatem*, *honorem*, *auctoritatem dari?* & rurſùs: *Ubi Quæſtores? ubi Legati? ubi ternis denariis æſtimatum frumentum?* cum enim ubique nominetur Quæſtor ante Legatos, non ſolùm major illius dignitas patet, ſed etiam præcipuum quoddam jus, ut rei militaris curam in locum Prætoris habere debeat. Quòd ſi de provinciis Prætores decederent, antequam mitteretur à Senatu Succeſſor, dubium non eſt, quin plerumque præponeretur Quæſtor Provinciæ; ſicut traditur Epiſt. 15. lib. 2. ubi Cicero, cum Cœlium Quæſtorem ſuum Ciliciæ, quam ipſe adminiſtraverat, præfeciſſet, ita ſcribit ad Cœlium familiarem: *puerum*, *inquis*, *at Quęſtorem*, *at nobilem Adoleſcentem*, *at omnium ferè exemplo*; ſignificans, omnes ferè conſueviſſe Quæſtorem anteferre Legatis. Qui licèt ad rem militarem gerendam ſocii Prætoribus darentur, nihilominùs minoribus negotiis ſic operam dabant, juſſu Prætoris, ut, ſi quid majoris momenti accideret, poſtponerentur Quæſtoribus, quibus erant inferiores dignitate.

Ego quidem liberè, quid ſentiam, expoſui; tuum erit, Clientem, qui ſe tibi in diſciplinam tradiderit, ab errore devium revocare. Vale. Kal. Mart. A. S. 1697.

EPISTOLA DECIMAQUARTA.

AD AMICUM N. N.

De Metellis.

MEtellorum plurimos Conſulatus, Cenſuras, atque Triūphos, unà eademq; ętate Roma vidit, ut jure videatur ceciniſse Poeta, fato quodam Metellos Conſules fieri; cum interea Macedonici, Dalmatici, Balearici, Cretici nomina ex domitis gentibus reportarent. Hinc multus variuſq; de illis ſermo in Cicerone, aliiſq; Romanorum rerum Scriptoribus; hinc non eadem Interpretum ſententia, cujuſnam quoquo loco mentio fiat. Vt has lites componam, Tu mihi Judex eſto, Vir erudite, dum Cęciliani Stemmatis paruam quandam, eamq; noviſſimam partem explico, & ſuos unicuiq; titulos, atque inſignia honorum inſcribo. Quid mihi, inquies, cum Metellis? audio, neque me ſanè quęrere id ipſum attinet; neutri verò inſolens erit diſputatio, quæ de Antiquitate inſtituitur, iis, quibus familiaris eſt M. Tullii lectio, nonnihil etiam profutura.

Verrina 3. hæc habentur de C. Verre Prætore Urbano, cum is ex Sen. Conſulto neſcio quid in Templo Caſtoris reficiendum curaſſet: *Cui manubias ſibi tantas ex L. Metelli manubiis fecerit*. Omnes de L. Metello Dalmatico id intelligi volunt, qui, victis Dalmatis, de manubiis hoſtium Ædem Caſtoris refecerit; quod an verum ſit, diligenter examinare neceſſe eſt. Cicero Oratione pro M. Scauro: *L. ipſe Metellus, avus hujus, ſanctiſſimos Deos illo conſtituiſſe in templo videtur,*

in veſtro conſpectu, Judices, ut ſalutem à vobis Nepotis ſui deprecarentur. quæ verba cum exponeret Aſconius, *Caſtoris*, inquit, *&* *Pollucis templum Metellus, quem nominat, refecit*. Quæ difficultas ut percipi magis poſſit, de Metellorum familia quædam ſtatim notanda ſunt, ac deinde proſequar in ſequentibus. Fuerunt itaque Fratres germani.

Q. Metellus Macedonicus, & L. Metellus.

Quintus Conſul fuit cum Ap. Claudio, anno V. C. 607. Cenſor deinde cum Q. Pompeio; ac tũ primùm duo ex plebe Cenſores ambo ſimùl creati ſunt, ut advertit Sigonius in Faſtis. Lucius anno ſequenti 608. Conſul fuit cum Q. Fabio Maximo. & utrique filii nati ſunt, qui recenſentur.

Ex Q. Metello

Quintus, Lucius, Marcus, & Cajus.

Ex L. Metello

Lucius, & Quintus Numidicus.

Ex filiis Q. Metelli Macedonici, Quintus Conſul creatus eſt anno V. C. 627. cum T. Quinctio, & dictus eſt Balearicus, cum de Balearibus triumphaſſet, iſque Cenſor fuit triennio poſt. Lucius Collega in Conſulatu Q. Mucii, miſſus adverſùs Dalmatas, anno 633. iis devictis, Dalmatici nomen accepit, neq; tamen, ut Cenſor fieret, obtinuit. Marcus Conſulatum geſſit cum M. Æmilio Scauro, anno 635. & de Sardis triumphavit, Eutropio teſte. Cajus Caprarius dictus, Conſul cum Cn. Papirio anno

V. C.

V. C. 637. Cenſor etiam fuit anno 648. Mario iv. & Catulo Coſſ. & Collegam habuit in Cenſura fratrem Patruelem Q. Metellum Numidicum. Ex filiis autem L. Metelli, Lucius Conſul fuit cum L. Aurelio, anno 631. Cenſor deinde cum Cn. Domitio, & Pontifex Maximus. Q. Metellus Numidicus Conſul cum M. Silano, anno V. C. 641. Cenſuram geſſit cum C. Metello Caprario, ut dictum eſt, L. Metellus L. Filius Cæciliam filiam habuit, quæ nupta M. Æmilio Scauro peperit M. Scaurum, quem de Repetundis accuſatum defendit Cicero; nupta deinde L. Syllæ Dictatori Fauſtum Syllam genuit, & Fauſtam Milonis uxorem. Cum hæc omnia Veterum Scriptorum auctoritate nitantur, Manutius tamen ad Orationem pro Sextio, putat cum Cn. Domitio Cenſorem fuiſſe, anno 635. L. Metellum Dalmaticum, non illum alterum Lucium L. Filium; ſed omninò fallitur, ut infra oſtendam manifeſtè. hic duo diverſa Aſconii teſtimonia conciliandа ſunt, qui ad Verrinam 3. dixerit, Ædem Caſtoris de manubiis Dalmatarũ à L. Metello Dalmatico extructam fuiſſe, cum ad Orationem pro Scauro, eam à L. Metello L. Filio, Pontifice Max. refectam fateatur. Anno igitur V.C. 635. L. Metellus Pontifex Max. Cenſor fuit cum Domitio, M. Metello, & M. Scauro Coſs. ut notat in ſua Chronologia Caſſiodorus, & ex Liviana Epit. lib. 62. colligitur. Eodem ferè tempore, L. Alter Metellus, Q. Filius de Dalmatis triumphavit, ſicut ex laudato loco Epit. Livianæ patet, & ex Eutropio, qui lib. 4. hæc tradit: *Duo Metelli fratres eodem die alterum ex Thracia* (ex Dalmatia videtur meliùs legendum) *ex Sardinia alterum triumphum egerunt*; quod non potuit, niſi M. Metello Conſule, aut paulo poſt, contingere.

Q 2 His

His prælibatis, cum munus Cenſorum eſſet, Sacras etiam Ædes curare, & reficere, factum eſt, ut L. Metellus L. Filius, Cenſor eo anno, quo de Dalmatis triumphavit L. Metellus Q. Filius, Ædem Caſtoris reficeret de manubiis fratris ſui Patruelis. ſic porrò utrumque verum eſt, & L. Metellũ, L. Filium extruxiſſe Ædem Caſtoris, & de manubiis Dalmatarum eam fuiſſe refectam. nunc demùm & alia quædam videamus.

Verrina 5. ita Cicero, cum P. Servilii ſummam in adminiſtranda Provincia temperantiam laudaret: *non ſtatuit ſibi quidquam licere, quod non Patrem ſuum, non Avum Q. Metellum facere vidiſſet*. Quiſnam eſt iſte Q. Metellus? Numidicus, ait Manutius, cui, ut ferè in cæteris omnibus, Frigius temerè aſſentitur; & hunc putant fuiſſe Auum maternum P. Servilii Iſaurici. multa ſuprà de Metellis dicta ſunt, nunc & alia quædam ſubiiciam. Q. Metellus Macedonicus, præter quatuor Filios, ſicuti demonſtratum eſt, duas etiam filias habuit,

Cęciliam nuptam P. Servilio, & Cęciliam alteram nuptam P. Scipioni.

Ex prima natus eſt P. Servilius Iſauricus, ex altera P. ille Scipio, cujus fit mentio in Oratione pro Roſcio Amerino, Pater P. Scipionis, qui adoptatus à Q. Metello Pio Numidici filio, Socer fuit Cn. Pompeii. L. Metellus Macedonici frater, & ipſe pręter duos filios, Lucium, & Q. Numidicum, filiam habuit Cęciliam, quæ nupta L. Lucullo, L. illum Lucullum peperit, qui contra Mithridatem bellum geſſit; cum Frater ejus Numidicus Pater Metelli Pii, nullam filiam habuerit. Singula cõfir-

firmanda ſunt Ciceronis teſtimonio; & quidem Oratione poſt Reditum in Senatu hæc legimus: *non Luculli, Servilii, Scipiones, Metellarum filii*; hoc eſt, L. Lucullus Numidici ex ſorore Nepos, ideòque cum de Numidico ageretur nominatur primo loco, P. Servilius Iſauricus, & P. Scipio nati ex filiabus Macedonici. Deinde notandus eſt locus Orationis pro Domo ſua: *Atqui C. Atinius patrum memoria, bona Q. Metelli*(omnes conſentiunt, hunc eſſe Macedonicum) *qui eum ex Senatu Cenſor ejecerat, Avi tui, Q. Metelle, & tui, P. Servili, & Proavi tui, P. Scipio conſecravit*. nam Macedonicus Auus Paternus fuit Q. Metelli Cretici, Maternus P. Servilii, & Proauus maternus P. Scipionis illius, qui fuit Socer Pompeii Magni. Tertiò, proferatur in medium Verrina 6. ubi hęc ſunt: *facilè eſt perſpicuum, quantum inter hunc*(L. Metellum Siciliæ Prætorem) *& illum Numidicum, verum, & germanum Metellum, intereſſet; illum noluiſſe ſua laudatione juvare L. Lucullum*(Virum Prætorium, Patrem L. Luculli Conſularis) *Sororis Virum*, de Repetundis accuſatum; Soror igitur Numidici nupta fuit L. Lucullo. cæterùm nullam fuiſſe Filiam Numidico, illud argumento eſſe poteſt, quòd Q. Metellus Pius, ejus filius, cum in ſubſidium familiæ adoptare quempiam vellet, neque L. Lucullo liberi eſſent grandes natu, P. Scipionem Pronepotem Macedonici prælegit; pręelegiſſet autem Sororis filium, ſi qua illi Soror ex Patre Numidico fuiſſet, P. Servilium ſcilicet, juxta Manutium. Quamobrem hoc maneat, P. Servilii Iſaurici fuiſſe Auum maternum Q. Metellum Macedonicum, quod ad iſtam Quæſtionis partem maximè pertinebat.

Oratione poſt reditum in Senatu, inter illos, qui Populo ſupplicaſſe dicuntur pro Numidico, hi etiam commemorantur: *Non L. & C. Metelli Conſulares*; ex quatuor enim Macedonici filiis, hi duo tãtùm vivebant, cum reſtitutus eſt in Patriam Numidicus, qui exulabat pulſus à Saturnino, anno V. C. 651. Quintus, & Marcus jam mortui fuerant. Hoc demùm loco audiendus eſt Vellejus, qui ſic de Macedonico ſcribit lib. 1. *Mortui ejus lectum pro Roſtris ſuſtulerunt quatuor Filii; unus Conſularis, & Cenſorius* (Quintus Balearicus) *alter Conſularis* (Lucius Dalmaticus) *tertius Conſul* (Marcus) *quartus Candidatus Conſulatus, quem honorem adeptus eſt*. Eodem anno Cenſores erant L. Metellus L. Filius, & Cn. Domitius, ut conſtat ex Faſtis, & Caſſiodoro; tredecim poſt annos, Q. Metellus Numidicus, & C. Metellus Caprarius Cenſores fuerunt, Coſſ. Mario, & Catulo; de quibus idem Vellejus lib. 2. *Cenſura Metellorũ, Patruelium, non germanorum Fratrum fuit*. Allucinatus eſt autem Manutius ad Orationem pro Sextio, cum fecit Collegã Domitii in Cenſura L. Metellum Dalmaticum, filium Macedonici; idq; colligitur ex ea poſt Reditum ad Quirites: *non ut pro Q. Metello clariſſimo Viro, jam ſpectata ætate filius; non L. Dalmaticus Conſularis, ſumma auctoritate Vir; non Q. Metellus Cenſorius; non eorum Liberi*. Si enim Dalmaticus Cenſor fuiſſet, non omiſiſſet Cicero titulum, ſicut non omittit, cum alterum Metellum ſtatim nominat. Deinde apparet in citatis Ciceronis verbis mendum ineſſe; non *Q. Metellus*, ſed C. *Metellus Cenſorius* legendum eſt. quòd ſi Quintus Balearicus, qui triennio poſt Conſulatum Cenſor fuit, viuus adhùc tunc temporis fuiſſet, procul dubio ante Lucium nominandus erat, quippe Cenſorius, & antiquior

Con-

Conſularis ; hinc Oratione ſequenti ſine mendo : *non L. & C. Metelli Conſulares , non eorum Liberi* . Tandem obſervandum eſt, ex eorum Liberis unum fuiſſe Q. Metellum Creticum , Collegam in Conſulatu Q. Hortenſii . itaque perperàm Florus lib. 3. Cap. 8. *Quatenùs Metelli Macedonici domus , bellicis nominibus aſſueverat ; altero ex Liberis ejus Cretico facto , mora non fuit , quin alter quoque Balearicus vocaretur*. Nam neque Creticus Macedonici filius fuit, ſed ex filio Nepos, ut ex Oratione pro Domo ſua manifeſtum fecimus , & habita ratione temporum per ſe patet; & ille multò priùs de Balearibus, quàm hic de Cretenſibus triumphavit.

Conſultus in Senatu Cicero de Haruſpicum Reſponſis, hoc eſt rogatus ſuo loco ſententiam , cum quædam inimicorum, maximèq; Clodii objecta dilueret, commemoravit omnes Pontifices, qui de ſua Domo, cognita cauſâ, reſponderant : *At verò meam Domum P. Lentulus Conſul , & Pontifex , P. Servilius, M. Lucullus, Q. Metellus*, & cæt. Hunc autem exiſtimat eſſe Manutius Q. Metellum Nepotem collegam Lentuli in Conſulatu, quem idcircò miratur non eſſe ſtatim nominatum poſt P. Lentulum, & Conſulem appellatum . Quid ſi Metellum Creticum eum fuiſse dicamus ? cujus meminit Cicero Epiſt. 14. lib 1. Ad Atticum, ſcripta Q. Metello Celere , & Q. Afranio Coſs. *Legati ſunt Q. Metellus Creticus , & L. Flaccus*. Oratione in Piſonem , ii omnes nominatim appellantur , qui benè geſta Provincia , triumphaverant : *P. Servili , Q. Metelle, C. Curio;* cumque ſignificari non poſſit, niſi Creticus , qui de Creta Inſula nobilē triumphum egerat, fateamur neceſſe eſt, eum vixiſſe iiſdem temporibus , quibus hæc dicebantur . Sic à Cicerone

dignitatis ordo rectè ſervatur, quod ſemper facit; nam Lentulum primùm nominat Conſulem ſimul, & Pontificem; deinde Servilium antiquiſſimum Conſularium ex Pontificibus, & reliquos omnes ſuo loco. Prçterea repetendum eſt illud pro Domo ſua: C. *Atinius Patrum memoria, bona Q. Metelli* (Macedonici) *qui eum è Senatu Cenſor ejecerat, Avi tui, Q. Metelle; & tui, P. Servili, & Proavi tui, P. Scipio, conſecravit*. Q. Cæcilii Metelli Macedonici hi filii fuerunt ex dictis, Quintus, Lucius, Marcus, & Cajus; Cçcilia, & altera Cæcilia. Ex Quinto natus eſt Q. Metellus Nepos, qui Conſul fuit cum T. Didio, anno V. C. 652. Pater hujus alterius Nepotis, de quo quæritur; hinc pro Sex Roſcio: *quaſi verò neſcias, hunc & ali, & veſtiri à Cęcilia Balearici filia., Nepotis ſorore*. hęc alia Cæcilia ſoror erat primi Nepotis, quippe filia Quinti Balearici. Ex Lucio, ſeu Cajo natus eſt Q. Metellus Creticus, cum uterque liberos habuerit, ut in ca poſt Reditum ad Quirites: *non L. Dalmaticus Conſularis, ſumma auctoritate Vir, non* C. *Metellus Cenſorius, non eorum Liberi*. Ex filiabus altera nupta P. Servilio peperit P. Servilium Iſauricum, altera nupta P. Scipioni filium habuit P. Scipionem illum, qui unus erat ex Advocatis Sex. Roſcii in cauſa de Parricidio, Patrem hujus, qui numeratur inter Pontifices, quique adoptatus à Q. Metello Pio, poſteà Socer fuit Pompeii Magni. Quamobrem Orator optimè Macedonicum vocat Proauum quidem Scipionis, Auum autem tùm Metelli Cretici ex filio, tùm Servilii Iſaurici ex filia. Quòd ſi Metellus ille Pontifex, Nepos fuiſſet Collega P. Lentuli, non Creticus, juxta Manutium; Proauum habuiſſet, non Auum Macedonicum. Hactenus de Q. Me-

Metello, nunc & de Scipione diſputabimus. cur enim Quintus appellatur Oratione de Haruſp. Reſpóſis, & Publius pro Domo Sua? alteruter certè locus videtur eſſe corruptus; atq; adeò Com̃entatores emendant, & pro Quinto Publium reponunt. Utraq; tamen lectio germana, & legitima eſt, quod ſic brevitèr oſtendo: P. Scipio adoptatus eſt à Q. Metello Pio, ut ſupra diximus: proindeq; nominibus commutatis, Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio dictus eſt; ſicut in Faſtis Conſularibus. at, ſi quandò privatim appellaretur, non Q. Metellus, ſed P. Scipio nomen illi erat, & vulgò talis audiebat. Eadem ratione M. Brutus ita paſſim ab omnibus nominatus, Philippica 10. in Sen. Conſulto Q. Cæpio Brutus dicitur, utpote ab ejus Avunculo Q. Servilio Cæpione adoptatus; quòd in literis, monumentiſque publicis adoptantis familiæ nomina retinebantur, ac Gentis, quæ relicta fuerat, Cognomen tantummodo manebat. Quæ cum ita ſe haberent, rectè quidem Oratione pro Domo ſua, P. Scipio dicitur, privatim appellatus à Cicerone, cum Macedonicũ Proavum maternum haberet, ut Scipio, non ut adoptatus à Metello; quo modo Proavus illi paternus erat L. Metellus Macedonici frater. hac verò de Haruſp. Reſp. nominatur ut Pontifex, & publico Sacerdotio inſignitus, quem profectò locum occupaverat ut Plebejus, & adoptatus, non ut Patritius; neque omitti poterat Prȩnomen Metelli, qui adoptaverat. Igitur brevitatis gratia Q. Scipio, non Q. Metellus Scipio vocatur, quemadmodum ſi Q. Brutus, non Q. Cæpio Brutus diceretur. Similitèr in Verrinis, ubi legitur: *Uſq; ad M. Terentium, & C. Caſſium Coſſ.* nihil eſt mutandũ, quamvis Manutius in Scholiis ad Aſconium, Terentii Conſulis mentionem iis temporibus

bus non inveniat ; idem enim eſt Lucullus à M. Terentio adoptatus.

Huc uſque tamen nobiliſſimæ Familiæ virilem ætatem, ipſamque Senectutem mirati ſumus; nullus extitit poſt confecta bella Civilia, dignus Majorum ſuorum laude Metellus. Vale. X. Kal. Jun. A. S. 1697.

EPISTOLA DECIMAQUINTA.

AD NOB. N. N.

De Cn. Pompejo.

OPtimè facis, quòd noſtris hiſce Recentioribus temporis haud multum impendis, dies noctesque in Veterum lectione verſaris. quis enim, cùm puriſſimos fontes habeat, rivulos conſectetur? Verùm, ut Poeta cecinit, quandoque etiam bonus dormitat Homerus. nihil proinde credendum temerè, omnia ſunt in diſceptationem vocanda; denique cavendum in primis, ne quando Pythagoricum illud, Ipſe dixit, nos in errorem inducat. Ais, de Cn. Pompejo, ejuſque rebus geſtis, Ciceronem, Vellejum, Florum, alios præterea ſic inter ſe diſſentire, ut vix, ac ne vix quidem certi quippiam definiatur. non repugno; quin ex eorumdem Scriptis, ſi conferantur ad invicem, veritas erui poſſit, hoc nego. Oſtendam id breviter, ut ſoleo, nullumque mihi elabi ſinam Objectum, cui non occurram, ut quid alibi ſentiendum ſit, omnes intelligant.

Oratio pro lege Manilia omnia nobis ſuppeditabit, quæ diſputanda ſunt de Cn. Pompejo: *Qui*

è In-

è ludo, atque pueritiæ diſciplina, bello maximo, atque acerrimis hoſtibus, ad Patris exercitum, atque in militiæ diſciplinam profectus eſt. Dubitare poſſumus, quodnam illud bellum fuerit, quo Cn. Pompejus vix pueritiam egreſſus militaverit cum Patre; Socialene, ſeu Italicum, an alterum, quod deinde cum Cinnana factione geſſit. Italicum ſignificari vult Commentator noſter, Pompeii Patris virtute maximè confectum, de quo Florus lib. 3. *Strabo Pompejus omnia flammis, ferroque populatus, non priùs finem cędium fecit, quàm Aſculi everſione.* & ſanè non videtur Cinnanus tumultus appellari poſſe bellum, & acerrimi hoſtes, Cives inter ſe diſſentientes. Verùm conjecturis quibuſdam impulſus contrariam potiùs partem defendo; nam & Florus, aliique Romanarum rerum Scriptores iniquitatem illā Cinnani temporis bellum dixere, & probabile eſt, Cinnam, cui abrogatus fuerat Conſulatus, & eos, quos ille ſecum haberet, hoſtes à Senatu judicatos fuiſſe; quod factum deinde in M. Antonium, & Dolabellam, colligitur ex Philippicis. De hoc bello ita Vellejus lib. 2. *dum bellum autem infert Patriæ Cinna, Cn. Pompejus Magni Pater* (quibuſdam omiſſis) *magno, atrocique prælio, cum Cinna conflixit;* cui quidem bello interfuiſſe Pompejum filium, teſtatur Plutarchus in ejus vita: *Cum bello, quod Pater contra Cinnam gerebat, adhùc admodùm adoleſcens mereret.* Præterquam quod natus Cępione, & Serano Coſſ. nondùm annos decem, & ſeptem compleverat, Patre contra Italicos populos pugnante; quo tempore ut plurimùm, depoſita puerili Prætexta, ſumebatur Toga virilis. Sed liceat hunc locum in utramque partem tractare, etiamne illum alterum, qui infra habetur? nam ubi de Imperiis

ex-

extraordinariis Pompejo delatis agitur, ſic loquitur Cicero: *quid tam novum, quàm adoleſcentulum privatum, exercitum difficili Reip. tempore conficere?* additque interpretationem idem Commentator: *Jtalico bello periclitante Rep.* Ne fruſtra tempus terere videar, referendo, quæ graviſſimi Auctores, Appianus, Dio, Plutarchus tradidere; ſatis erit Paterculum conſulere, qui lib. 2. hæc refert: *Sub aduentum in Jtaliam L. Syllæ, Cn. Pompejus viginti tres annos natus, privatis ut opibus, ita conſiliis magna auſus, firmum ex agro Piceno, qui totus Paternis clientelis refertus erat, contraxit exercitum.* Patet ſignificari bellum, quod Sylla ex Aſia reverſus cum Marianis geſſit.

Primum bellum cum Marianarum partiũ Ducibus geſſit in Italia Dux Cn. Pompejus ſub Sylla; victiſque Mario Juniore, & Carbone Coſſ. *Cujus à Senatorio gradu ætas longè abeſſet*, miſſus eſt ab eodem Sylla in Siciliam, ubi Cn. Carbonem, & in Africam, ubi Cn. Domitium & vicit, & interfecit: *Ante annum ætatis vigeſimum quartũ*, ſubjicit Manutius; *multos enim menſes in bello conſumpſit, modò victus, modò victor. triumphavit autem añò 24. Eutropio teſte, & Floro in Epit. Liv.* At in primis, in Hiſpania cũ Sertorianis dubio Marte pugnaſse Pompejum, ut victus etiam aliquandò fuerit, tradunt Hiſtorici omnes; in Sicilia, & Africa eadem ſorte bellum geſtum fuiſſe, nemo narrat. quomodo enim duas intra paucos menſes conficere Provincias potuiſset, niſi interrupto victoriarũ curſu uſus eſſet? Deinde natus Cn. Pompejus Cæpione, & Serano Coſſ. annũm proculdubio agebat vigeſimum quartum, cum profectus eſt in Siciliam adversùs Carbonem Conſulem; fac rediiſſe, ſimulque triumphaſse anno ſequenti, ex Africa, & Hiarba Rege; (quod vix probabile dixerim) ad-

huc habes, Pompejum quintum, & vigeſimum annum agentem, primum duxiſſe triumphum. Quid autem mirum eſt, aut Florum deceptum fuiſſe, ita ſępe in Romanarum rerum commemoratione negligentem, aut Eutropium viginti quatuor annos triumpho aſcripſiſſe? qui ſupra de eodem Pompejo per errorem à nemine excuſandum dixit: *quem adoleſcentem Sylla, annos unum, & viginti natum, cognita ejus induſtria, traditis exercitibus præfecit*. Ex Oratione pro Roſcio Amerino colligitur, L. Syllam Volaterras cępiſſe extremo anno ab V. C. 669. qui Conſules habuit Deculam, & Dolabellam; cumque veriſimile ſit, illum non triumphaſſe de Mithridate, niſi rebus omnibus in Italia pacatis, in añum ſequentem 670. quo ipſe Conſul fuit cum Metello Pio, Syllę triumphum transferendum puto; proindeque illum etiam alterum Cn. Pompeii, ut idem Eutropius ibidem affirmat: *Poſt hęc Sylla de Mithridate ingenti gloria triumphavit. Cn. etiam Pompejus (quod nulli Romanorum tributum erat) quartum, & vigeſimum annum agens, de Africa triumphavit*; hoc eſt poſt L. Syllam.

Hactenùs de bello, cui primùm interfuerit cum Patre, deque tempore, quo ex Africa triumphaverit Pompejus, dictum eſt; addam nunc de ipſo Triumpho quædam, de quo Cicero: *eam quoque rem Populus R. non modò vidit, ſed etiam omni ſtudio viſendam putavit*. Unde apparuit hoc tantum Populi ſtudium in Pompeii triumpho? definit rem totam Manutius his verbis: *arbitror, id totũ dici, quia triumphus ei extra ordinem datus eſt, cum eſſet adoleſcentulus, nondùm Senator*. quaſi in eo Populus ſuum in Pompejum ſtudium oſtenderit, quòd adhùc Adoleſcentulũ triumphare juſſerit extra ordinem. Quid verò uſq; ad

ja-

illud tempus obtinuerat Pompejus, quod extraordinarium non eſſet? privatus exercitum comparaverat, eidem ſine S. C. ſine lege Curiata præfuerat; Rep. perturbata, expeditionem in Siciliam, & inde in Africam ſuſceperat. quid ex his non extra ordinem, non contra leges, non contra inſtituta Majorum? ad idem genus triumphus etiam referendus eſt, cujus non minorem eſſe oportebat admirationem, quàm reliquorum. Cæterùm non videtur omittendum, quod ad illorum temporum condicionem ſpectat; poſtquam enim ſenior Marius, & Cinna, interfectis, expulſiſque inimicis, Romam occuparunt; omnia vi, atque armis, nihil per Senatum, nihil per Populum agebatur. ſanctiones legum, Magiſtratuum creationes, Judicia, Provinciæ ab eorum arbitrio pendebant, qui vicerant. Tota deinde Reip. facies multò magis immutata eſt ſub Sylla Dictatore, quippe qui res publicas, privataſque ita haberet in ſua poteſtate, ut nihil, eo invito, fieret, donec vel Dictator, vel Conſul fuit. ipſe proinde Pompejum, quem in Siciliam miſerat, inconſulto Senatu, & abſque ulla rogatione Populi, triumphare juſſit. Hinc Orator primum illum Triumphum commemorat hac ratione: *quid verò tam inauditum, quam Equitem R. triumphare? at eam quoque rem Populus R. non modo vidit, ſed etiam ſtudio omni viſendam putavit.* cum unus imperaret Sylla, nulla ſit Senatus mentio: Populus autem quid aliud præſtare poterat, quàm ut ſtudiosè pompam videret, ac triumphanti acclamaret? hoc eſt, ex indulgentia Dictatoris triumphavit Pompejus, cum adhùc eſſet Eques R. abſque ullo Sen. Conſulto, & Populi lege. Alterum porrò ductum ex Hiſpania triumphum ſic de-

deſcribit : *quid tam incredibile, quàm ut iterùm Eques R. ex Sen. Conſulto triumpharet ?* mortuo nimirùm Sylla, qui nihilominùs, Tribunicia poteſtate ſublatą, univerſæ Reip. adminiſtrationem ad Senatum, & ad Nobilitatem tránſtulerat, cum Populus neque in ferendis legibus, neque in decernendis triumphis ullam partem haberet ante Pompejum Conſulem, & Cornelium Tribunum pl. quorum Ille Conſul Tribunitiam poteſtatem reſtituit, Hic Tribunus pl. ne quis legibus ſolveretur ſine Populi rogatione, tulit.

Cum multa in Pompejo extrá ordinem facta fuerint, de quibus ſupra ſigillàtim; ultimò tùm Conſulatus, tùm alter ex Hiſpania Triumphus à Cicerone prædicantur his verbis : *Quid tam ſingulare, quàm ut ex S. C. legibus ſolutus, Conſul ante fieret, quàm ullum alium Magiſtratum per leges capere licuiſſet ? quid tam incredibile, quàm ut iterùm Eques R. ex S. C. triumpharet ?* Tria hoc loco quærenda ſunt; 1. qua lege ſolutus fuerit Pompejus, cum factus eſt Conſul; 2. quomodò nullum alium Magiſtratum capere tùm poſſet; 3. quare Eques R. dicatur. Primò igitur, cum poſt Syllæ Dictaturam, & uſque ad Tribuuatum C. Cornelii, Senatus legibus ſolveret, ſine Populi rogatione; hinc benè de Pompejo dicitur : *ex S. C. legibus ſolutus*. Qua verò lege ſolutus eſt ? non ea quidem, quæ inter Præturam, & Conſulatum biennium elabi jubebat, quia Prætor Pompejus non fuerat; ſed lege Villia, qua prohibebatur petitio Conſulatus ante annum 42. aliiſque duabus Corneliis legibus, quę ad Conſularem dignitatem eos non admittebant, qui Quæſtores, Prætoreſque non fuiſſent. Pompejus autem annum trigeſimum quintum agebat, & neque Quæſtor fuerat,

rat, neque Prætor. Non rectè proinde Manutius ad hunc locum: *decem annis, antequàm ei liceret per leges, Quæſtura nondùm geſta, ex Equite R. Conſul factus eſt*. tùm quia non meminit omiſsæ Præturæ, tùm quia ſeptem annis, non decem, ante legitimum tempus creatus eſt Conſul. Alterutrum enim falſum eſſe contendit; aut annum 42. non fuiſſe, tempus petendo Conſulatui lege Villia deſtinatum, contra omnium Eruditorum ſententiam; aut à Coſſ. Cæpione & Serano, ad Aufidium & Lentulum, triginta & duos, non triginta & quinque annos effluxiſſe, contra Conſularium Faſtorum auctoritatem. Neque præteribo, quod idem Commentator notat paulo poſt, Pompejum ex Hiſpania reverſum, ex S. C. triumphaſse, non ex Populi rogatione, quia Senatus eum, non Populus in Hiſpaniam miſerat. P. Æmilio iterùm Conſuli uter Provinciam Macedoniam tradidit, bellumque adversùs Perſeum, Senatuſne, an Populus? decretas à Patribus more veteri Provincias Conſules ſortiti ſunt, Livio teſte lib. 44. *Et Conſulum Æmilio Macedonia, Licinio Italia evenit*. à quibus victori Æmilio impetratus Triumphus dicitur? *Tribus iis omnibus* (ſc. Æmilio, Octavio, & Anicio) *decretus eſt ab Senatu triumphus, mandatumque Q. Caſſio Prætori, cum Tribunis pl. ex auctoritate Patrum ageret, rogationem ad plebem ferrent*. Cur, inquies, non etiàm de Pompejo eodem modo? quia tùm nihil per Populum, omnia per Senatum fieri ſolebant, ut alibi dicendum erit. Tandem quæri poteſt, cur priùs Pompeii Conſulatus commemoretur loco laudato Manilianę, quàm ſecundus illius de Hiſpania triumphus. patet autem reſponſio ex Verrina 2. *ipſe denique Cn. Pompejus, cum primùm concionem ad Urbem*

Con-

ſul deſignatus habuit; habuit eam concionem. Conſul deſignatus, & ad Urbem, hoc eſt cum imperio; quia non dabatur Imperatoribus in Urbem ingreſſus, niſi imperio depoſito, cujus ultimus erat dies, quo triumphabant. quòd ſi ante Triumphum Urbem ingreſſi eſſent, lex erat rursùs ferenda de illorum imperio, quod obtinerent die triumphi; ut de Pontino legimus Ep. 15. lib. 4. ad Atticum. Deſignatus fuit igitur Conſul Pompejus, antequàm de Hiſpania triumpharet; ſervavitque temporum ordinem Cicero.

Secundò, non video, cur Pompejo annos nato triginta quinque nullum alium Magiſtratum capere licuerit. Quid Manutius? *nullum enim*, inquit, *antea Magiſtratum, ne Quæſturam quidem, neque ceperat, neque per leges ei capere licuerat*. Geſtam non fuiſſe à Pompejo Quæſturam, inficiari non poſſum, quod Hiſtorici omnes fatentur; eundem non potuiſſe per leges creari Quæſtorem, hoc eſt, quod non probo. Quæ lex afferri poteſt, qua ab illo gerendo Magiſtratu (ſi Magiſtratus reipſa appellari poteſt Quæſtura) prohiberetur? an proptèr ętatem? ſcilicèt, cum triginta Catoni Uticenſi ſuffecerint, unus & triginta Ciceroni, anni quinque, & triginta non ſatis erant Pompejo. at enim hoc expreſse dicit Cicero; explanandus eſt Cicero. Ædilitas, qui Magiſtratuum Curulium primus erat, petebatur anno tantùm 36. & hinc apparet, non licuiſſe Pompejo per leges, ideſt per ætatem, ullum alium Magiſtratum Curulem capere. ita Gruchius lib. 1. de Comitiis. Pręterea, Lex erat, aut vetus reſtituta à L. Sylla, aut ab eodem Sylla primùm data, ne quiſquàm, omiſſa Quæſtura, alium petere

R Ma-

Magiſtratum poſſet; atque adeo Pompejo, qui ſine controverſia Quæſtor non fuerat, per eam legem nullum Magiſtratum capere licebat, ne dum Conſulatum. mihi utraque conjectura non contemnenda videtur, ſed neque tertia, quam attigi ſuprà, in dubium revocans, an re ipſa Quæſtura ſit Magiſtratus; cum interpretatio Adverſarii nullo modo poſſit admitti.

Tertiò, non eſt certum, quam ob cauſam Pompejus Eques R. dicatur. an quia non fuerat à Cenſoribus in Senatum lectus, ut alio loco Manutius exiſtimat? Poſt Syllam nulli fuere Cenſores, primùmq; creati ſunt ab ipſo Pompejo Conſule, Gellius & Lentulus. quid ergò ut; rem ſingularem prędicat Cicero de Pompejo, triumphaſſe illum, cum adhùc Eques R. eſſet, ſi nulla ratione legi in Senatum potuit, quòd nulla foret in Urbe Roma Cenſura? quid ſi ne Pompejus quidem Cenſores creaſſet, ipſe autem non fuiſſet ſolutus legibus, ut Conſulatum capere poſſet; an illi nunquàm in Senatum aditus patuiſſet? qui enim fieri Senator poterat? an lectus à Cenſoribus? nulli erant, qui Senatum legerent. an per Conſulatum? omiſſio Præturæ ſpem omnem Conſulatus tollebat, niſi legibus ſolveretur. an per Præturam? at ei non licebat petere Præturam, qui Senator non eſſet, ipſo teſte Manutio. an per Ædilitatem, vel Tribunatum? at quomodo alteruter ex his duobus Magiſtratibus neceſsarius erat ad Senatorium Ordinem conſequendum, ſi neuter pro petenda Prætura requirebatur? Imo verò ex eodem Cicerone conſtat, Pompejum Conſulem deſignatum, & Equitem R. iterùm triumphaſse; nempe erat adhuc Eques R. cum tamen eſset deſignatus Conſul. Nunc de Cato-

tone : hic deſignatus Tribunus pl. dixit ſententiam in Senatu contra Conjuratos. quo jure Senator erat? quia Deſignatus Tribunus? nequaquàm, nam neque Pompejus Conſul deſignatus deſiit eſse Eques R. an quia lectus fuerat in Senatum à Cenſoribus? multo minùs, qua ſub Cenſoribus Gellio, & Lentulo, quatuor tantùm, & viginti annos agebat, ideoque ætate excludebatur. poſt illos nulli alii Cenſores fuerunt ante Tribunatum Catonis, qui luſtrum condere, & Senatum legere potuerint, ut oſtendit Sigonius in Faſtis. Nimirùm Quæſtura Catoni Senatorium ordinem dedit, ſicut alibi diſputabam; eademque fuit ratio, cur Pompejus de Hiſpania triumphans, eſset Eques R. quòd non fuerat Quæſtor; cum patere Curiam iis, qui Quæſturam geſſiſsent, L. Sylla Dictator, lege lata, voluerit.

Nullum ferè bellum iis temporibus geſtum eſt ſine Pompejo, cui cuncta promiſcuè deferebantur; te abſente, quem unum ſtudiorum meorum imitatorem colo, ac diligo, requieſcit mihi ſtylus, torpet ingenium. Vale. Kal. Sept. A. S. 1696.

LIBRI TERTII

EPISTOLA PRIMA.

AD NOB. N. N.

De Lege Ælia, & Fuſia.

EX tot, tantiſque Romanarum rerum Commentatoribus nemo fere eſt, qui non multa paſſim attingat de lege quadam veteri Ælia Fuſia, deque Augurum, ac Magiſtratuum nunciatione, cujus in impediendis, aut dirimendis Populi Comitiis mira vis erat. quis abſolviſſe diſputationem, palmamq; tuliſſe dicatur? vereor, ne arrogantię notam ſubeam, ſi denegem omnibus; quem autem cęteris præferam non habeo. Te, qui mihi dubio procul inſtàr omnium futurus eſſes, qui fieri poteſt, ut hoc maximè tempore conveniam, in aliis rebus occupatum, tantoque locorum intervallo diſiunctum? Igitur audendum eſt aliquid, quo me voti compotem faciam; committam Epiſtolę, quicquid ad hanc ipſam rem arbitror pertinere, fretus ſingulari tua humanitate, ac benevolentia, quà me ſoles amplecti, meiſq; conatibus vel laudator, vel emendator accedere.

Oratione pro Sextio commemorantur Decreta Senatus pro reſtituendo Cicerone, & eorum alterum cavebat, dum lex ferretur de illius reditu, *Ne quis de Cęlo ſervaret, ne quis moram ullam afferret; ſi quis aliter feciſſet, eum planè everſorem Reip. fore, idque Senatum graviſſimè laturum*. Clodius Tribunus pl. anno ſupe-

ſuperiore legem tulerat, ne quis de cœlo ſervaret, atq; ita Obnunciationem è Rep. ſuſtulerat; quid igitur neceſſe erat decernere, ne illud fieret, quod fieri per legem Clodiam non licebat? Reſpondet Commentator: *non abrogata quidem fuerat ea lex, ſed Senatus decernebat, quaſi ea nunquàm lata fuiſſet*; hoc eſt, non putabat eam eſſe legem. O rem planè incredibilem! ſi quid promulgabatur, quod Remp. læderet, & Optimates affligeret, tùm lex Clodia valebat; ſi quid ferendum erat pro reſtituendo bonorum ſtatu, pro dignitate Nobilium, pro libertate, nullius tùm ponderis, aut momenti eſſe putabatur, Patribus ipſis, quos repugnare oportebat, auctoribus? In Oratione de Provinciis, ſummi Civitatis Viri, *Illud jure rogatum dicere auſi ſunt, quod nullo exemplo fieri potuit, nulla lege licuit, quia nemo de Cœlo ſervarat*. cur nemo ſervarat? quia impediebantur lege Clodia. Legem igitur Clodiam probabant, cum de pellendo in exilium Cicerone ageretur; cum idem ipſe reſtituendus eſſet, non probabant? At quanta gravitate Senatus frequens decrevit in eum Magiſtratum, qui ſervaſſet de cœlo! *Si quis aliter feciſſet, eum planè everſorem Reip. fore, idque Senatum graviſſimè laturum, & ut ſtatim de ejus facto referretur*; non tamen ſe Magiſtratui obnuncianti obtemperaturum eſſe negabat, & everti Remp. mallebat, quàm agi cum Populo, cum quis de Cœlo ſervaſſet. Optimè; quamobrem autem Vir ampliſſimus M. Cato, eadem Oratione de Provinciis, de Ciceronis exilio latum jure dicebat? quia *auſpiciorum religione conſervata*, latum fuerat, quia nemo de Cœlo ſervaverat. An cum legem illam ſuam tulit Clodius, ne quiſquam ſervaret

in poſterum de Cœlo, de Cœlo quiſquam ſervaſſe dicitur? nihil minùs. cur non in omnibus actis P. Clodii non eadem ſit auſpiciorum ratio? cur valent reliqua etiam in perniciem Reip. quòd nemo de Cœlo ſervare potuerit; Lex, quæ prohibet ſervare de Cœlo, non valet, cum, illam ferente Clodio, nemo ſervaverit? quam unam Legem ſi Clodius non tuliſſet, nihil eorum, quæ deinde geſſit, ratum fuiſset. Fac decreviſse Senatum, tanquàm ſi lex Clodia nunquàm fuiſset lata; etiamne reliqui Magiſtratus eam nullam eſse arbitrabantur? In Sextiana: *Si obnunciaſſet Fabricio is Tribunus pl. qui ſervaſſe de Cœlo diceret, accepiſſet Reſp. plagam, ſed eam, quam acceptam gemere poſſet*, paulo poſt de Sextio: *venit in Templum Caſtoris, obnunciavit Conſuli*. deinde: *cumque auſpiciis, religionique parens obnunciaret, quod ſenſerat*. Epiſtola 3. lib. 4. ad Atticum: *Proſcripſit, ſe ſuper omnes dies Comitiales de Cælo ſervaturum*, & pergit referre, quomodo Appius Miloni, Metello Conſuli Milo obnunciaverit. Ex quibus colligi poteſt, non modò Senatum, verùm omnes etiam Magiſtratus exiſtimaviſse, non eſse è Rep. ſublatam obnunciationem. An verò legem Clodiam nullam eſse putabant? at leges omnes, niſi abrogarentur, quæcumque illæ eſsent, inutiles quoque, & pernicioſæ, ratæ erant, ut docet Aſconius in Cornelianam. quid igitur dicendum?

Quoties in Clodium Cicero invehitur, quod multis Orationibus facit, toties incredibili illius ſcelere ſublatas è Rep. leges Æliam, & Fuſiam conqueritur; de quibus cum inſtituenda mihi ſit diſputatio, omittam aliorum dicta refellere, quo me celerius expediam, & rem omnem quanta maxima potero brevitate complectar. Quæram autem

tem 1. utrum duæ diverſę leges eæ ſint, an una, & eadem; 2. quo tempore, & à quibus latæ fuerint; 3. quid duæ illę leges præſcriberent; 4. quomodo à Tribuno pl. Clodio ſublatę dicantur. Quod attinet ad primum; Ciceronis verba attendenda ſunt. In Piſonem: *Lex Ælia, & Fuſia everſa eſt, propugnacula, murique tranquillitatis, atque otii.* poſt Reditum in Senatu: *Ut lex Ælia & Fuſia ne valerent, quæ noſtri majores certiſſima ſubſidia Reip. contra Tribunicios furores eſſe voluerunt.* in Vatiniū: *Cum, te tribuno, eſſet etiam tùm in Rep. lex Ælia, & Fuſia; quæ quidem leges anno poſt, una cum auſpiciis, cum interceſſionibus, cum omni jure publico conflagraverunt.* de Har. Reſponſis: *Suſtulit duas leges, Æliam, & Fuſiam, maximè Reip. ſalutares.* Ex his porrò locis manifeſtum eſt, duas diverſas leges fuiſse Æliam, & Fuſiam, licèt iis verbis ſæpe numero de utraque fiat mentio, (quod erit infrà expendendum) ut una, & eadam eſse videatur Hotomano, Frigio, & aliis quibuſdam Interpretibus.

Quinam verò, & quo tempore, leges illas tulerint, nihil certi habemus, quod affirmare poſſimus. Cicero quidem in Piſoniana ita queritur: *centum propè annos legem Æliam, & Fuſiam tenueramus.* & in Vatinium: *Sanctiſſimas leges Æliam, & Fuſiam dico, quæ in Gracchorum ferocitate, & in audacia Saturnini, & in colluvione Druſi, & in contentione Sulpicii, & in cruore Cinnano, & inter Syllana arma vixerunt.* Hinc patet, legis Ælię latorem non fuiſſe Q. Ælium Pætum, qui anno V. C. 583. Conſul fuit cum M. Junio; nam ab eo Conſule ad Clodium Tribunum pl. centum, & no-

vem anni recenſentur, non *propè centum*, ut ait Orator, qui tamen ſingula ſolet amplificare; cumque ex Ælia Gente nullum poſtea Conſulem habeamus, non à Conſule, ut vult Hotomanus, ſed à Tribuno pl. Ælio quodam latam eam legem fateamur neceſſe eſt. Quòd ſi Æliam quidem Tribunitiam, Fuſiam autem Conſularem dicamus, quam tulerit P. Fuſius Conſul anno 614. cum Sex. Attilio; profectò ante Fuſii Conſulatum jam lata fuerat lex Ælia, cum ſemper, ratione temporis habita, nominetur ante Fuſiam, ſicut ex ſuprà citatis locis colligitur. vel certe Tribunitia utraque eſt, eaſque Ælius, & Fuſius Tribuni pl. eodem ferè tempore, quamvis non eodem anno, promulgarunt aliquantò ante ſeditiones Gracchorum.

Hæc porrò leviora videntur; definire, quid tandem iis legibus præſcriberetur, hoc opus, hic labor eſt. Ælia lege factum fuiſſe dicunt, *Ut quoties ageretur cum Populo, Magiſtratus ſervare de Cœlo, & obnunciare poſſent, utque obnunciatione illa Magiſtratuum impedirentur Comitia*, & hac in re facilè reliquis aſſentior. quid Fuſia? *Ut certis diebus*, inquiunt, *qui tamen faſti eſſent, agi cum Populo non liceret*, quod non probo. Si enim lex Fuſia vetabat habere Comitia quibuſdam faſtis diebus, quos ipſa definierat; neceſſariò conſequitur, diebus aliis Faſtis, quos Lex non exceperat, haberi Comitia potuiſse. At omnes docent, auctore Macrobio Saturn. lib. 1. cap. 16. dierum, qui non erant feſti, & dicebantur profeſti, ex inſtituto Numæ, alios fuiſſe faſtos, quibus licebat Prætori jus dicere; alios comitiales, quibus cum

Populo agendi facultas erat ; diebus autem faſtis , hoc eſt non comitialibus, non licuiſse indicere comitia populi, ſeu legum ferendarum, ſeu Magiſtratuum creandorum cauſa. Quo igitur conſilio legem illam ſuam Fuſius tulit ? an ne certis diebus faſtis poſsent Magiſtratus cum Populo agere? Sed jam nefas erat lege Numæ , Comitia populi diebus omnibus, qui faſti eſsent, habere. an ut liceret agere cum Populo quibuſdam faſtis diebus ? nemo hoc unquàm dixit , aut in Romana Rep. uſurpatum legimus . Nunc Veterum teſtimonia , quę ad has Leges referuntur , videamus . Dio lib. 38. *Quamobrem Clodius metuens, ne ſi Ciceronem accuſaret, eo modo* (per Obnunciationem) *moram Judicio nonnulli iniicerent , rogationem tulit , ne quis , qui cum Magiſtratu eſset , his diebus , quibus Populus ſciſcere quicquam debebat, auſpicia caperet* . Aſconius de P. Clodio : *Alteram tulit legem , ne quis per eos dies , quibus cum Populo agi liceret , de cœlo ſervaret ; propter quam rogationem , ait Cicero , legem Æliam , & Fuſiam everſam eſſe . Obnunciatio enim , qua pernicioſis legibus reſiſtebatur , quam Ælia lex confirmaverat , ſublata eſt* . Cicero poſt Reditum in Senatu : *ut lex Ælia , & Fuſia ne valerent*. in Sextiana : *lata lex eſt* (à P. Clodio) *ne auſpicia valerent* . Ex quibus, ſi rectè judicare velimus, duo colligi poſſunt; primũ eſt, una tantùm lege P. Clodium duas illas Æliam, & Fuſiam ſimul abrogaſse; alterum, de duabus illis Legibus ita laudatos Auctores commemorare , quaſi una, eademq; Lex eſset. Fac diverſis de rebus leges Æliã, & Fuſiam latas fuiſse; illam quidem , *Ut liceret ſervare de cœlo*; hanc verò, *Ne certis diebus faſtis haberi Comitia poſſent* . Clodius certè contra Legem veterem feciſse videtur, qui pluribus de rebus

hoc

hoc eſt de duabus legibus abrogandis, quæ res diverſas complectebantur, unam Rogationem tulit. Cur autem Cicero pro Domo ſua, hoc idē non obiicit Clodio, cum reliqua omnia facta ab eo contra eandem Legem diligenter enumeret? cur nuſquàm hoc nomine eam Rogationem infirmat? cur Oratione de Provinciis, ſummi Civitatis Viri, & Cato ipſe jure latum defendunt, quod latum fuerat pluribus de rebus contra leges? Præterea, quam ob cauſam quaſi de una lege loquantur, *legem Æliam, & Fuſiam everſam eſſe*, tradit Aſconius; latumque à Clodio ait Cicero, *ut lex Ælia, & Fuſia ne valerent*? an quo modo legem Liciniam Muciam de Civitate dicimus, Cæciliam Didiam de Legibus, Juniam Liciniam de Trinundino, & veterem illam Tribuniciam Liciniam Sextiam de Conſulatu? at hæ quidem omnes à duobus vel Conſulibus, vel Tribunis pl. ſimul latæ ſunt, quibus res una tantùm continebatur, à duobus proinde latoribus geminum nomen ſortitæ; Æliam verò, & Fuſiam duas omninò diverſas fuiſſe leges, à duobus Tribunis non ſimùl, neque eodem anno rogatas, ſuprà oſtenſum eſt in prima Diſputationis parte. Utramque difficultatem qua ratione ſolvere Adverſarii poſſint, non video ſicut & illud, quod antea ex Macrobio attigi de diebus faſtis; ego ſic ad omnia reſpondeo. Lex Ælia jus dabat Magiſtratibus ſervandi de Cœlo, & obnunciandi, cum haberentur Comitia; Fuſia jubebat haberi ut feſtos eos dies, quibus ſervatum eſſet de Cęlo, adeoque Comitia prohibebat. Quapropter, ſi legum latores conſiderentur, qui non eodem anno Tribuni pl. fuerunt, ac tempus, quo latæ ſunt, duas diverſas leges illas eſſe dicendum eſt; ſi res ipſa ſpectetur, quam definiebant, u-

tra-

traque una, eadẽque Lex fuiſſe videtur, quia & Obnunciatio legis Æliæ nullã vim habuiſſet, niſi per illã Obnunciationem dies, quo obnunciabatur, feſtus factus fuiſſet lege Fuſia, ad impedienda Comitia; & dies feſtus fieri non poterat, qui jam ex Numæ inſtituto Comitialis erat, niſi obnunciare Magiſtratui licuiſſet. Hoc ſemel admiſſo, controverſia omnis tollitur; nam illud de diebus faſtis ad nos nihil attinet; plures leges latę de eadem re, una Rogatione abrogari jure poterant; & unam, eandemq; legem haberi à graviſſimis Auctoribus ob hujuſmodi cauſam, quòd una ſublata, tollebatur etiam altera. Dio lib. 38. de Bibulo impediente leges C. Cæſaris: *Cum nullam aliam rei extrahendę rationem haberet, in omnes reliquos ejus anni dies ἱερομηνίαν, Ferias indixit; Feriis autem non poterat Populus per leges in concionem coire*. paulo poſt: *Domi ſe continens, Cæſari, quotieſcumque is aliquid novi moliebatur, obnunciabat per Lictores, ὅτι ἱερομηνία τε εἴη, diem eſſe feſtum, & feſtis diebus non eſſe fas, eum quippiam agere*; & has plerumque fuiſse arbitror Ferias illas Imperàtivas, quas apud Macrobrium Conſules, vel Prætores pro arbitrio, & ex poteſtate indicebant. Quid ergò eſt ſervare de Cœlo, & obnunciare lege Ælia? nihil aliud, quàm declarare, dies illos eſſe feſtos. quid lex Fuſia? jubebat eſſe feſtos dies illos, quos tales declaraſſent Magiſtratus obnunciando, ut iis haberi Comitia non poſſent. Ille, qui lib. 4. Epiſt. 3. ad Atticum, *proſcripſit, ſe ſuper omnes dies comitiales de Cælo ſervaturum*, ex lege Ælia; ſignificabat, ſe indicturum ferias in omnes dies Comitiales pro impediendis Comitiis ex Lege Fuſia. Cicero Oratione de Provinciis: *aut vobis ſtatuendum eſt, legem Æliam manere, legem Fuſiam non eſſe abrogatam*;

duas

duas diverſas leges rectè diſtinguit, ſtatimque explicat, quænam utriuſque ſententia fuerit: *non omnibus Feſtis legem ferri licere*, quod lex Fuſia vetabat; ſic enim hic, & in Sextiana legendum puto, non *Omnibus Faſtis*, ut erat vulgata lectio jam exploſa: *cum lex feratur, de Cœlo ſervari, obnunciari, interdici licere*, ex præſcripto legis Æliæ. Utramque hanc legẽ ſimul abrogavit P. Clodius, ut dictum eſt ſuprà. itaque pro Sextio: *mitto eam legem, quæ omnia jura religionum, auſpiciorum, poteſtatum* (tùm Ælia, tùm Fuſia ſignificantur) *omnes leges, quæ ſunt de jure* (en legem Æliam) *&* *de tempore* (en Fuſiam) *legum rogandarum, una rogatione delevit*. Quibus verbis lex illa P. Clodii ſcripta erat? ex Dione, & Aſconio: *ne quis per eos dies, quibus cum Populo agi liceret, de Cœlo ſervaret*, utrumque comprehendit, & ne quis obnunciet, & ne aliis diebus cum populo agatur, quàm quibus liceat. Cur deindè jubet eadem lege, faſtis etiam diebus, contra ac fas erat, haberi poſſe Comitia? quæ major ſtultitia, quàm una, eademque Rogatione jubere id, quod prohibeas? nugamur; nihil de diebus Faſtis additum eſt in lege Clodia, & illis ipſis verbis leges Æliam, & Fuſiam abrogavit, hoc eſt Obnunciationem, & Ferias Imperativas ſuſtulit; quas Magiſtratus ſervando de Cœlo imperare ſolebant.

Cæterùm, ſicut manifeſtum eſt, à P. Clodio non fuiſſe ſublatam Tribunorum pl. Interceſſionem; ſic initio hujus Quæſtionis, pluribus exemplis, & Ciceronis teſtimoniis perfeci, ut pateret, anno poſt illius Tribunatum, ac deinceps, Magiſtratus omnes de Cœlo ſervare, & obnunciare ſolitos fuiſſe, aliiſque obnunciantibus Magiſtratibus viciſſim paruiſſe. Quid verò de lege Clodia ſentiendum eſt? non ad omne

reli-

reliquum tempus eam reſpexiſſe arbitror, quemadmodum Ant. Auguſtinus docet, quem alii quoque Interpretes ſequuntur, ſed ad illũ annum tantummodo, quo Clodius fuit Tribunus pl. & ad unum Clodium, non ad omnes promiſcuè illius anni Magiſtratus pertinuiſſe. Oratione pro Sextio: *vel quod eſt poſtridie decretum in Curia, ne quis de cœlo ſervaret, ne quis moram ullam afferret*. quod Sen. Conſulto cautum eſt in gratiam Ciceronis, ut una Lex illa de ipſius reditu perferri poſſet; id ne ſibi in toto Tribunatu contingeret, Clodius lege lata prohibuit. Idem ex Dione lib. 38. colligitur: *Cum Cicero L. Ninnium Quadratum Tribunum pl. ſubornaſſet, qui Clodii legibus intercederet* (promulgatis maximè de abroganda lege Ælia, & Fuſia) *veritus Clodius, ne ex eo tumultus excitaretur, aut mora rei iniiceretur, Ciceroni occurrit, eumq; dolo circumvenit, pollicitus ſe, ſi per eum has leges perferre ſibi liceret, nullam ei actionem intentaturum*. Equidem opinor, ſi de Obnunciatione, & Interceſſione in perpetuum tollenda actum fuiſſet, non fuiſſe quieturos Optimates; non enim magis de ſua Cicero, quàm de Reip. ſalute ſoliciti erant Patres, quam everti una illa Rogatione vidiſſent. Scilicèt ea vis, & ſententia fuit legis Clodiæ, ne ſibi Tribuno pl. legem quamlibet ferenti, vel Tribuni Collegæ intercedere, vel alii Magiſtratus obnunciare poſſent; quod oratoriè Cicero ſæpè conqueritur; quippe ſibi, & univerſæ Civitati perniciosum fuerat.

Partes, quas mihi propoſuerã, jam abſolui; tuas ut agere velis, expecto. Vale iv. Non. Decemb. A. S. 1698.

EPISTOLA SECUNDA.

AD ABB. N. N. P. P.

De Obnunciatione.

SI te ſæpiùs docentem audire, iiſque Juris quotidianis exercitationibus intereſſe liceret, quas mirari nemo ſatis poteſt; non ita me innatum glorię ſtudium, & cacoethes ad ſcribendum allicerent. Hinc, ut liberiùs, ſi non impunè, peccandi facultas ſuppetat; qui præſens me ſola doctrinę opinione deterret, & quippiam conaturo ſilentium tacitè videtur indicere, eum multò æquiore animo abſentem convenio. An enim in pœnam timiditatis expers tanti boni ego ſim, quod omnibus in promptu eſt? non feram. pergam, ut cœpi, te per literas, quæ non erubeſcunt, conſulere, eaſque niſi libens acceperis, obtundere perſeverabo. Interea, dum alia quædam parantur, de Obnunciatione Magiſtratuum hæc mitto.

Philippica 2. de M. Antonio Conſule, qui ſe impediturum Dolabellę Comitia minatus fuerat jure Sacerdotii, cum eſſet Augur, non Magiſtratus, hęc habentur: *Nos enim* (ſcilicet Augures) *nunciationem ſolùm habemus, Conſules, & reliqui Magiſtratus etiam ſpectionem*; & poſt alia quædam: *niſi qui de Cœlo ſervare conſtituit. quod neque licet comitiis per leges; & ſi quis ſervavit, non habitis Comitiis, ſed prius, quàm habeantur, debet nunciare*. Comitiiſne ſervare de Cœlo non licebat per leges? Hic unus eſt ex difficillimis locis, quos hactenùs in Ciceronis Orationibus accuratè examinandis reperire potuerim; cumque expli-

plicaturus, ut alibi quoquè conſuevi, ab aliis primùm dicta refellam, meam deindè ſententiam, & ipſius Oratoris verba ſigillatim exponam.

Abrahamus docet, non licuiſſe ſervare de Cœlo, & obnuntiare Comitiis per leges; hoc eſt, lege Clodia, quam tulit P. Clodius Tribunus pl. *ne quis per eos dies, quibus cum Populo agi liceret, de Cœlo ſervaret*. Sed hoc jam ſatis exploſum eſt in diſputatione de lege Ælia, & Fuſia, cum oſtenderim, poſt Tribunatum etiam Clodij, ſervare de Cœlo, & obnunciare ſolitos fuiſſe Magiſtratus, neque omninò jus illud lege Clodia fuiſſe è Rep. ſublatum; idem tamen duobus inſuper teſtimoniis firmare neceſſe eſt. Cicero de Antonij ſtupiditate: *nos enim nunciationem ſolùm habemus, Conſules, & reliqui Magiſtratus etiam ſpectionem*. Augures nunciare poſſunt, non autem ſervare de cœlo; Magiſtratus nunciant, & de cœlo ſervant. Quid hoc eſt, mi Cicero? quid in Senatu palàm audes dicere, cum adſit inimicus Conſul, qui te, ſi falſùm quippiam effutias, non ſine reprehenſione dimittat? Magiſtratuum jus eſſe dicis, ut poſſint ſervare de cœlo? an Clodiam legem ignoras? an non infrà fateris, id per leges, videlicet lege Clodia, Comitiis non licere? Nemo judicaverit, hoc adeo imperitè Ciceronem dicturum; quo tempore ſtultitiam alteri obiiciebat. Philippica 1. cum quereretur, leges multas Reip. pernicioſas, promulgandas eſſe ab Antonio Conſule, ſic per Prolepſin: *paratos habemus, qui intercedant; paratos, qui Remp. religione defendant; vacui metu eſse debemus*. non alia certè ratione defendi Reſp. religione poterat, niſi Magiſtratus de Cœlo ſervarent, & obnunciatione Comitia impedirent, Sed nota eſt Abrahami negligentia.

Ma-

Manutius putat, Comitiis Magiſtratuum non licuiſſe per leges de Cœlo ſervare, ſed tantummodo cum Lex aliqua ad Populum ferretur; atque adeò Conſules pro Magiſtratibus creandis Comitia habituros ab hoc genere impedimenti caviſſe, propoſito Edicto, ne quis per eos dies auſpicari vellet, ex Dione lib. 38. & Gellio lib. 13. Sed hæc doctrina, quando liceret de cœlo ſervare, quando non, minimè omnium Manutium decebat, affirmantem ſupra lege Clodia omnino ſublatum fuiſſe jus ſervandi de cœlo. Deinde utrumque falſum eſt, quod ipſe tradit; & primùm quidem illius Edicti non video mentionem fieri apud Gellium, qui laudato loco ſcribit, Conſules in habendis Comitiis edicere ſolitos, *Ne quis Magiſtratus minor de cœlo ſervare vellet*. ſi enim propoſito Edicto vetabant, ne ſibi à minoribus Magiſtratibus obnunciaretur, duo neceſſariò conſequuntur; tùm Magiſtratus majores, Conſules nimirùm, & Prætores & ſervare de cœlo, & obnunciare potuiſſe; tùm etiam id contra nullam legem fuiſſe, quod cavebatur Edicto, cum ea demùm edicerentur, de quibus nulla erat lata lex. Dionis autem lib. 38. hæc ſunt verba: *Quoties Populus in ſuffragia ire de certa re vellet, de cœlo ſervabatur, ſive ſecundum id augurium, ſive adverſum eveniret. itaque multi, ut legum lationes, aut Magiſtratuum creationes, de quibus ad Populum referebatur, impedirent, de cœlo ſe ſervaſſe obnunciare ſolebant*; Comitiis non modò legum ferendarum, ſed etiam Magiſtratuum creandorum cauſa habitis, fatetur de Cœlo ſervatum fuiſse. Sic Epiſt. 3. lib. 4. ad Atticum, de Milone impedituro Ædilitia P. Clodii comitia, cum eſset Tribunus pl. *proſcripſit, ſe ſuper omnes dies Comitiales de Cœlo ſervaturum*. an ſe factu-

rum

cùm quippiam in Senatu Milo dixiſset, quod eſſet contra leges? an deinde ſemel, atque iterum obnuncianti contra leges Miloni Metellus Conſul paruiſset? Sed in re verſamur minimè dubia; reſtat, ut quid nunciatio eſset, quid ſpectio, videamus, cum dicantur Augures nunciare potuiſse, non autem de Cœlo ſervare; hinc enim ſolutio Quæſtionis patebit.

Ex Numæ Regis inſtituto jus nunciandi Augures obtinebant, ut ſi quid uitii aduertiſsent, Comitia prohibere, ne fierent, & jam facta turbare nunciando poſsent, idemque legibus XII. Tabularum cautum eſt: *Quæque Augur iniuſta, nefaſta, vitioſa, dirave dixerit; irrita, infectaque ſunto*. Cuilibet igitur Magiſtratui auſpicanti, antequam cum Populo ageret, aderat Augur, eique in auſpicio eſse dicebatur; quo auctore, ſecundumne, an adverſum eſset augurium, intelligebat Magiſtratus ille, qui Comitia populi edixerat. Erat autem Auguribus aliquid nunciantibus parendum, etiamſi nihil uidiſsent, & falſa nunciarent; quia illorum Sacerdotum dicta, factaque reprehendi à quopiam nolebant, non quòd jure ſuo ementiri quoque poſſent auſpicia. Cicero in Antonium Phil. 2. *quid videras? quid ſenſeras? quid audieras?* paulò poſt: *ergo herculè magna, ut ſpero, tua potius, quàm Reip. calamitate, ementitus es auſpicia, obſtrinxiſti religione Populum R.* vituperat Antonium ut Augurem ementitum Auſpicia Dolabellæ comitiis, Populum tamen falſa etiam religione obſtrictum fatetur. Plutarchus in Catone juniore de Prætoriis Comitiis: *Cum prima Centuria Catonem nominaſſet, Pompejus id animadvertens, turpiſſimè mentitus ſe tonitrua audiviſſe, Comitia diſſolvit*, turpiſſimè quidem

Pompejus Augur falſum nunciavit, at illius turpi nunciatione diſſolui Comitia neceſſe fuit. Quod enim apud Feſtum datur *Auguribus ſpectio dumtaxat, quorum conſilio rem gererent Magiſtratus; non ut poſſent impedire nuntiando*; ſic intelligendum videtur. Si Augur ſit Magiſtratui in auſpicio, ſpectat; non nuntiat; in Comitiis Populi nuntiat, non ſpectat, ut ait Cicero. Vidimus, quænam eſſet nunciatio Augurũ, nunc de Magiſtratuum ſpectione. Lex Ælia Fuſia, de qua ſuo loco ſatis multa dicta ſunt, dedit facultatem Magiſtratibus ſervandi de cœlo, & obnunciandi, cavitque ne liceret agere cum Populo, quo die de cœlo ſervatum eſſet: ſervare autem de cœlo nihil aliud erat, quàm feriam indicere, ex Dione lib. 38. cum diebus feſtis haberi Comitia non poſſent. Quamobrem licebat Magiſtratibus multo ante proſcribere, ſe de cœlo ſervaturos, quod Milo feciſſe dicitur, hoc eſt in omnes dies Comitiales indicturos ferias. non enim obnunciabant, quòd aliquod vitium animadvertiſſent, ſed quòd nollent haberi Comitia; proindeq; & ſcire ipſi, & dicere aliis poterant, quibus diebus ſervare de cęlo, quos dies declarare feſtos eſſe, quibus diebus impedire Comitia (nam hæc omnia idem planè ſignificant) conſtitutũ haberent. Notandum eſt diſcrimen inter Augurum nunciationem, & ſpectionem Magiſtratuum: Augures, qui ſe vidiſſe aliquid, aut audiviſſe nunciabant; poterant & prohibere, ne Comitia fierent; & jam habita vitiare, quia & ante, & poſt habita Comitia cõtingebat, ut viderent aliquid, aut audirent; non tamen ante ipſum diem Comitiorum ſcire poterant, quid aut viſuri eſsent, aut audituri. Magiſtratus cõtra, qui diem eſſe feſtum nunciabant, multo ante noverant, quid eſſent facturi, cum ſemper illud per legem

gem Æliam, & Fuſiam liceret; ſed non poterant poſt habita Comitia de Cœlo ſervare. Quid enim illis nunciare licebat? ſe de Cœlo ſervaſſe, hoc eſt, ſe velle eum diem eſſe feſtum. optimè; non igitur Comitia irrita eſſe debent; cùm dies ille tùm demùm cęperit eſſe feſtus, cum obnunciatum eſt à Magiſtratu. His prælibatis, ad Ciceronem explicandum accedo.

Dixerat Antonius, ſe, cùm eſſet Augur, nunciatione impediturum, aut vitiaturum Comitia Dolabellæ. oſtendit Orator, hoc Antonii dictum ſtulti hominis, & impudentis eſſe. En ſtultitiam: *iſtuc, quod de te Sacerdotii jure facere poſſe dixiſti; ſi Augur non eſſes, & Conſul eſſes, minus facere potuiſſes? vide, ne etiam faciliùs.* ut Conſul faciliùs poteras impedire illa Comitia, quàm ut Augur; & addit rationem: *Nos enim nunciationem ſolùm habemus, Conſules, & reliqui Magiſtratus etiam ſpectionem.* non poſſunt Augures turbare Comitia; niſi nunciando, ſi quid fortè viderint, aut audiverint; Magiſtratus per legē Æliā, & Fuſiam, etiamſi nihil videant, aut audiant, ſervando de Cœlo, impediunt. Sequitur altera pars de impudentia Antonii: *Multis ante menſibus in Senatu dixit, ſe Dolabellę Comitia aut probibiturum auſpiciis, aut id facturum eſſe; quod fecit,* hoc eſt, habita jam Comitia vitiaturum. Ciceronis reprehenſio: *quiſquamne divinare poteſt; quid vitii in auſpiciis futurum ſit, niſi qui de Cœlo ſervare conſtituit?* Duplex vitium eſſe poterat in auſpiciis; aut illud antiquum à Numa traditū, cum quippiam dirum; & infauſtum videretur, vel audiretur; & hoc nunciabant Augures, neq; divinare quiſquam poterat, eſſetne aliquid hujuſmodi Vitii futurum in auſpiciis; Aut nouum lege Ælia inſtitutum; cum eo ipſo vitioſa fierent Comitia,

quòd Magiſtratus aliquis de Cęlo ſervaverat; hoc autem Magiſtratus ipſi nunciabant, & is divinare poterat, futurum hujuſmodi vitium in auſpicis, qui jam de cœlo ſervare conſtituerat Comitiorum die: *Quod neque licet Comitiis per leges; & ſi quis ſervaverit, non habitis Comitiis, ſed prius, quàm habeantur, debet nunciare.* Quo jure Antonius dixerat, ſe impediturum Dolabellæ Comitia? ut Auguremne, an ut Conſulem? procul dubio ut Augurem; non licebat autem Auguri per leges Æliam, & Fuſiam de cœlo ſervare pro impediendis Comitiis. Sed quia poterat Antonius dicti ſtultitiam fateri, impudentiam defendere; ſe quidem ſtultè dixiſſe impediturum Comitia ut Augurem, conſtituiſſe autem revera impedire ſervando de Cœlo, ut Conſulem; ſubjicit Orator: Adhùc dictum eſt impudenter; nam ut Conſul poteras impedire Comitia obnunciando, cum de Cœlo ſervaſſes; habita Comitia vitiare ſeruando de Cęlo non poteras. Ut omnia rursùs breviori ratiocinatione complectar: Antonius prædixerat, ſe aut impediturum Comitia jure Sacerdotii, aut vitiaturum. hoc ille nunquàm dixiſſet, niſi de Cęlo conſtituiſſet ſervare; tùm autem utrùque erat impudentis, ſeu vellet *impedire* Comitia, ut Augur, ſeruando de Cęlo: *Quod neque licet Comitiis per leges;* ſeu vellet jam habita Comitia ſeruando de Cęlo vitiare, ut Conſul: *&, ſi quis ſervaverit, non habitis Comitiis, ſed prius, quam habeantur, debet nunciare.*

Sicut prædixerat, vitiavit Antonius Comitia Dolabellæ, quem videbat creari Conſulem, mentitus eſt auſpicia, & adiungit Orator eadem Philip. 2. *quibus tamen parere neceſſe erat.* Non idcircò neceſſe erat parere auſpiciis, quæ Dolabellę Comitiis vitiata falsò

Falsò Antonius Augur nunciaverat, quòd idem Antonius Conſul eſſet, & per vim nunciationem illam valere contenderet; ut ad hunc locum docet Commentator. alia omninò Ciceronis mens eſt, deque rebus diſputat longè diverſis. Ità enim Conſul erat Antonius, ut nihil agere, & nocere nemini poſſet, invitò Cæſare. an repugnantibus legibus, contra voluntatem Cæſaris, ut ementita auſpicia valerent, unquam obtinuiſſet? Notanda ſunt ea verba; quæ paulò ante leguntur: *quandiu tu voles, vitioſus Conſul Dolabella, rurſus, cum voles, ſalvis auſpiciis creatus*. inconſtantiam exprobrat Antonio, qui probaret jure factum Conſulem Dolabellam, quem contra auſpicia creatum affirmaverat, vitiatis à ſe jure Sacerdotii Comitiis. Prima quidem pars manifeſta erat; nam, cum Provincias inter ſe partiti fuiſſent, ut Dolabella Syriam, Antonius Galliam haberet, bellumque communi conſilio gerendum contra Cæſaris interfectores, & pro occupanda Rep. ſuſcepiſſent, nihil non cupiebat Antonius cauſa Dolabellæ, quem non modò Conſulem, verùm etiam amiciſſimum ſibi Conſulem eſſe fatebatur. Alteram partem de oppugnato Dolabellæ Conſulatu per Antonium, religionis prætextu, ſic Orator pertractat: *De quibus rebus Idibus Mart. fuit in Senatu Cæſar acturus, quæro, tum tu quid egiſſes?* Profecturus ad Parthicum bellum Cęſar, conſtituerat eo ipſo die referre ad Senatum de ementitis auſpiciis, an iis videretur, necne, eſſe parendum; cum tamen ſe juſſurum eſſe Dolabellam Conſulem prius, quàm proficiſceretur, oſtendiſſet: *Audiebam equidem, te paratum veniſſe, quòd me de ementitis auſpiciis, quibus tamen parere neceſſe erat, putares eſſe dicturum*: exiſtimabat Antonius, Ciceronem in Senatu

Idibus Mart. dicturum pro Dolabella, & oſtenſurũ, nullam illam nunciationem fuiſse, quippe falſam; hinc venerat paratus, ut contra dicentem refelleret. Subicit autem Cicero: *quibus tamen parere neceſſe erat;* ne ipſe quoque argueretur, quaſi nunc improbaret Dolabellæ Conſulatum, de quo tunc alitèr ſenſerat, innuit, ſibi eam ſemper fuiſse ſententiam, ut ementitis illis auſpiciis parendum eſse putaret. nam de actis Dolabellæ aliquanto ante: *quæ neceſſe eſt aliquando ad noſtrum Collegium deferantur*; quippe acta Conſulis vitioſè, & contra auſpicia creati. Poſtquàm & Antonii inconſtantiam expoſuit, & ſe ipſe purgavit; his tandem verbis concludit: *ſuſtulit illum diem fortuna Reip. num etiam tuum de auſpiciis judicium interitus Cæſaris ſuſtulit?* ut aliter eo mortuo ſentire cœperis, ac vivo illo ſentiebas. Quid porrò de ementitis auſpiciis re ipſa judicandum ſit, utrum valerent, necne; vide ſuprà.

Quærit etiã in eadem Philippica ab Antonio, cur diſsolverit Cenſoria Comitia, cur Patruum tali ornare dignitate noluerit: *An quia Tribunus pl. ſiniſtrum fulmen nunciabat? intervenit enim. cum tua quid intereſt,* & cæt. non dubito, quin ita legendum ſit, ut interveniſse dicatur ſiniſtrum fulmen; quod ille ad impedienda Cenſorum comitia nunciaverit. Sed quo id jure nunciavit? ut Augurne? an ut Tribunus pl.? jure ſuæ poteſtatis? an Sacerdotii? *Ut Augur, non ut Magiſtratus*, inquit Manutius, *nam ad Magiſtratus ſpectio tantum, id eſt ſervare de cælo pertinebat.* Quo auctore hoc affirmat? Cicerone videlicet hac eadem Oratione: *nos enim nunciationem ſolùm habemus* (loquitur de Auguribus) *Conſules, & reliqui Magiſtratus etiam ſpectionem.* ſi tamen hæc verba vim aliquam habere debent

debent, non denegatur Magiſtratibus nunciatio; at ii dicuntur, & de cœlo ſervare, & nunciare, potuiſſe, cum Augures tantummodo nunciarent. Gruchius lib. 1. de Comitiis, Ant. Auguſtinus, Manutius, aliique paſſim interpretes, rerumque Romanarum Scriptores idem eſſe putant Nunciare, quod erat Augurum, & ſervare de cœlo, quod ſolis Magiſtratibus licebat; rem iterùm inſpiciamus ab ovo. Servare de Cœlo non erat obſervare, an aliquod adverſum augurium contingeret; ſed declarare, diem illum eſſe feſtum, & die feſto agere cum Populo non licere. Magiſtratus omnes de cœlo ſervare poterant, & cum impedire Comitia volebant, nunciabant, ſe de cœlo ſervaſſe; non autem aut vidiſſe fulmen, aut audiviſſe tonitru; eoque utebantur verbo, *Obnuncio*. Conſules habituri Comitia Centuriata cavebant Edicto, ne minores Magiſtratus de cœlo ſervarent, Gellio teſte lib. 13. & Plinius lib. 28. quæſtionem definit his verbis: *In Augurum certè diſciplina conſtat, neque diras, neque illa auſpicia pertinere ad eos, qui quamque rem ingredientes obſervare ſe ea negaverint*. Si enim auſpicia non pertinent ad eos, qui ſe illa ſervaturos negant, obnunciatio minorum Magiſtratuum non pertinebat ad Conſules, qui propoſito Edicto id fieri vetabant. Hoc de Centuriatis intelligendum eſt, inquit Gruchius; ego ad Tributa etiam Comitia ſpectare arbitror, quæ à Conſulibus habebantur. At legimus in Sextiana, P. Sextium Tribunum plebis obnunciaſſe Metello Conſuli, habituro Comitia Ædilitia, idemque feciſſe Milonem Tribunum, ut habetur Epiſt. 3. lib. 4. ad Atticum, ut alia quoque omittam exem-

pla, quæ poſſent afferri. audio; non tamen inter minores Magiſtratus recenſendi ſunt Tribuni pl. Ædilibus, & Quæſtoribus edicebant Conſules, ne ſibi obnunciarent, non autem Tribunis pl. qui neque minores Magiſtratus dicebantur, ſed Plebeii Magiſtratus; neque eam poteſtatem obtinebant, quæ impediri poſſet à Conſulibus. quamquam incertum eſt, impedieritne Sextius Ædilium comitia ut Augur, an ut Tribunus pl. Augures contra non ſervabant de cœlo, ſed obſeruabant, an aliquod accideret ſiniſtrum augurium; & ubi uiderant cecidiſſe fulmen V. G. aut aliquod tonitru audierant, tum Magiſtratui Comitia habenti nunciabant, ne pergeret cum Populo agere, iis ſolemnibus uerbis, *Alio die*. Scilicet Magiſtratus, cum de cœlo ſeruauerat, obnunciando affirmabat, die feſto Comitia haberi non poſse; Augur idem nunciando negabat, poſse fieri die nefaſto. Nunciatio deinde, ſi propriè loqui uelimus, erat Augurum, Obnunciatio Magiſtratuum. Quamobrem Tribunus pl. qui diſsoluit Comitia Cenſoria habita ab Antonio, nunciauit ſiniſtrum fulmen, ut Augur; nam obnunciantes Magiſtratus nullam uel fulminis, uel tonitru, uel hujusmodi rerum mentionem faciebant; neque Cicero negat talia nuncianti parendum fuiſse: *Cum tua quid intereſt, nulla auſpicia ſunt; cum tuorum, tum ſis religioſus*, ut eſset Conſul Dolabella, & leges tuæ ferrentur, non curaſti auſpicia; cum de Patruo agebatur, fuiſti ſuperſtitioſus. Sequitur: *quid? eundem in Septemviratu nonne deſtituiſti?* cum Septemuiros creares diuidendo Agro Campano, & Leontino: *cum metuiſti, credo, ne ſalvo capite negare non poſſes*; nonne poteras inquit, Septemuiratum petenti Patruo negare? nihil enim erat, quod inde metueres; cur pollicitus te daturum, illum

illum deinde in petitione deſtituiſti? Aut ſententia ironica eſt hoc ſenſu; quòd eum non metueres, ideò negaſti Septemviratum.

Tu verò memineris me nullam auſpiciorum rationem habiturum, ſi plures jam literas mittere meditanti obnunciaveris. Vale. III. Id. Jan. A. S. 1698.

EPISTOLA TERTIA.

AD NOB. N. N.

De Comitiis.

NOn officii, aut negotii, quod ſępè fit, ſed Comitiorum cauſa has ad te literas dabo; quę quidem cum indixerim, nullo auctore, ne mihi tamen obnuncies, oro, atque obſecro. Qui res Romanas explanandas ſuſcepi ad veterum *Scriptorum*, maximeque *Ciceronis* intelligentiam profuturas, Comitia relinquere ſine reprehenſione non poteram. Video, quid objicias; eam Quęſtionem in medium afferri, quam nemo ferè eruditus non attigit, copioſiſſimè omnium Gruchius pertractavit; quaſi verò eandem ego methodum ſequar, quam ſibi alii propoſuere. Singula non ita ſumo, ut exordiar ab ovo; tranſire leviter ſoleo, uno aut altero loco ex M. Tullii Orationibus aſſumpto, iiſque nonnihil immoror illuſtrandis, quibus tenebrarum aliquid, & caliginis offuſum animadverto. Quid, inquies, tibi tantum arrogas? ne id quidem. teſtes produco Viros idoneos, recitatiſq; teſtimoniis, quam quiſque ſententiam ſit laturus, non quęro.

Lo-

Locus quidam Orationis pro Flacco omnia nobis luculentèr exhibet, quæ in habendis Comitiis ſervarentur; illum proindè explicabo diligentiùs. Græcorum, qui tum erant in Aſia, conciones reprehenſurus Orator, ex quibus maximè in ſuum Clientem deſumpta fuerant teſtimonia, ingenioſè utitur Romanæ Reip. comparatione, hoc modo: *Quæ ſciſceret Plebs, aut quæ Populus juberet*. Tributa, & Centuriata Comitia ſignificantur; illa Plebis erant, quæque iis rogarentur, jus legis habebant, poſt legem Hortenſiam latam à Q. Hortenſio Dictatore, ut Rogationes plebis vim legis obtinerent, & ad Omnes Cives R. ſpectarent; hæc verò Populi Comitia dicebantur, quippe antiquitùs à Servio Rege inſtituta, & quibus Nobiles viri, & Principes etiam ſuffragium ferre conſueverant; *Summota concione*. jubebatur Populus iturus in ſuffragia à loco Concionis recedere: *diſtributis partibus tributim, & centuriatim*. fateor poſſe hic intelligi Comitiorum utrumq; genus; Tributis enim tot erant ſuffragia, quot Tribus, & Plebs tributim ſuffragia ferebat; at Centuriatis populus univerſus centuriatim introvocabatur. Sed tamen ex iis, quæ ſubſequuntur, liquidò conſtat, Centuriata ſolùm Comitia à Cicerone deſcribi, quæ vetuſtate, ac nobilitate præſtabant. Primò itaque diſtribuebatur Populus *tributim* in Campo, hoc eſt in triginta quinque Tribus, & unicuique ſuus erat Pons aſſignatus lege Maria, per quem introvocaretur ad ferendum ſuffragium; hinc ſępe apud veteres mentio Tribuum, cum de Centuriatis comitiis loquuntur, ut obſervat Gruchius. Secundò *Centuriatim*; nam quælibet Tribus diviſa erat in Centurias, quarum non-

nonnullę ad primam Claſſem, quędam ad ſecundam, aliæ ad tertiam, & ſic deinceps ſpectabant; ſervatoque ordine Claſſium, ſigillatim eædem Centuriæ rogabantur: *Deſcriptis Ordinibus, Claſſibus, Ætatibus*. Tertiò nimirum ſecundùm Ordines diviſus Populus ſtabat; cum alię omninò eſſent Equitum Centuriæ, aliæ peditum. Quartò ſecundùm Claſſes; quæ ſex nominantur à Livio, & Dionyſio, neque neceſſe eſt ea repetere, quæ graviſſimi Auctores luculentiſſimè tradidere; ſatis erit obſervare, in prima Claſſe plures fuiſſe Centurias, quàm in reliquis omnibus, eamque omnes Equitum Centurias comprehendiſſe. Quintò ſecundùm Ætates, ut ex primæ Claſſis octoginta Centuriis, juxta Servii inſtitutum, quadraginta eſſent Seniorum, qui quadrageſimum annum attigiſſent; totidem Juniorum, qui nondùm perveniſſent ad eam ętatem. Hę ſunt quinque Populi diviſiones Centuriatis comitiis. vide plura apud Gruchium lib. 1. ego enim jam & reliqua perſequor: *Auditis Auctoribus*. antequàm ſuffragia ferrentur, quidam ex principibus Viris ſuadebant legem, vel diſſuadebant; ii vocabantur Auctores legis, qui eam ſuaſiſſent; auctor legis Maniliæ Cicero, qua Cn. Pompejo bellum Mithridaticum delatum eſt: *Re multos dies promulgata*. fuit lex vetus, ut per trinundinum promulgaretur Lex, quæ ad Populum ferretur; addiditque etiam pœnam in eum, qui contra feciſſet, Junia Licinia, de qua alio loco. ſic tribus nundinis, quibus diebus cuncti Cives R. in Urbem veniebant, promulgatam legem examinare poterant. quicquid Populus rogaretur. his omnibus ſervatis, *juberi*,

ri, *vetarique voluerunt*. Quoniam verò eodem anno, quo Flaccus cauſam dixit, Cæſare Conſule, multa lata fuerant, & non promulgata, ut de Clodii adoptione, cujus meminit Cicero pro Domo ſuâ: *Si quod in cæteris legibus trinum nundinum eſſe oportet, id in adoptione ſatis eſt trium horarum, nihil reprehendo;* idcircò præclarum morem, & diſciplinam à Majoribus traditam commendat, ac ſtatim ſubjicit: *ſiquidem teneremus; ſed neſcio quo pacto jam de manibus elabitur*. Præterquàm quod per vim, & impetu concitati Populi, plurima alia tuliſſe Cæſar arguebatur; eaque ipſa queſtus in cauſa C. Antonii, Cæſaris, ac Pompeii inimicus factus eſt, quorum eo tempore major erat potentia, quàm ut libera Civitas pati poſſet.

Singulare illud eſt Philip. 2. cum Dolabellæ Comitia Conſularia deſcriberentur: *deinde, ut aſſolet, ſuffragia*. Parùm enim videtur perſpexiſſe Manutius, quà ratione Comitia Centuriata haberentur; itaque cùm multis in locis ſæpè allucinatus eſt, tùm hìc ordinem verborum perturbat, & à germana Oratoris ſententia longe diſcedit: *Suſpicor*, inquit, *ſic eſſe legendum*: tum ſecunda Claſſis, deinde, ut aſſolet, ſuffragia; ideſt tertia, & reliquę vocantur. Sed Gruchius ita copiosè, & eruditè omnia, quæ ad Romanorum comitia pertinerent, tribus libris complexus eſt, ut nihil ferè ſit reliquum, quod quiſquam aut deſiderare poſſit, aut velit emendare. hoc duce ad explicandum Ciceronem accedo: *Ecce Dolabellę Comitiorum dies; ſortitio Prærogativæ; quieſcit. renunciatur; tacet*. Cum univerſus Populus R. in Campum veniſſet certo die ex Edicto Conſulis Comitia habentis, in triginta quinq; Septa pro numero Tribuum,

buum, quæ totidem erant, diſtribuebatur, iiſque veluti incluſus quieſcebat, quoad centuriatim introvocaretur ad ſuffragium ferendum. His, & hujus generis quibuſdam omiſſis, Dolabellæ Comitia deſcripturus, ad ea, quæ potiſſima ſunt, feſtinat Orator. primùm enim ſortitio Prærogativæ fiebat, quænam ſcilicet ex omnibus omnium Claſſium Centuriis prima ſuffragium daret. Tùm poterat nunciando impedire ſtatim Comitia Augur Antonius, ſed magis opportunum tempus expectans, quievit. Renunciatus eſt à Prærogativa Conſul Dolabella; neque dubium erat, quin reliquę Centuriæ auctoritatem Prærogativæ ſequerentur. adhùc tamen ille tacuit; cum Pompejus apud Plutarchum ſimùl, ac animadvertit, Catonem à Centuria Prerogativa nominari Prętorem, jure ſui Sacerdotii Comitia diſſolverit: *Prima Claſſis vocatur; renunciatur*. Poſt Prerogativam introvocatæ primę Claſſis Centurię ſimiliter Dolabellam Conſulem eſſe juſſerunt: *Deinde, ut aſſolet, Suffragia*. cœpta ſunt numerari ſuffragia; nam ſi omnes illius Claſſis centuriæ Dolabellam Conſulem feciſſent, non erant reliquę Claſſes vocandæ. Jam ſuprà dictum eſt, primę Claſſis centurias, connumeratis in ea Equitum Centuriis, & Prerogativa, numero ſuperaſſe reliquas omnes; adeòque ſatis erat ad legitimum numerum Centuriarum conficiendum, omnes primę Claſſis centurias idem ſenſiſſe; nec ante poterat, quę ſententia Populi fuiſset, decerni, quàm tota prima Claſſis ſuffragium tuliſſet; quia tum demùm verum erat, majorem partem centuriarum vocatam fuiſſe. Ut igitur conſtare poſſet, an præter primæ Claſſis centurias, aliæ quoque vocandæ forent, neceſſe erat, numerari ſuf-

ſuffragia, ut ſciri poſſet, an conſenſu Centuriarum legitimus numerus jam confectus eſſet, aut, ſi nondùm confectus eſſet, quot requirerentur Centuriæ; ex Gruchio lib. 1. Cum, numeratis ſuffragiis, intellectum eſſet, quaſdam ex primæ Claſſis centuriis antiquaſſe legem, de creando Conſule Dolabella; & proinde legitimum numerum ſuffragiorum non eſſe confectum: *tùm ſecunda Claſſis*; cumque Comitiorum finis adeſset, *Alio die*, dixit Antonius.

Oratione pro Plancio, cùm multis verbis Laterenſem accuſatorem caſtigat, qui dixerat, ſibi Viro nobili non fuiſse præferendum Plancium Equeſtri loco natum, & novum hominem, in petitione Ædilitatis, tùm arguit etiam ab Abſurdo, tali ratione: ſi creari à Populo neceſsariò debent ii, quorum nobilitas major eſt; *Nihil jam eſt, quod Populo ſupplicetur*; fruſtrà, inquit, in petendis Magiſtratibus, centuriatim, ac tributim Populo Candidati ſupplicant; cum neque præteriri Nobiles poſſint; neque Nobilibus præferri homines novi: *nihil, quod diremptio, nihil, quod ſupplicatio Magiſtratuum, renunciatio ſuffragiorum expectetur*. quid opus eſt ſingularum Centuriarum, vel Tribuum ſuffragia dirimere, ut quot quiſque Candidatus puncta tulerit, cognoſcatur; ſupplicari à Magiſtratibus Diis immortalibus, ut optimi deligantur; ſolicitè expectari ab omnibus renunciationem ſuffragiorum; ſi præteriri quidam, alii nominari nullo modo poſsunt? Gruchius lib. 1. de Comitiis legit *Diribitio*, non *Diremptio*, quod non probo. nam dicebatur Diribitio, cum Tabellæ Populo diſtribuebantur, & qui diſtribuerent, erant Diribitores; Diremptio, cum

cum poſt latum ab unaquaque Tribu, aut Centuria ſuffragium, illius tabellæ dirimebantur, ut quot quiſque Candidatus puncta tuliſset, manifeſtum foret. hoc autem potius, quàm illud alterum ſignificari loco citato, nemo non videt; nam ad Juvenalis Sat: 8. *Libera ſi dentur Populo ſuffragia*, hoc addi poteſt, quod neceſsariò conſequitur: Si libera non ſint ſuffragia populi, quę mens erat Laterenſis; adhuc tamen diribitio tabellarum locum habet, ut ſuffragia data quoquo modo dicantur; diremptio nequaquàm, quia non ſint libera. Deinde Manutius ea verba, *Supplicatio Magiſtratuum*, ſupervacanea, atque omninò delenda putat; neque advertit, Conſulem, qui habebat Comitia, preces quaſdam, & vota tùm pro Rep. tùm pro Candidatis facere conſuevisſe, ut pro Murena: *Quæ precatus ſum à Diis immortalibus, more, institutoque Majorum, illo die; quo auſpicato Comitiis Centuriatis L. Murenam Conſulem renunciavi; ut ea res mihi, Magiſtratuique meo, populo, plebique R. benè, ac feliciter eveniret*. nam nihil erat, quod Magiſtratus Diis ſupplicaret pro optimo Comitiorum eventu, cum minimè incerta futura eſsent Comitia. Poſtremò idem Manutius ita ea, quę ſequuntur, emendat, ut, omni Orationis venuſtate corrupta, repetere pueriliter videatur Cicero, quę ſupra dixit; ego verò nihil muto, & ſic explico: *Simùl ut qui ſint profeſſi, video quid dicam*. Candidati omnes multo ante, quàm haberentur Comitia, profitebantur apud Conſulem, ſe petere velle; ſtatim, inquit, facta profeſſione à Candidatis, video, quid dicam, ac de ſingulis ſentiam: *hic familia Conſulari eſt, ille Prætoria, reliquos video eſſe ex Equeſtri loco*; ſingulorum ſcilicet ge-

genus examino : *ſunt omnes ſine macula , ſunt æquè boni viri , atque integri* ; licèt omnes pari innocentia , vitæque ſanctitate præditi ſint : *ſed ſervari neceſſe eſt gradum* ; tamen ignobilis , & Equeſtri loco natus prȩferri nullo modo poteſt Nobilibus , familia Prȩtoria Conſulari , ita ut ; *cedat Conſulari generi Prætorium , nec contendat cum Prætorio Equeſter locus* . quanta inde conſequuntur abſurda ! *ſublata ſunt ſtudia , extinctæ ſuffragationes* , & rel. multò eſt commodior vulgata lectio , quam teneo .

In Piſoniana Cicero gloriatur , prȩcipuam fuiſſe Senatorum operam in ea lege ferenda , quȩ de ſuo in Patriam reditu lata eſt : *Vos Rogatores , vos Diribitores , vos Cuſtodes fuiſſe tabularum* . De Cuſtodibus , qui & caverent , ne qua fraus in ferendis ſuffragiis committeretur , & punctis numerum ſuffragiorum notarent in quibuſdam tabulis , quæ quiſque Candidatus tuliſſet , dicendum mihi eſt alio loco . reſtat nunc , ut de Rogatoribus , ac Diribitoribus quȩdam dicantur . Fuiſſe in Comitiis , qui tabellas Populo darent , non autem ipſum Populum domo eas afferre ad Comitia ſolitum , habetur ex Epiſt. 9. lib. 1. ad Atticum : *Piſo Conſul lator rogationis , idem erat diſſuaſor ; Operæ Clodianæ pontes occuparant , tabellæ miniſtrabantur, ita ut nulla daretur , Uti rogas* . qui tabellas Populo circa pontes diſtributo miniſtrabant , ii Diribitores dicebantur , qui habere locum in Comitiis cȩperunt , poſtquàm leges tabellariȩ latȩ ſunt . Rogatores verò, ſi Manutium audiamus, illi fuerant, qui Populum pro Ciceronis ſalute rogaverant ; quod quidem eſt ridiculum . Notanda ſunt , quæ ſtatim ſequuntur ; *& quod in honore veſtrorum Propinquorum*

non

non facitis, vel ætatis excuſatione, vel honoris, id in ſalute mea, nullo rogante, vos veſtra ſponte feciſtis. ſua ſponte ne, an Quinto Fratre, Piſone Genero, aliiſque Familiaribus rogantibus, Viri principes populo pro Cicerone ſupplicaverant? eoſdem illos quis putet vel ętatis excuſatione uſos eſse, vel honoris, ne Populo ſupplicarent in Propinquorum ſuorum honore? aliam omninò vim habet hoc verbum *Rogator*, cum rerum ad Comitia pertinentium mentio fit. Magiſtratus omnis, qui Comitia habebat, Populumque rogabat, Rogator Comitiorum erat; qui uniuſcujuſq; Centurię ſuffragia colligebant, & Magiſtratui ſigillatim renunciabant, vel Centuriarum, vel Tabularum Rogatores dicebantur. Cicero 2. de Oratore: *ex eodem hoc vetus illud eſt, quod ajunt Maluginenſem illum M. Scipionem, cum ex Centuria ſua renunciaret Acidinum Conſulem*; Scipio ſuę Centurię erat Rogator, aliique aliarum omnium eodem modo. qui ubi renunciaſſent Magiſtratui ſuarum Centuriarum ſuffragia, ſeu voce, ſeu deinde tabellis collecta, ea denuò ſingillatim renunciabantur Populo à Magiſtratu per Præconem. Hoc munus, cum de ſua ſalute ageretur, obiiſse honeſtiſſimos Viros, ut ſibi glorioſum, ac perhonorificum jure Cicero prędicat, tùm hoc loco, tùm in ea poſt Reditum in Senatu: *Quando illa dignitate Rogatores, Diribitores, Cuſtodeſque vidiſtis?*

Ultimò in ea pro Murena neſcio quid eſt de Plebejorum hominum ſuffragiis, quod non ita facilè expediri poſse videtur: *Si, ut ſuffragentur*, (ait Cicero) *nihil valent gratia*. Manutius hoc totum abundare arbitratur, & nihil omninò requiri poſt illud: *Si nihil erit prę ter ipſorum ſuffragium, tenue eſt*; ego & neceſſariũ alterũ illud membrum eſse judico ad abſolvendam

ſententiam, & duobus modis exponi poſſe contendo. Nam ſuffragari nihi aliud eſt, & ſignificat, quàm ſuum dare ſuffragium, ne ab ipſius verbi notatione recedatur. jam conſtat, hanc ſuperioris membri eſſe approbationem: *ſi nihil erit præter ipſorum ſuffragium, tenue eſt*; nimirùm, ſi in referenda gratia nobilibus Viris, pro tot, ac tantis ſibi ab iis collatis beneficiis, nihil tenuiores habeant, præter ſuffragium, tenuis admodùm eſt compenſatio. qua de cauſa? *ſi, ut ſuffragantur, nulla valent gratia*; quoniam, prout ſuffragantur, & in ferendis ſuffragiis, nulla tenuiorum gratia eſt. Supra hac eadem Oratione, ubi agitur de poſtulatis Sulpicii à Senatu repudiatis: *confuſionem ſuffragiorum flagitaſti, prorogationem legis Maniliæ, æquationem gratię, dignitatis, ſuffragiorum*. Lex Manilia jam vel abrogata, vel repudiata jubebat, confuſis omnium Centuriarum ſuffragiis, eos eſſe Conſules, (idemque puta de cæteris Magiſtratibus) qui plura tuliſſent. eadem Lex ut reſtitueretur, Sulpicius petebat, cui ſi Senatus aſſenſus fuiſſet, primò nullius Centuriæ beneficium apparuiſſet; hinc tollebatur gratia: deinde omnes ſimùl omnium Claſſium Centuriæ ſuffragium tuliſſent; hinc dignitatem, & jus ſuorum ſuffragiorum, primæ, & ſecundæ Claſſis Centuriæ amittebant, à quibus plerumque abſolvebantur Comitia. Habes igitur, duas tantùm Claſſes ut plurimùm gratia valuiſſe in ferendis ſuffragiis, hoc eſt in ſuffragando, quòd fere ab iis abſolverentur Comitia centuriata, de quibus loquimur, antequàm reliquæ Claſſes introvocarentur. proindeque tertia, quarta, & quinta, in ſuffragando, nulla gratia valebant. Hi erant tenuiores, de quibus ut pateat, verè eſſe dictum: *ſi nihil erit præter ipſorum ſuffragium, tenue eſt*; additur ratio; *Si* (pro Quoniam)

ut

ut ſuffragantur (prout ſuffragium ferunt) *nulla valent gratia*. Si cui non arrideat hujuſmodi Interpretatio, hanc alteram probet: Sit ſuffragari, adjuvare Candidatum in petitione, eiq; aliorum etiam ſuffragia conciliare; ſicut illud eſt 1. Offic. de domo Cn. Octavii: *quæ cum vulgò viſeretur, ſuffragata Domino, novo homini ad Conſulatum putabatur*. Tum verò duo illa membra diverſa erunt, & inter ſe disjuncta, ut ita Cicero ratiocinari videatur: tenuiores Amici Nobilium beneficia compenſare debent, vel ſuo ſuffragio, vel ſuffragatione, vel affectatione; ſed in ſolo ſuffragio parùm adjumenti eſt, & ut ſuffragari poſſint, nulla eſt illorū gratia; non igitur illis deneganda eſt affectatio. Quo modo paululùm immutata punctatione, & lectione vulgata, ſic erit legendum: *Si nihil erit, præter ipſorum ſuffragium; tenue eſt. ſi, ut ſuffragentur; nihil valent gratia*. quam porrò lectionem ſequar, cum Ciceronis Orationes, meoſque in eas edam Commentarios; & eo nititur fundamento, quòd eum gratioſum eſſe neceſſe ſit, qui velit alteri ſuffragari, & conciliare Populum rogando.

Probaſne, quæ à me hactenùs dicta ſunt? videor mihi te non omninò diſſentientem videre; hoc uno contentus ſuffragio dimitto Concilium. Vale, Id. Mart. A. S. 1699.

EPISTOLA QUARTA.

AD AMICUM N. N.

De Creatione Magiſtratuum.

Concordiæ vim, ut ait ille, magnam eſſe oportet, quæ te primorum Ordinum Centurionem ſub Cæſare, confectiſque ſtipendiis, jam deducendum cum Veteranis in Coloniam, rursùs ad arma, & in aliena Caſtra pertraxerit. Laudant conſilium non pauci. Capitolino, inquiunt, ſatis; nihilne Minorum Gentium? Muſis, atque aliis nimiùm diu; aliquando etiam nobis. Sed jam te alloquor apertè, ac ſine fuco: perpetuum illum tuum erga me amorem, & nulla temporum varietate immutatum, ſępe adhùc benevola verborum copia teſtatus, re ipſa compenſare nondùm potui. Hoc tempore, cum novam literariam Coloniam deducas, ſub auſpiciis humaniſſimi Præſulis, in tanta à bonis Artibus, adeòque etiam à Libris ſolitudine, multa tibi neceſſaria eſſe video, quæ ſubminiſtrari à me commodè poſſunt. Quamvis non admonitus, exiguum aliquid ad te mittere ſtatim volui, nihil non facturus cauſa tua, ubi res tulerit.

Scripſi quędam paulo ante de Comitiis, Gruchium auctorem ferè ſequutus; nunc alia quoq; ſubjiciam, quæ ad Magiſtratuum creationem peculiariter referri poſsunt; & primò quidem conſideranda ſunt ea verba Orationis pro Murena: *Quibus hic Conſulatus, me rogante, datus eſſet.* Nàm quì fieri poteſt, ut Commentatoris ſententiam hoc loco probemus?

non

non precante, inquit, *ſed interrogante, ut cum diceret: Rogo vos, Quirites, velitiſne L. Licinium Murenam Conſulem fieri; quod ſi Populus probabat, ſuffragiorum tabellas ferebat ita inſcriptas V. R. uti rogas*. Eſto non precante; quamvis enim Comitiis & Rogatores eſſent, non tamen ita appellabantur, quaſi precatores; proindeque multo minùs Conſul, qui habebat Comitia, rogare, hoc eſt precari pro Candidatis populum dicebatur; ſed neque rogabat, aut interrogabat Quirites, quo modo ſuprà præſcribitur. Poſt leges tabellarias, in legibus ferendis conſtat, duas unicuique de Populo datas fuiſſe tabellas, quarum altera habebat V. R. uti rogas, altera A. antiquo; judicia quoque Populi eadem ratione exercebantur; & ſi quando de uno tantùm Conſule, & quidem nominatim creando Comitia haberentur, quemadmodum ſuffectus eſt Dolabella Cęſari profecturo ad Parthicum bellum; quia nihil erat medium, quod Populus præeligere poſſet, & neceſſariò vel accipienda erat lex, vel abroganda; vel abſolvendus Reus, vel damnandus; vel creandus Conſul ille, vel repellendus. At in ordinaria Magiſtratuum creatione, non erat eadem Tabellarum diſtributio; idque pluribus conjecturis oſtenditur. Oratione pro Domo ſua hæc habentur, opinor, de Ap. Claudio: *is, poſteaquàm intellexit poſſe ſe, interverſa Ædilitate, à L. Piſone Conſule Prætorem renunciari, ſi modo eadem prima litera Competitorem habuiſset aliquem*. quòd ſi tabellarum literæ eædem ſemper erant V. R. & A. quæro ab Adverſariis, quænam illius loci ſententia ſit; ſed alibi hac de re fuſiùs. Secundò ſic in Cæſare Suetonius: *poſt remotos Caſetum, & Marullum Tribunos, reperta ſunt proximis Comitiis complura ſuffragia*,

Conſules eos declarantium. erant igitur inſcriptæ tabellæ nominibus Candidatorum, cum certè de Marullo, & Cęſctio non interrogaverit Populum Magiſtratus. Tertiò, Populuſne ſeparatim de ſingulis, an ſimùl de omnibus Candidatis interrogabatur, Velletne uti rogäretur? Si de omnibus ſimùl; quomodo ex tabellis eodem modo inſcriptis V. R. cognoſci poterat, quos vellet Populus Conſules, Prætoreſque fieri, quos verò rejiceret? Si de unoquoque ſigillatim; cum in petitione Conſulatus, ſex habüerit Competitores Cicero, ut refert Aſconius, & multo plures in petitione Præturæ, rationem peto. 1. qua creari ipſe Prætor primus, & Prior Conſul potuerit; an enim quòd de eo primùm interrogatus Populus fuerit? eſset planè ridiculum. 2. qua Prætorius Candidatus Antonius, *conceſſione Competitorum, & collatione Centuriarum è poſtremo in tertium locum* äſcenderit, ſicut eſt in Oratione contra Competitores. 3. qua poſsent uno die Comitia abſolvi, cum toties Populus rogandus eſset. 4. qua neceſse foret, Catilinam Conſulem fieri, ut infra habetur hac eadem Oratione, cedente Ser. Sulpicio, niſi bonorum ſtudia in Murenam inclinaſsent. Quid verò plura diſputo? quęnam erat ratio rogandi Populum in creatione Magiſtratuum, ante latas Tabellarias leges? Livius lib. 24. *Eo die, cum ſors Prærogativæ ante Juniorum exiſſet, eaque T. Otacilium, & M. Æmilium Regillum Conſules diceret;* de iis procul dubio non interrogaverat Populum Fabius nominatim, quos ultrò à Populo nominatos ipſe rejecit. attamen, cum lex aliqua ferretur, aut Reus quiſpiam fieret, etiam tùm, cum nondùm leges Tabellariæ la-

tæ

tæ eſſent, rogabat Magiſtratus Quirites, Vellentne, uti rogarentur. Quamobrem, ſicut primùm voce nominabantur Conſules, Prætores, aliique, ita deinde eorumdem nomina edebantur in tabellis expreſsa. Quod attinet ad laudatum Orationis locum; Cicerone rogante, factus eſt Conſul cum Silano L. Murena, hoc eſt Comitia habente. nam ex Gellio idem eſt rogare Populum, ac agere cum Populo, quocum ille agere dicebatur maximè, qui Populum rogabat, quos vellet, Magiſtratus faceret.

Quo meliùs ea, quæ dicta ſunt, omnibus pateant, explicabo locum illum Orationis pro Domo ſua, quem proferebam: *poſſe ſe, interverſa Ædilitate, à L. Piſone Conſule Prætorem renunciari*. Nemo dubitat, quin Ap. Claudius ſignificetur; cum enim ſuprà hæc ſint verba: *quidam homo nobilis, non alienus ab hoc religioſo Libertatis Sacerdote*, ea non poſsunt, niſi ad unum Appium P. Clodii fratrem pertinere; quippe ſeptem reliqui Prætores illius anni Ciceronis partes defenderant. Appius igitur eo anno, quo Cicero exulabat, Ædilitatem petebat, ſignáque ac tabulas ex tota Græcia, atque omnibus Inſulis deportaverat Rómam: *etenim cogitarat omnes ſuperiores muneris ſplendore ſuperare*. ſed mutata repente ſententia, & omiſsa Ædilitatis petitione, per fraudem factus eſt Prætor. Qua verò id ratione contigerit, Orator ſic exponit: *is, poſteaquam intellexit* (ſic enim inter Appium, & Piſonem convenerat) *poſſe ſe, interverſa Ædilitate* (fraudans Populum Ædilitate, quam

polliċitus fuerat, eam quaſi debitam avertere videbatur) *a L. Piſone Conſule* (qui Magiſtratuum omnium habiturus erat Comitia) *Prætorem renunciari ; ſi modo eadem prima litera Competitorem habuiſſet aliquem*. Fac eodem anno petiiſſe Præturam A. Poſtumium quendam ; cum Tabellis nequaquàm inſcriberentur integra nomina Candidatorum, ſed brevitatis cauſa, primæ tantùm literæ nominis cujuſque, neceſſe erat, Prætoriis Comitiis, præter alias aliorum multas, duas etiam tabellas dari, quarum una A. P. haberet pro Poſtumio, altera A. C. pro Claudio. promiſerat autem Piſo Conſul, ſe in examinandis uniuſcujuſque Centuriæ ſuffragiis, tabellas omnes inſcriptas A. P. pro Appio accepturum, quorum Punctorum acceſſione facta ad ea, quæ ipſe tuliſſet, dubium non erat, quin Prætor fieret. Nam Commentatoris opinio, potuiſſe reliquas nominis literas, prima tantùm incolumi, facilè corrumpi, defendi non poteſt ; tùm quia litura apparuiſſet, tùm etiam quia tot literis corrumpendis in tam multis tabellis, neque tempus erat opportunum, ſi uno die Comitia abſolvenda erant, neque locus, cum univerſus Populus R. adeſset. vide plura apud Gruchium lib. 1. cap. 4. Idem etiam exprobrat Orator P. Vatinio, Oratione in illum habita ; & ex eo quærit, memineritne, ſe, cum Quæſturam peteret, *Vix, invitis omnibus, non populi beneficio, ſed Conſulis, extremum adhæſiſſe* ? Cum P. Sextius Quæſtor fuerit Cicerone Conſule, Vatinius autem Quæſturam geſserit cum Sextio ; L. Cæſar, aut C. Figulus ſignificetur, neceſſe eſt, qui fuerunt Conſules ante Ciceronem. Quæris, quo modo beneficio Conſulis, non Populi, factus ſit Quæſtor Vatinius extremo loco ?

co? Cicero id obiter docet contra Competitores: *neſcis me Prætorem primum eſſe factum, te conceſſione Competitorum, & collatione Centuriarum, & meo maximè beneficio, è poſtremo in tertium locum eſſe ſubiectum?* Quemadmodum C. Antonius Competitorum, & Ciceronis maximè beneficio in petitione Præturæ tertium locum adeptus eſt, qui Populi beneficio poſtremum tenuiſſet; ſic Vatinius, quem comitiis Quæſtoriis Populus præteriiſſet, ut crearetur inter extremos, obtinuit beneficio Conſulis Comitia habentis, à quo, licet numerum Tribuum non expleverat, falsò renunciatus eſt; eodem fere genere fraudis, ſicut & à Piſone Appius factus eſt Prætor. Non enim aſſentior iis, qui putant, beneficio Conſulis, hoc eſt rogante Conſule, factum fuiſſe Quæſtorem Vatinium. an illum tantùm Conſulem Vatinius habuit ſuffragatorem ſui honoris? cur tantus ſuffragator non effecit, ut primo loco nominaretur? an quia rogante Cicerone creatus fuerat Plancius Ædilis, idcircò Plancius conſecutus Ædilitatem dicendus eſt Ciceronis beneficio, qui rogavit, non Populi, qui ſuffragium tulit?

Ciceronis quidem magna laus illa fuit, quòd, ut de ſe prædicat Oratione pro Lege Manilia, *Ter Prætor primus Centuriis cunctis renunciatus ſum*. cur ſe Prętorem primum Orator appellat? Manutius, cui tamen aſſentiri non poſſum, eam affert rationem, *quia plures, quàm cæteri, Centurias tuliſſet*. Cum reliqui Magiſtratus Tributis comitiis crearentur, Prætura, Conſulatus, & Cenſura Centuriatis dabantur. Populus enim diviſus erat in ſex Claſſes, & quælibet Claſſis certum numerum Centuriarum complectebatur; cumq; omnes Centuriæ eſſent centum,

& nonaginta tres ex veteri Servii Tullii inſtituto ſola prima Claſſis majorem Centuriarum partem continebat, hoc eſt nonaginta octo, ut habent Livius, & Dionyſius; eademque ſervata eſt ratio, aucto earundem numero aliquanto poſt. Itaque in petitione V. G. Præturæ, ſi quis Centuriarum omnium primæ Claſſis tuliſſet ſuffragia, quòd major eſſet pars Populi, is dicebatur Prætor creatus, ſtatimque renunciabatur, neque opus erat de illo reliquas Claſſes rogare, quæ idcircò rogabantur, quia non unum ſolùm, ſed octo Prætores creari oportebat. Quòd ſi alius quiſpiam ex Candidatis tulerat in prima Claſſe nonaginta Centuriarum ſuffragia, & ex ſecunda deinde Claſſe, quæ poſt primam intro vocabatur, ſeptem Centuriæ eundem Prætorem nominaverant, illum Conſul, qui Comitia habebat, nulla interpoſita mora, antequam rogarentur aliæ Centuriæ, ſecundo loco renunciabat; atque ita deinceps. Cicero primus omnium Competitorum numerum Centuriarum explevit; proindeque primus renunciatus eſt Prætor. Quomodo C. Antonius conceſſione Competitorum, collatione Centuriarum, & Ciceronis maximè beneficio è poſtremo in tertium locum ſubiectus eſt? Scilicet ante diem Comitiorum jam Candidati optimè noverant, quot ſibi Centurias in ſingulis Claſſibus conciliaſſent, quotque ſperare poſſent ſuffragia. fac Antonium in prima Claſſe ſexaginta Centurias habuiſſe, decem in Secunda, totidem in Tertia, decem & ſeptem in Quarta; cum Cicero omnes primæ Claſſis Centurias conciliatas haberet, reliqui Competitores multo plures, quàm Antonius. Tum verò omnes intelligebant, primo loco renunciandum

dum fore Ciceronem, Antonium poſtremò; quod ille cum animadverteret, ac ſibi, homini in primis nobili, turpe putaret, hanc à Competitoribus ignominiam deprecatus eſt, qui concedentes Antonio aliquot ex iis Centuriis, quas ipſi ſibi conciliaverant, effecerunt, ut tertio loco, poſt Ciceronem puta, & Aquillium, ille renunciaretur. At, inquies, ſi voluit Cicero primus Prætor renunciari, quo modo factum eſt illius beneficio, ut Antonius tertium locum obtineret? Ab omnibus primæ Claſſis Centuriis ſe nominandum fore certò ſciebat, & aliquot præterea in ſecunda Claſſe Centurias ſibi conciliaverat; cumque primam Claſſem ſibi ſatis eſſe videret, quas in ſecunda conciliatas habebat Centurias, concedere potuit Antonio, rogando, ut quod beneficium conferre ſibi voluiſſent, ſuo Competitori impertirent. Nam conſueviſſe Candidatos ſuas viciſſim ſibi Centurias, vel Tribus, ſi Tributa eſſent Comitia, concedere, patet etiam ex Oratione pro Plancio: *& ais, prioribus Comitiis, Anienſem à Plotio, Terentinam à Plancio tibi eſſe conceſſam*; Laterenſi in petitione Ædilitatis ſuas Tribus conceſſerant Plotius, & Plancius illius Competitores, eadem ratione, qua ſuprà dictum eſt. Unde perſpicuum fit, quis, & quam ob cauſam Prætor primus renunciari dicatur, quinam ſecundo, tertio, & poſtremo loco. Cæterùm non illum appellatum fuiſſe Prætorem primum, qui plura ſuffragia tuliſſet, hoc argumento demonſtro: Ter Cicero renunciatus eſt, ut ipſe teſtatur; & quidem à Magiſtratu, qui Comitia habebat. Oratione pro Murena: *illo die, quo auſpicatò Comitiis Centuriatis L. Murenam Conſulem renunciavi*. cur ter.?

quia

quia Conſuli comitia habenti ſemel, atque iterùm Augur quiſpiam ſiniſtrum augurium nunciaverat, vel Magiſtratus alius obnunciaverat; neque enim alia ratio aſſignari poteſt. quando obnunciare ſolebant? Phil. 2. *ſi quis ſervavit, non habitis Comitiis, ſed priusquam habeantur, debet nunciare*. igitur antequam abſolverentur, dirempta ſunt bis Prętoria Ciceronis Comitia per obnunciationem. Nunc collige ſimul omnia: quomodo bis à Conſule renunciatus eſt Pretor Cicero, Comitiis bis impeditis, ac non abſolutis? quomodo ipſe dictus eſt plura, quàm Competitores, iis duabus vicibus, ſuffragia tuliſſe, ſi nondùm Centuriæ omnes ſuffragium tulerant? quia poſtquam illum major pars Populi, hoc eſt ſeptem, & nonaginta Centurię nominaverant, primus fuerat renunciatus; cumque aliis Candidatis Centuriæ aliquot adhuc deeſſent, proindeque incertum foret, quot quisque ſuffragia laturus eſſet, obnunciatione Comitia impedita ſunt. Pręterea, aut Cicero à nonaginta & ſeptem Centuriis nominatus, illicò renunciabatur Prætor; aut ab aliis etiam nominari poterat. ſi primum, non habuit plures Centurias, quàm Competitores, quorum nemo à minori numero nominatus Prætor erat; ſi ſecundum, maxima oritur difficultas ex Agrariis: *jubet enim*, inquit Cicero, *Tribunum pl. qui eam legem tulerit, creare Decemviros per Tribus ſeptendecim*. cum Rullus à minori parte Populi, ut comitiis Pont. Max. creari Decemviros vellet, non ab omnibus triginta quinque Tribubus. quid inde porrò conſequitur? *ut, quem novem Tribus fecerint, is Decemvir ſit*; ubi quis tuliſſet novem Tribuum ſuffragia, Decemvir erat, neque octo reliquæ rogabantur. cur non idem aliis etiam Comitiis?

Mi-

Milonianâ iis, quæ dicta ſunt hactenùs, lucis aliquid allatura eſt, ubi habet de Milone Conſulatus candidato: *non ſolum ſermonibus, ſed etiam ſuffragiis Populi R. ſæpè eſſe declaratum*. Quid hoc eſt, quod tùm vulgi ſermones, tùm etiam populi R. ſuffragia ſæpe jam declaraverant? nimirùm fortiſſimum Virum, inimiciſſimum Clodii, T. Annium Milonem, certiſſimum eſſe Conſulem. aſſentior de ſermonibus hominum, Civem optimè de Rep. meritum Conſulatui jam deſtinantium; at qui fieri potuit, ut idem ſuffragiis etiam Populi certum foret, nondùm habitis illius anni Comitiis? Manutium audiamus: *quoties*, inquit, *de Milonis honoribus ſuffragium Populus tulit*, toties declaratum eſt ſuffragiis populi R. certiſſimum Conſulem futurum Milonem; cum ſine repulſa reliquos omnes Magiſtratus fuerit conſecutus. Sed ex multis, quos ille habuit in Queſtura, in Tribunatu, in Prætura Collegas (prætermiſit enim Ædilitatem, quam alii fortaſsè adepti fuerant) eodem Populi ſtudio creatos, quotusquiſque factus eſt Conſul? de quibus certè illud verè dici non poterat, ſuffragiis populi declaratum fuiſſe, certiſſimos eſſe Conſules, de quorum honoribus ſine repulſę periculo ſuffragium Populus tuliſſet. Quòd ſi Oratoris verba pondus aliquod habere debent, conſtat aliam omninò illius mentem fuiſſe. Clodius, cum videret, ſummo conſenſu Populi fieri Milonem Conſulem, *Contulit ſe ad ejus Competitores, ſed ita, totam ut petitionem ipſe ſolus, etiam invitis illis, gubernaret, tota ut Comitia ſuis, ut dictitabat, humeris ſuſtineret. convocabat Tribus*, & cæt. nondùm deſperaverat, ſe poſſe Miloni Conſulatum adimere; *ubi vidit homo ad omne facinus paratiſſimus, fortiſſimum virum, inimiciſſimum ſuum, certiſſimum Conſulem*, poſtquàm nihil intentatum reliquerat, ne id fieret. unde

autem

autem hoc potuit intelligere ? quid illi ſpes omnes præcidit ? *idque intellexit non ſolùm ſermonibus , ſed etiam ſuffragiis populi R. ſæpe eſſe declaratum*. cur id tanto poſt intellexit ? quod per Manutium intelligere poterat , quoties de Milonis honoribus Populus ſuffragium ferebat. quid verò tum Clodius ? hac intellecta re , quid cònſilii cepiſſe dicitur ? *palam agere cœpit , & aperte dicere , occidendum Milonem* . Conſilium de occidendo Milone recens erat , adeoque non multo ante intellexerat , ſuffragiis populi R. declaratum eſſe , certiſſimum eum Conſulem fore . Scilicet , cum ſæpe haberi Comitia Conſularia cœpta eſsent , & jam Milonem Conſulem primæ Claſſis Centuriæ creaſsent , ne abſolverentur , fecerat obnunciatio Magiſtratuum , vel nunciatio Augurum . Hinc in extrema Oratione de eodem Milone : *meminit etiam , ſibi vocem Præconis modo defuiſſe , quam minimè deſiderarit ; populi verò cunctis ſuffragiis , quod unum cupierit , ſe Conſulem declaratum* ; nam his duobus modis trahi Comitia ſolebant.

Præcones igitur renunciabant Conſules , & reliquos Magiſtratus; at Oratione pro Murena , contrarium affirmat Cicero de ſe ipſo Conſule , & habente Comitia ; *Comitiis* , ait , *Centuriatis L. Murenam Conſulem renunciavi* . A tribus diverſis Perſonis dicebatur aliquis Magiſtratus renunciari ; à Centuriis , vel Tribubus , à Præcone , & ab eo , qui Comitia habebat . Centuria , vel Tribus Magiſtratum renunciabat ; cui ſuum ipſa ſuffragium dabat ; quo ſenſu videtur accipi poſse illud pro Lege Manilia ; *ter Prætor primus Centuriis cunctis renunciatus ſum* , licèt non propriè , & quaſi per Catachreſin . Deinde renunciare Præco ſolebat,

lebat, quos quælibet Centuria, vel Tribus nominaſset, ut 2. Agraria: *neque ſingulæ voces Præconum, ſed una voce univerſus Populus R. me Conſulem declaravit*. ne id quidem proprium erat Præconis, qui ſuam vocem Magiſtratus Comitia habentis voluntati commodabat. Tertiò igitur Magiſtratus ipſe, qui præerat Comitiis, ut quiſque Candidatorum expleverat numerum Centuriarum, vel Tribuum, eum ſtatim renunciabat, ſeu melius à Præcone renunciari jubebat: *illo die, quo auſpicato Comitiis Centuriatis L. Murenam Conſulem renunciavi*. Verùm, inquit Manutius; *Cur non ejus Collega Antonius?* additque cauſam: *quia Cicero Conſul priore loco creatus Comitia Conſularia habebat*. Quod eſſe falſum, ex Livio fusè Gruchius oſtendit lib. 1. de Comitiis. nam lib. 35. hoc Livius narrat: *Conſulibus ambobus Italia provincia decreta eſt, ita ut inter ſe compararent, ſortirenturve, uter Comitiis ejus anni præeſſet* & lib. 39. *Prior tamen Claudius, quàm Sempronius, cui ſors Comitia habendi obtigerat, Romam venit*. Præterea, Anno V. C. 684. priore loco creatus fuerat Conſul M. Lepidus, & in altero Conſulatu, anno 695. Cn. Pompejus, ſi Conſularibus Faſtis ulla fides habenda ſit, nihilominus Volcatius, non Lepidus Comitiis præfuit, à quo non factam Catilinæ petendi poteſtatem, ſcribit Aſconius; & Craſſus, non Pompejus, Ædiles, ceteroſque creavit Magiſtratus, ut patet ex Oratione pro Plancio. Ex his omnibus colligo, conſueviſſe inter ſe comparare Conſules, aut certè ſortiri, uter habiturus eſſet Comitia, non ſemper illud negotium datum ei, qui prior renunciatus fuiſſet.

Ora-

Oratio in Piſonem hanc Diſputationem noſtram concludat, cum ab illo ſe proditum per ſummum ſcelus Cicero queratur : *Cui primam Comitiis tuis dederas tabulam Prærogativæ* ; & ſimiliter in ea poſt Reditum in Senatu , ubi aliis verbis eadem planè ſententia continetur : *tu miſericors me affinem tuum, quem Comitiis primum Cuſtodem Prærogativæ præfeceras* , & cæt. Singuli Candidati quoſdam ex ſuis Amicis , & familiaribus ſeligebant , qui non modò obſervarent , ne quid fraudis committeretur , verùm etiam poſt lata ſuffragia , in quibuſdam tabulis , numerum ſuffragiorum punctis notarent ; & hi dicebantur Cuſtodes , quibus tabulæ , pro notandis Centuriarum punctis , à Candidatis committebantur . Quoniam verò tantum intererat à Prærogativa renunciari , ut ferè ſemper Prærogativam reliquæ Centuriæ ſequerentur , teſte Cicerone pro Plancio ; idcircò Prærogativæ tabulam ei dabat Candidatus , quem maximè ſibi benevolum , & amicum putabat , & hic erat primus Cuſtos , cui prima tabula Prærogativæ data fuerat . L. Piſo Comitiis ſuis Conſularibus , primam tabulam Prærogativæ Ciceroni mandaverat , adeoque primum Cuſtodem Prærogativæ præfecerat , in argumentum ſummæ familiaritatis ; quem paulo poſt Conſul creatus , conſtrictum inimicis Reip. tradidit , prodiditque P. Clodio . Nam quod ait Commentator ad hunc locum, primum Ciceronem Comitiis Conſularibus L. Piſonis , in prima Centuria primæ Claſſis ſuffragium tuliſſe ; adeò eruditè , & copioſè laudatus toties Gruchius refellit , ut nihil addere præterea neceſſe ſit . Præterquàmquod , inquit ille , Diribitorum erat tabellas miniſtrare , non Candidatorum ;

rum; quomodo potuit Piſo ſcire, Ciceronem in Prærogativa Centuria ſuffragium laturum? cum ſors Prærogativam daret, nec poſſet, niſi in una quadam, ac certa Centuria ſemper quilibet ſuffragium ferre.

Reliqua, quæ huc referri poſſunt, habes aliunde; tu me ama, & Vale. IV. Id. April. A. S. 1699.

EPISTOLA QUINTA.

AD AMICUM N. N.

De Binis Comitiis.

ALii quidem alia; tu certè ingenii, atque induſtriæ ornamenta omnia ſimul tenes. ut dolendum maximè ſit literariæ Reip. cauſa, non habere te ſatis magnum campum, in quo virtus, animuſque tuus excurrere meliùs poſſit. Cùm libenter navare amicis operam ſoleo, tùm libentiſſime tibi; in iis præcipuè rebus, quibus tuum inſtitutum ad laudem curſum abſolvas. Etenim quidni foveam, quidni diligam, quidni omni genere officii complectar Juvenem gloriæ cupidum, optimæque plenum ſpei? cui ſi qui non favent, ii mihi planè rudes, & politioris humanitatis expertes videntur. Quærebas paulo ante, nùm apud Romanos binis Comitiis crearentur Magiſtratus; eademque non ignobilis Quæſtio diu à Viris eruditiſſimis agitata eſt. itaque à te rogatus, ne ego quidem diſſimulabo, quid ſentiam.

Manutius exiſtimat, binis Comitiis, Tributis, & Centuriatis mandari ſolitos fuiſſe majores Magiſtratus

Conſulatum, & Præturam; Minores verò, ut Ædilitatem, & Quæſturam, duobus Tributis; & cum aliis quibusdam coniecturis ſuam ſententiam confirmat, tùm præcipue ad Agrariam 2. ea verba: *Non extremæ Tribus ſuffragiorum*, ſic interpretatur: *Cum dubia*, inquit, *res eſt*, *antequàm Tribus extremæ ſuffragium ferant*. Quod quidem nulla nititur probabili ratione. de Conſulatu enim Ciceronis, & pariter de Prætura, cum duo illa Comitia habita ſint, peto, an Populus Tributis Comitiis denegare potuerit Magiſtratum, quem mandaverat Centuriatis, necne. ſi potuit, cur Oratione pro Lege Manilia dicitur, *Prętor primus ter renunciatus omnibus Centuriis*, non etiam omnibus Tribubus? at ſi tributis reſcindi non poterat, quod actum fuerat Centuriatis, cur hac Oratione Tribuum mentionem facit, non Centuriarum, quæ reipſa Conſulem eum creaverant? Fac, id per negligentiam omiſſum; quæro iterùm, an Tributis Comitiis alii Conſules fieri potuerint, quàm qui renunciati fuerant Centuriatis; an in minorum Magiſtratuum creatione, poſterioribus Tributis repulſam aliquandò tulerint, qui prioribus Competitores ſuperaverant: an contra ita rata eſſent prima Comitia, ut ſecundis reſcindi nullo modo poſſent. Si hoc alterum ſtatuatur; explicandus eſt Cicero, qui hæc habet paulo poſt: *Majores de omnibus Magiſtratibus bis vos ſententiam ferre voluerunt*, & affert rationem: *ut eſſet reprehendi poteſtas, ſi Populum beneficii ſui pœniteret*; quomodo enim reprehendere poterat, ſi reſcindere non licebat? deinde poſterioribus, Populus neque creaſſet Magiſtratus, jam prioribus Comitiis renunciatos; neque confirmaſſet, cum improbare

non

non poſſet; adeòque nihil iis actum fuiſſet. Sed nos ambigere diutiùs non ſinit Manutius, qui nunquàm aſſereret de Comitiis Conſularibus, *Tum dubiam rem fuiſſe, cum Tribus extremæ ſuffragium ferrent*, niſi fateretur, Tributis alios Conſules creari potuiſſe, quàm qui facti fuerant Centuriatis. Ille mihi tamen interroganti quædam reſpondeat. 1. Cur Verrina 2. ita abſolutè Cicero loquatur? *nam ut Hortenſius, Conſul deſignatus, domum reducebatur è Campo cum maxima frequentia, à multitudine*; neque enim Centuriatis comitiis tantùm habitis, nondùm perſpecta ſecundis Comitiis Tributis populi voluntate Conſul deſignatus appellandus erat, neque amicorum gratulatio videbatur eſſe opportuna. 2. Cur Epiſtola 12. lib. 2. ad Q. Fratrem, Candidatorum ambitum hiſce verbis commemoret: *non dico ὑπερβολὰς, vel HS centies conſtituunt in Prærogativa pronunciare?* cum enim bina eſſent Comitia, duas Prærogativas corrumperent, oportebat. 3. Cur Oratione contra Competitores beneficium quoddam ſuum exprobret C. Antonio: *neſcis, me Prætorem primum eſſe factum, te conceſſione Competitorum, & collatione Centuriarum, è poſtremo in tertium locum eſſe ſubiectum?* non enim minùs neceſſe erat, collationem Tribuum fieri Tributis comitiis, quàm Centuriarum Centuriatis. 4. Cur nullum extet exemplum eorum, qui deſignati primis Comitiis, ſecundis repulſam tulerint? 5. Cur Gellius lib. 13. cap. 14. hæc referat ex Meſſala? *Minoribus creandis Magiſtratibus, Tributis comitiis Magiſtratus, ſed juſtiùs Curiata datur lege; Majores Centuriatis comitiis*

ſiunt; nam erat dicendum, minores Magiſtratus binis Tributis dari, majores Centuriatis, ac Tributis. Sexcenta alia ſunt hujusmodi, quibus ſatisfieri non poteſt. ii verò contra quid proferunt? extremas ſuffragiorum Tribus in Conſulatu Ciceroni mandando; Majores de omnibus Magiſtratibus bis Populum ſententiam ferre voluiſſe, ut infra habetur; binis Tributis comitiis creatum Ædilem Plancium; & auctoritatem Aſconii. Primum illum ex hac 2. Agraria deſumptum locum ſic exponit Gruchius lib. 1. Populus R. Centuriatis comitiis, in triginta quinque Tribus dividebatur, ac per totidem Pontes poſt legem Mariam in ſuffragium ibat; diviſus autem Populus in Tribus, ſuffragia tamen ferebat Centuriatim, hoc eſt, ex ſingulis Tribubus Centuriæ primæ Claſſis rogabantur, mox Centuriæ ſecundæ Claſſis, quæ in iisdem Tribubus eſſent, & ſic deinceps. Itaque extremæ Tribus ſuffragiorum appellantur pro extremis Tribuum ſuffragiis, jure, & per Centurias vocatarum, pro Centuriis videlicet tertiæ, & quartæ Claſſis, quæ extremo loco in qualibet Tribu ferebant ſuffragium; gloriatur porrò Cicero, ſe à primæ, & ſecundæ Claſſis Centuriis, quos primos Populi concurſus vocat, creatum fuiſſe Conſulem. Eodem modo explicandus eſt Livius lib. 29. qui narrat, M. Livium Cenſorem, Populum R. omnem, quatuor, & triginta Tribus, reliquiſſe Ærarios, *præter Metiam Tribum, quæ ſe nec condemnaſſet, neque condemnatum Conſulem, aut Cenſorem feciſſet*; cujus nimirùm Tribus Centuriæ, ut quæque ſuo loco; Claſſium ordine ſervato, rogatæ fuerant, non elegerunt Livium Conſulem, aut Cenſorem. Hæc tâ-

tamen altera Livii interpretatio magis placet: Mætia Tribus non condemnaverat Peculatus M. Livium; jure igitur potuerunt homines illius Tribus creare Conſulem, & Cenſorem, centuriatim rogati, ut mos erat, quem ipſi antea non condemnaſſent, apud Populum Tributis comitiis cauſam, ut mos erat, dicentem. Deinde, quid nos Aſconius doceat, videamus; qui ad illud Verrinæ 2. *dedit enim prærogativam ſuæ voluntatis ejusmodi, ut iſti pro Prærogativis jam reddidiſſe videatur*; hæc ſubiicit: *Mos fuerat, quo faciliùs in Comitiis concordia Populi firmaretur, bina omninò de iisdem Candidatis comitia fieri; quorum Tribus primæ Prærogativæ dicebantur, quòd primæ rogarentur, quos vellent Conſules fieri*. Reſpondeo 1. Aſconium de laudato Ciceronis loco non rectè opinari; nam dicitur Q. Metellus C. Verri reddidiſſe pro Prærogativis, non quia ſibi putaret Metellus plures à Verre conciliatas fuiſſe Prærogativas; ſed quia ſibi alterá in petitione Conſulatus, altera fratri M. Metello in petitioné Præturæ, emptæ fuerant Prærogativæ pecunia C. Verris; & ſane utriusque ſupra meminerat Orator. hoc eſt, non ejusdem Magiſtratus comitia, ſed duorum ſignificantur, Conſulatus, & Præturæ. 2. Quomodo Aſconium defendant ii, qui illius auctoritatem ſequuntur? ait morem fuiſſe, bina de iisdem Candidatis Comitia fieri; idem & Manutius fatetur. addit eorum Comitiorum primas Tribus dictas fuiſſe Prærogativas; utraque igitur Comitia Tributa erant, quod Manutius negat, qui duas quidem agnoſcit Prærogativas in cujuslibet Magiſtratus majoris creatione; at Centuriam Prærogativam Centuriatis, Tribum Prærogativam Tributis. 3. Viri eruditi

diti ſententiam expono: *Bina Comitia de iisdem Candidatis fieri ſolebant*; non reprehendo, eaquò erant Centuriata, & Curiata in majoribus Magiſtratibus; Tributa, & Curiata in Minoribus: *Quorum Tribus prima Prærogativæ dicebantur*; hoc etiam probatur, fuiſſe Prærogativas eas Tribus, quę primę rogabantur Comitiis ſeu Centuriatis, ſeu Tributis. hoc tamen diſcrimine, ut Prærogativa Tribus eſſet Tributis Comitiis, quæ prima ſuffragium ferret; Centuriatis, ex qua Tribu Centuria Prærogativa ſorte duceretur, vel ex qua primæ Claſſis Centuriæ rogarentur primo loco, juxtà doctrinam jàm traditam.

Itidem 2. Agraria paulo poſt: *Majores de omnibus Magiſtratibus bis vos ſententiam ferre voluerunt*. En alterum locum, quo bina illa ſua Comitia tuentur Adverſarii; illum ego ſigillatim examinabo, & ſi qua erunt pro contraria parte allata, refellam. Hac diſputatione Cicero invehitur in Rullum argumento à Contrariis deſumpto: antiquitùs bis de omnibus Magiſtratibus Populus judicabat, Centuriatis, & Curiatis comitiis; nunc etiam de quolibet Magiſtratu Curiata lex fertur poſt prima Comitia; at Rullus neque veris Comitiis Decemviros creat, neque Curiatis, penitùs evertens optima Reip. inſtituta. Sed jam ad ſingulas partes accedo: *Majores de omnibus Magiſtratibus bis vos ſententiam ferre voluerunt*. primis Reip. temporibus, binis Comitiis Magiſtratus dabantur, Centuriatis, & Curiatis; explicat autèm, qua ratione id fieret: *nam Centuriata lex Cenſoribus ferebatur, cum Curiata ceteris Patritiis Magiſtratibus*. quomodo Populus bis judicabat? Magiſtratus omnes, quos capere Patritiis licebat, Quęſturam, Ædilitatem, Præturam, & Conſulatum,

da-

dabat Populus Centuriatis comitiis, ſtatimque confirmabat Curiatis. ſoli Cenſores unis tantùm Centuriatis comitiis creabantur. *Tùm iterùm de eiſdem judicabatur, ut eſſet reprehendendi poteſtas, ſi Populum beneficii ſui pœniteret.* donec mos ille manſit, *Tum*, bis judicabat Populus de iisdem Magiſtratibus, & comitiis Curiatis reſcindere poterat, quæ facta fuerant Centuriatis: *Nunc, quia prima illa Comitia tenetis Centuriata, & Tributa; Curiata tantùm auſpiciorum cauſa remanſerunt.* poſtquàm illa conſuetudo ſublata eſt, & uti Populus cœpit Centuriatis tantùm comitiis, invectis etiam deinde Tributis ita, ut Centuriatis quidem Præturam, Conſulatum, & Cenſuram; Tributis verò Quæſturam, & Ædilitatem mandaret, *Nunc* quid de Curiatis comitiis factum eſt? retenta ſunt auſpiciorum cauſa, hoc eſt, nunc etiam de quolibet Magiſtratu habentur Curiata comitia, non quòd iis iterùm Populus judicet, ſed ad ſpeciem, & uſurpationem vetuſtatis. Duo diverſa tempora conſiderat Orator; primum, cum tam Centuriatis, quàm Curiatis comitiis, de iisdem Magiſtratibus Populus judicabat, alterum, cum Centuriatis, vel Tributis tantùm Magiſtratus dabat, Curiata auſpiciorum ſolùm cauſa habebantur. quàm tamen pro diverſitate temporum diverſam conſuetudinem non animadvertit Gruchius lib. 3. de Comitiis. Hinc duplici nomine Rullum arguit Cicero; tùm quia poteſtatem Decemviris conferebat nullis veris Comitiis, ſed Curiatis tantummodo, quæ Comitia erant non Populi, ſed per triginta lictores, totidem Curiarum vice, adumbrata; cum antiquitùs binis Centuriatis, & Curiatis, quæ tùm vera Comitia erant; poſtea legitimis Comitiis vel Centuriatis, vel Tributis,

Magiſtratus omnes crearentur : *Hic autem Tribunus pl. quia videbat, poteſtatem neminem injuſſu populi* (ſine Centuriatis comitiis) *aut plebis* (aut ſine Tributis) *poſſe habere; Curiatis eam comitiis, quæ vos non ſinitis, confirmavit; Tributa, quæ veſtra erant, ſuſtulit;* & hoc ſpectat ad tempus poſterius, quo ſemel judicabatur : *Ita, cum Majores binis Comitiis voluerint vos de ſingulis Magiſtratibus judicare, hic homo popularis ne unam quidem Populo Comitiorum poteſtatem reliquit;* hoc ad priora tempora refertur. Tum etiam reprehendit Rullum, quia neque veris Comitiis, neque adumbratis Decemviros creabat, cum reliqui Magiſtratus eo ipſo tempore, & ſemel veris Comitiis mandarentur, & iterùm adumbratis illis Curiatis : *Sint igitur Decemviri neque veris Comitiis, hoc eſt Populi ſuffragiis, neque illis ad ſpeciem, atque ad uſurpationem vetuſtatis per triginta lictores, auſpiciorum cauſa adumbratis, conſtituti.* nam etiam ſine lege Curiata dabat Rullus ſuis Decemviris poteſtatem.

Quid contrà Manutius? *bis judicabat*, inquit, *populus Centuriatis, & Tributis comitiis, qui mos manſit; prius autem, quàm Tributa lege Publicia inducerentur, Curiata, & Centuriata Magiſtratum dabant.* Quamvis id ſupra ſatis confutaverim, tamen & hoc loco duo petam : De omnibus Patritiis Magiſtratibus, excepta Cenſura, etiam Curiatà comitia fiebant, ætate Ciceronis; adumbrata, fateor, & quibus triginta Lictores, triginta Curiarum nomine ſuffragium dabant, ſed erant utcumque Comitia. Quare Cicero ait: *videt, ſine lege Curiata nihil agi per Decemviros poſſe;* & infra: *Conſuli, ſi legem Curiatam non habet, attingere rem militarem non licet;* Gellius autem lib. 13. *Minoribus creandis Magiſtratibus, Tri-*

butis

butis comitiis Magiſtratus, ſed juſtius Curiata datur lege. Quod cum negare nemo poſſit, ſi præter Centuriata, & Curiata addantur quoque Tributa, dicendum eſt, de iiſdem Magiſtratibus tria habita fuiſſe Comitia. V. G. de Quæſtura C. Antonii, duo Tributa, & Curiata ex Gellio; de illius Conſulatu, Centuriata, Tributa, & Curiata inſupèr, ſi voluit attingere rem militarem, ex Cicerone; quod eſſe abſurdum, nemo non videt. Deinde examinentur, quæ ſuprà ex hac Oratione verba citavi: *hic autem Tribunus pl. quia videbat, poteſtatem neminem injuſſu Populi, aut Plebis poſſe habere*; cur *injuſſu Populi, aut Plebis?* Eruditi omnes noverunt, Centuriata vocari Populi comitia, Tributa Plebis plerumque, non Populi; quippe ab humilioribus fere peragebantur. itaque, ſi poteſtatem quamlibet dediſſet Populus binis Comitiis, Centuriatis, & Tributis (de Majoribus loquimur) non dixiſſet Cicero dari poteſtatem juſſu Populi, aut Plebis, hoc eſt, Centuriatis, vel Tributis comitiis; ſed juſsu Populi, & Plebis, utriſque ſcilicèt Comitiis. Proſequitur idem Manutius: *ubi plebeii Magiſtratus creati ſunt, in Curiatorum comitiorum locum Tributa ſucceſſere; nam Curiatis nihil cum plebeiis Magiſtratibus*. Anno V. C. 260. refert Livius lib. 2. primos Tribunos pl. creatos fuiſse; & ad annum juxta ſummam, quam ſequor, 283. hæc ſubjicit: *Tum primùm Tributis comitiis creati Tribuni ſunt*. quibus Comitiis per illos tredecim annos Tribuni pl. creati ſunt? equidem puto Curiatis. igitur neque plebeiis Magiſtratibus creatis, in Curiatorum Comitiorum locum Tributa ſtatim ſucceſſere; & Curiatis aliquid erat cum plebeiis Magiſtratibus. Cum Cenſura

Li-

Livio teſte primùm inſtituta fuerit anno 313. Geganio, & Quinctio Coſſ. cumque, ut refert Cicero, neque Adverſarius negat, Centuriatis, Curiatiſque comitiis Patritii Magiſtratus darentur, quo tempore creabantur Cenſores; quomodo affirmare poteſt, ubi plebeii Magiſtratus creati ſunt, anno 260. tùm in Curiatorum comitiorum locum Tributa ſucceſſiſſe? Tertiò ait idcircò Centuriata ſimùl cum Curiatis non fuiſse ſublata, *Ut eſſent aliqua Comitia auſpicata, quibus Patritii Magiſtratus crearentur; nam Tributa auſpicata non erant.* Quęro, utrum Ædilitas, & Quęſtura Patritii Magiſtratus eſſent, nec ne; eos certè Magiſtratus capere & Patritii poterant. quibus Comitiis Ciceronis temporibus creabantur? procul dubio Tributis. nulla eſt igitur allata ratio, cùm etiam Tributis creari poſsent Patritii Magiſtratus. Cęterùm notandum hic eſt contra Gruchium lib. 2. omnes Patritios Magiſtratus, quos capere Patritiis liceret, primis temporibus, datos fuiſse Centuriatis comitiis; cum enim ait Livius initio lib. 7. Ædiles factos Capitolinum, & Scipionem *Gratia Campeſtri*, indicat Comitia illa habita in Campo Martio Centuriata fuiſse; & ſic optimè Cicero: *Nam Centuriata lex Cenſoribus ferebatur; cum Curiata cæteris Patritiis Magiſtratibus.* At poſtea ex Patritiis Magiſtratibus, majores tantùm, Pręture, Conſulatus, & Cenſura, Centuriatis dabantur; minores, Ædilitas Curulis, Quęſtura, & ſi qui alii erant, Tributis. cum autem Tributa auſpicata non eſſent, propterea Gellius: *in minoribus Magiſtratibus creandis, Tributis comitiis Magiſtratus, ſed juſtiùs Curiata datur lege.* Hoc erat diſcrimen inter

Pa-

Patritios Magiſtratus minores, & plebejos; quod de illis, ſicut de Majoribus, Curiata lex ferebatur poſt Tributa comitia, ſed non de Plebeiis. Ultimò ne illud quidem probo, quod addit de comitiis Curiatis: *Ea retenta fuiſse, ut quæ auſpicato fuerant inſtituta, remanere viderentur*. dixit oratoriè Cicero, & ut Cauſę inſerviret, ea tantùm ad ſpeciem, & ad uſurpationem vetuſtatis adumbrata; quis tamen neget, quicquam actum Curiata lege? *ſine qua nihil agi poſse per Decemviros*, fatetur idem Cicero, *Conſuli, ſi legem Curiatam non habet, attingere rem militarem non licere*. Quamobrem Curiata comitia erant adumbrata, quod attinet ad majorum Magiſtratuum poteſtatem, quę poteſtas auſpicatò conferebatur Centuriatis; iiſdem erant neceſſaria, ut rem militarem tractarent. minoribus Magiſtratibus, utpote inauſpicatò creatis, Tributis comitiis, neceſſariò ferebatur auſpiciorum cauſa; Cenſoribus neceſſaria non erat, cum rem militarem non attingerent; neque Plebeiis Magiſtratibus, quod propriè non eſſent Magiſtratus.

Sed jam venio ad Orationem pro Plancio: *Quaſi non comitiis jam Superioribus ſit Plancius deſignatus Ædilis*. quatuor, ut omnia complectar, quęrenda ſunt; 1. an colligi ex hoc loco poſſit, binis Tributis comitiis Plancium adeptum fuiſſe Ædilitatem 2. an priora quidem à Conſule, poſteriora verò habita fuerint ab Ædile. 3. quinam Conſul prętuiſſe dicatur Comitiis; tria hæc adversùs Manutium. 4. an illa prima Comitia, quorum fit mentio, fuerint Centuriata, ut affirmat Gruchius lib. 1. de Comitiis.

Pri-

Primò, deſignatus Ædilis Plancius, inquit Commentator, ſuperioribus Comitiis, iterùm poſterioribus deſignatur. audio; ſed unum reſtat pręter ea, quæ diſputata ſunt, quod urgeam hoc loco. Fuerit ſuperioribus illis Comitiis deſignatus Plancius Ædilis cum Plotio, poſterioribus habuerit Plotius Collegam Laterenſem; uter conſecutus honorem diceretur, Plotiuſne, an Laterenſis? de Laterenſi affirmare non audeam: *quaſi non comitiis jam ſuperioribus ſit Plancius deſignatus Ædilis*, plures autem in eundem annum ſimùl deſignari cum Plotio non poterant; de Plancio negat ipſe Cicero paulo poſt: *quippe cum jam facti propę Superioribus comitiis, declàratique veniſſent*; qui enim propè facti, & propè declarati ad altera Comitia venerant, non omninò fuerant antea deſignati. Neuter igitur creatus Ædilis dicendus eſſet. at quàm ſæpe hanc varietatem contingere in ſingulis Magiſtratibus neceſſe erat? idque abſurdum ex eo conſequitur, quòd binis Comitiis dari Magiſtratus omnes putemus. Hinc pergit Cicero: *quę Comitia primùm habere cœpit Conſul*. quæ Comitia? procul dubio priora illa, ac ſuperiora. cur ea Comitia Conſul non habuiſse, non abſolviſſe dicitur, ſed habere cœpiſſe? infrà hoc idem pertractabo accuratiùs. Si quem moveat Oratoris teſtimonium, qui aſſerit, deſignatum fuiſſe Plancium Ædilem Superioribus comitiis, advertat, quid de ſe ipſe dicat pro Lege Manilia: *nam, cum propter dilationem Comitiorum, ter Prætor primus Centuriis cunctis renunciatus ſum*; & in Miloniana, de T. Annio: *meminit etiam, ſibi vocem Pręconis modo defuiſſe, quam minimè deſiderarit; Populi verò cunctis ſuffragiis, quod unum cupierit, ſe Conſulem declaratum*.

Sci-

Scilicèt quâ ratione Milo declaratus eſt Conſul, Cicero renunciatus Prætor ſemel, atq; iterùm, antequàm re ipſa deſignarentur, impeditis Comitiis per obnunciationem Magiſtratuum, aut Augurum nunciationem, &, ut illius verbis utar, *proptèr dilationem Comitiorum*; ſimilitèr hac Oratione deſignatus Ædilis Plancius dicitur, licèt abſolvi Comitia eandem ob cauſam non potuerint, obnunciatione, vel nunciatione impedita, ut oſtendam.

Secundò, prima Comitia, inquiunt, Conſul habuit, hinc *Habere cœpit*; poſteriora Ædilis. Si de eadem re duo Magiſtratus tulerint, is, qui primus tulit, cœpiſſe ferre dicendus eſt, non ſimplicitèr tuliſse? Cum de reditu Ciceronis primùm rogaverit Milo Tribunus plebem, ut vulgo creditur, deinde Lentulus Conſul univerſum Populum; igitur cœpit Milo tùm habere Comitia, non re ipſa habuit; quippe & altera ſubſecuta ſunt. eodemque modo Conſules habere cœpiſſe Comitia Magiſtratuum dicamus, ſive illa Centuriata, ſive Tributa fuerint, quia ſemper de Magiſtratibus ſingulis etiam Curiata comitia habuerunt. Cur igitur habere cępit Conſul comitia Ædilitia? quia quæ cœperat, non potuit abſolvere, *proptèr dilationem Comitiorum*. Negas? attende, quæ paulò infrà ſubjungit Cicero: *quo quidem tempore, ſi id, Laterenſis, facere voluiſſes, quod multi Nobiles ſępe fecerunt, ut, cum minùs valuiſſent ſuffragiis, quàm putaſſent, poſtea, prolatis Comitiis, proſternerent ſe*, & cæt. Quo tempore noluit Laterenſis fracto animo, atque humili ſupplicare Populo, ſicut alii quidam Nobiles fecerant ante ipſum, & non alteris Comitiis, ſed iiſdem *prolatis Comi-*

mi-

mitiis, quæ Conſul habere cœperat, in quibus minùs ſuffragiis valuerat, quàm Plotius, & Plancius Competitores. Una, & eadem Comitia obnunciatione impedita, ac ſublata, cœpta haberi dicuntur, & prolata fuiſſe; non autem, cum, prioribus Comitiis abſolutis, poſteriora alio die habentur ex lege, & veteri inſtituto, ab alio Magiſtratu, ſecundùm Adverſariorum doctrinam. Hæc ſatis dicta ſint, quod attinet ad Oratoris ſententiam explicandam; nam Gruchius lib. 2. fusè diſputat, comitia Ædilitia haberi non potuiſse ab Ædilibus. Primos Ædiles, ait ille, Dictator creavit, ut tradit Livius lib. 6. & Conſules habuiſſe deinde Ædilium Curulium comitia, ex hiſtoria conſtare poteſt. Epiſtola 3. lib. 4. ad Atticum docet, Q. Metellum Nepotem Conſulem Comitiis præfuiſse, quibus Clodius creatus eſt Ædilis. Non habebant Ædiles jus agendi cum Populo, ut patet ex XII. Tabulis, adeòque ne edicendi quidem Comitia; licèt & habere ad populum concionem poſsent, & diem dicere. Tandem, ſi Ædilibus Ædiles creare licuiſset, cum ad Interregnum res redibat, potuiſset evenire, ut, non creatis Conſulibus, & Prętoribus, ſumma Reip. veniret in Ædilium Curulium, qui jam creati ab Ædilibus eſsent, poteſtatem. neque enim tùm verum eſse potuiſset, Remp. abſque ullo Curuli Magiſtratu eſse. Addam ego conjecturam non contemnendam: Ædilitas, ſi cum Prætura, aut Conſulatu conferatur, auctoritatis parum habet; hinc Verrina 2. *erit tum Conſul Hortenſius cum ſummo imperio, & poteſtate; ego autem Ædilis, hoc eſt paulo amplius, quàm privatus*, ſi

cum

cum Quæſtura, dignitate multum præſtat. A Conſulibus habita fuiſse Conſularia, & Prętoria comitia, nemo ignorat; Quæſtoria etiam, ſicut colligitur ex Oratione in Vatinium: *quæro abs te, teneas ne memoria, cum P. Sextius Quæſtor ſit cunctis ſuffragiis factus, tunc te vix, invitis omnibus, non Populi beneficio, ſed Conſulis* (qui Comitiis præerat) *extremum adhæſiſſe?* Si poteſtas Conſulum ſpectatur, cur non crearent Ædiles, qui Conſules, & Prætores creabant? ſi Magiſtratuum dignitas, cur dedignarentur comitiis Ædilitiis præeſse, qui prçerant Quæſtoriis? Quapropter notat Gruchius, id, quod eſt apud Gellium lib. 6. cap. 9. ex Piſonis tertio annali; Comitia ab Ædile habita fuiſse, quibus creatus eſt Ædilis Cn. Flavius, aut eſse falſum, aut mendo non carere; & ubi legitur, *At Ædilis, qui Comitia habebat*, videri meliùs, veriuſque legendum, *At ille, qui Comitia habebat*, ut ipſe Conſul ſignificetur Comitiorum auctor.

Tertiò, quæritur nomen Conſulis, qui habuerit Plancii comitia. Manutius utpote qui Domitio, & Appio Coſs. habitam hanc Orationem putat, eorum alterum aſſignat, & Domitium quidem potius, quàm Appium, quia priore loco creatum. Bone Deus! ut facilis eſt ex uno errore in alium lapſus! jam ſupra demonſtravi, non illum Conſulem habere Comitia conſueviſse, qui prior renunciatus fuiſset, cum id munus alteruter obtineret, vel ſorte, vel Sen. Conſulto, niſi inter ſe comparaſſent; ſed & reliqua æquè perſpicua ſunt. Cicero in primis hæc refert: *quæ Comitia primùm habere cœpit Conſul, tum omni-*

omnibus in rebus ſumma auctoritate , *tum harum ipſarum legum ambitus lator* . Conſul nimirùm , qui Plancium Ædilem creaverat , hanc ipſam legem Ambitus tulerat , qua deſignatus ille poſtulabatur . Quænam Lex illa erat ? *nomine legis Liciniæ* , *quæ eſt de Sodalitiis* , *omnes Ambitus leges complexus es* . Liciniam igitur legem , qua poſtulatus fuerat à Laterenſi Plancius , Domitius Conſul tulit per Manutium . Cur non Domitia appellata eſt ? cur ab alio potius , quàm à Latore nomen deſumpſit ? quia M. Licinius Craſſus & habuerat Comitia , & legem ipſam pertulerat . Plancius à L. Domitio deſignatus eſt Ædilis , adeòque in inſequentem annum , ait Commentator ; ut Magiſtratum iniret Kal. Januariis Cn. Domitio , & M. Meſſala Coſſ. Hoc profectò falſum eſt ; nam eodem anno , Domitio , & Meſſala Coſſ. Favonium Ædilem fuiſſe , non autem Plancium cum Plotio , tradit Plutarchus in Catone Juniore . Quid verò , ſi doceam eo ipſo anno Interregnum fuiſſe ? cum res ad Interregnum rediret , ſi nullus eſſet in Rep. Patritius Magiſtratus , nulli erant procùl dubio Kal. Januar. Ædiles deſignati. Anno. V. C. 697. Conſules Domitium , & Meſſalam , ac reliquos omnes Patritios Magiſtratus creatos fuiſſe ab Interrege , habetur ex Epiſtolis ad Q. Fratrem , ex Plutarcho in Pompejo , & præcipuè ex Miloniana , ubi ait Orator : *P. Clodius cum ſtatuiſſet omni ſcelere in Prætura vexare Remp. videretque ita tracta eſſe Comitia anno ſuperiore , ut non multos Menſes Præturam gerere poſſet , qui non honoris gradum ſpectaret, ut cæteri , ſed & L. Paullum collegam effugere vellet , & annum integrum ad di-*

dilacerandam Remp. quæreret , ſubito reliquit annum ſuum , ſeque in annum proximum tranſtulit , non religione aliqua , ſed ut haberet , quod ipſe dicebat , ad Præturam gerendam , hoc eſt ad evertendam Remp. plenum annum , atque integrum . quinam ille annus ſuperior eſt , de quo loquitur Cicero ? ab V. C. 697. qui Conſules habuit Domitium , & Meſſalam ; is enim annus eſt , quo Clodius Preturam gerere poterat , biennio interiecto poſt Ædilitatem ; quo L. Paulus Prętor fuit , quippe Conſul deinde poſt biennium creatus ; quo relicto anno ſuo Clodius Pręturam petiit in inſequentem , cum T. Annius Milo Conſularis eſſet Candidatus . Quare Clodius Prætor eſſe noluit ſuo anno , Domitio , & Meſſala Coſſ. ut dictum eſt ? quia illius anni non multi Menſes ſupererant , cum prolata fuiſſent Comitia ; quia ad Præturam gerendam annum plenum , atque integrum quærebat . Jam nemo non videt , Kal. Januar. ejuſdem anni nullos fuiſſe Magiſtratus in Rep. proindeque ne Æediles quidem , omniumque Comitia habita ab Interrege , non à L. Domitio Conſule ſuperioris anni ; cum tamen Ædilitia Plancii Comitia ſine controverſia Conſul habuerit.

Quartò , Comitia illa , quæ habere cępit Conſul pro Ædilibus creandis , Centuriatane fuerunt , an Tributa ? Centuriata , inquit Gruchius lib. 1. immemor eorum , quæ poſtea ſcripſit , Ædiles , Quæſtores , & cæteros Magiſtratus minores Tributis ſemper Comitiis fuiſse creatos . Quod cum ille perperàm ſenſerit , tùm quia Prærogativę Centuriæ mentio fit , tùm etiam quia Conſularia ea Comitia dicuntur ; univerſus mihi locus explicandus eſt ſigillatim , qui per ſe videtur obſcurus ,

X Ex

Ex eo Cicero arguit, Plancium deſignandum fuiſſe Ædilem, quòd jam deſignatus fuerat primis illis Comitiis, quæ cœperat habere Conſul, ſed propter obnunciationem abſolvere non potuerat. argumentum eſt à Comparatione minorum: Plus auctoritatis habent tota Comitia, quàm una Centuria Prærogativa; at ille ſemper creatur, quem Prærogativa Centuria Conſulem, aut Prætorem nominat; multo magis igitur creari legitimè debuerat Ædilis poſterioribus Comitiis, qui jam Superioribus deſignatus fuerat. Prima pars de Prærogativa Centuria eſt hujuſmodi: *an tandem una Centuria Prærogativa tantum habet auctoritatis, ut nemo unquàm prior eam tulerit, quin renunciatus ſit.* ſumitur Comparatio à Centuriatis Comitiis, non à Tributis; non enim, quantum auctoritatis habet Centuria Prærogativa Centuriatis, alterum tantum comitiis Tributis obtinebat Tribus Prærogativa; vel certè in Centuria Prærogativa id fieri, magis erat mirandum, quòd multo plures eſſent Centuriæ, quàm Tribus. Sequitur & altera pars: *Tu aut ipſis Comitiis Conſularibus* (habitis paulo poſt à Conſule, nullo Magiſtratu obnunciante) *aut certè in illum annum Ædilem Plancium factum miraris, in quo non exigua pars Populi, ſed univerſus Populus voluntatem ſuam declararit; cujus in honore non unius Tribus pars, ſed Comitia tota Comitiis fuerint prærogata?* Argumentum urget tribus Adjunctis; tùm quia ab eodem Conſule Comitia illa habita fuerant, qui & habuerat poſteriora; tùm quia eodem anno utraque habita ſunt; tùm quia univerſus Populus, non illius exigua pars, qualis erat Centu-

tu-

turia Prærogativa , pars unius Tribus , ſuam in Plancium voluntatem declaraverat , cum obnunciatione , vel nunciatione Comitia fuerant antea impedita.

Profectò ineunti cum valentibus Adverſariis certamen , longa Oratione opus erat , quam tibi maximè probari velim ; me amá , ut ſoles , & Vale . Kal. Maii A. S. 1697.

EPISTOLA SEXTA.

AD NOB. N. N. P. P.

De Jure Suffragii.

DUas de Novorum Civium ſuffragiis latas leges explicaturus , Corneliam , atque Maniliam , quæ ſicut olim bellorum , & ſedicionum cauſa fuere , ita nunc Viris eruditis diſputandi pro ſua cuique parte anſam præbent , ad te , quaſi ad Arbitrum venio . multa enim ſunt , quæ mihi magis fortaſſe , quàm par eſt , omnia formidanti animum faciant . Hærebo dubius ignoratione Juris antiqui ? tua me Sapientia facilè expediet . premet novum hominem Adverſariorum auctoritas ? tuam ipſe reponam . deerunt ad probandam cauſam argumenta , quæque attenduntur maximè , Veterum teſtimonia ? ea tu ſatis , & abundè ſuppeditabis . Ut uno verbo cuncta complectar ; judicis , Advocati , Patroni , aut (quando mihi

 pri-

primæ delatæ ſunt) Subſcriptoris etiam partes te acturum eſſe confido.

Querebatur in Senatu Rullus, ut habet Agraria 2. cum deducere Capuam Coloniam vellet: *Urbanam plebem nimiùm in Rep. poſſe*. at qua tandem ratione nimiùm in Rep. poterat Plebs Urbana? *in ſuffragiis*, reſpondet Commentator, *cum in quatuor Tribubus diſpertita eſſet*. quod non rectè eſſe dictum, tribus argumentis oſtendo. In primis interrogatus in Senatu à Cicerone Rullus, quemadmodum agrum Campanum diſtributurus eſſet: *reſpondit à Romilia Tribu ſe initium eſse facturum*. illene profiteri poterat in Senatu, ſe plebem Urbanam exhaurire velle, qui ab una ex Ruſticis Tribubus facturus erat initium, reliquas non præteriturus, ut ultimò ad Urbanas deſcenderet, ſi nomine plebis Urbanæ quatuor Urbanas Tribus intelligamus? Duplex, quod ad hanc attinet controverſiam, notanda eſt Populi R. diviſio; primò ita diviſus erat in triginta quinque Tribus, ut una, ac triginta eſſent Ruſticæ, quæ Cives omnes locupletes, & ferè ingenuos complectebantur; quatuor Urbanę, Palatina, Eſquilina, Collina, & Suburana, in quas, teſte Plinio, transferri ignominiæ erat. Secundò Plebs ipſa dividebatur in Urbanam, & Ruſticam; illa, quæ maneret in Urbe; hęc, quæ in pagis, & montibus Urbi proximis habitaret. utramque ſignificat Cicero Oratione pro Domo Sua: *Nullum eſt in hac Urbe Collegium* (Urbana plebs) *nulli pagani, aut montani* (plebs Ruſtica) & quia, cum de Urbana plebe loqueretur, collegiorum mentionem fecerat, non item, cum de Ruſtica; ideo

ideo ſtatim adjungit : *quoniam plebi quoque Urbanæ majores noſtri conventicula , & quaſi concilia quædam eſſe voluerunt* . Cum in Tribus Urbanas transferri , ignominię eſset ; quis putet univerſam plebem Urbanam in quatuor illis Tribubus ſuffragium tuliſſe ? quàm multi erant ingenui Cives , & inopes , qui locum in Ruſticis Tribubus à ſuis Majoribus traditum tenebant ? ſi nulli in Ruſticis inopes , cur iis etiam Tribubus à Rullo ager dividebatur ? ſi nulla erat Plebs , præterquàm in quatuor Urbanis Tribubus , cur Tributa Comitia , plebis Comitia dicebantur ? Hęc omnia declarant , Urbanæ plebis nomine non intelligi Urbanas Tribus tantùm , ſed eos omnes , qui diſpertiti in triginta quinque Tribubus , neque eſsent Equites R. neque Senatores , & nullum ferè cenſum haberent . dicitur autem Plebs , quia diſtincta à Senatoribus , & ab Equitibus ; Urbana ad excludendam Ruſticam plebem , quæ in pagis erat , & montibus . Verùm hoc utcumque non admodùm certum ſit ; peto deinde ab Adverſariis , quomodo in Suffragiis nimiùm in Rep. poſſit plebs Urbana , in quatuor Tribubus diſpertita ? Centuriatiſne comitiis , an Tributis ? cum id ratum eſset , quod Centuriarum , vel Tribuum pars major juſſiſſet , ut ſuprà colligitur : *jubet enim Tribunum pl. qui eam legem tulerit , creare Decemviros per Tribus ſeptem decem , ut quem novem Tribus fecerint , is Decemvir ſit* .. neque porrò Centuriatis Comitiis aliquid poterat plebs Urbana , quæ omnis , una tantùm Centuria continebatur ; neq; Tributis , cum ſola quatuor ſuffragia haberet , reliqua unum & triginta , Ruſticarum Tribuum eſsent .

vertamur, plebs Urbana nimiùm in Rep. poterat, proptèr ſedicioſas Conciones à Tribunis haberi ſolitas, quòd illius opera perditi homines in vexanda Rep. uterentur. Nunc de lege Manilia.

Pompejus tulerat, ut in Cauſa Milonis crearetur Quęſitor ex Conſularibus, Populi ſuffragio; idemque perfecerat, ut reliquis præferretur L. Domitius. cujus benevolentiam ſibi conciliat Cicero Milonis Patronus, commemorans, quę ab illo geſta fortitèr fuerant in adoleſcentia: *dederas enim, quàm contemneres populares inſanias, jam ab adoleſcentia, documenta maxima*. Aſconius, quem nonnulli ex Recentioribus ſequuntur, ita hunc locum interpretatur: *Conſtantiam*, inquit, *L. Domitii, quam in Pretura preſtitit, ſignificat. nam eo tempore, cum Cn. Manlius* (legendum eſt *C.* Manilius) *Tribunus pl. ſubnixus libertinorum, & ſervorum manu, perditiſſimam legem ferret, ut libertinis in omnibus Tribubus ſuffragium eſſet, diſcuſſerat, perruperatque cętum ſedicioſorum Domitius*. Ne quem in poſterum tanti Viri auctoritas fallàt, quatuor præſtabo. oſtendam 1. quænam eſſet lex iſta de Libertinis; 2. quo anno eam tulerit Manilius; 3. non fuiſſe tunc temporis Prætorem L. Domitium; 4. quomodo ſit emendandus Aſconius.

Cum Libertini in quatuor Urbanis Tribubus cenſerentur, in iiſque ſuffragium ferrent, ex veteri inſtituto; anno V. C. 662. P. Sulpicius Tribunus pl. *L.* Sylla, & Q. Pompejo Coſs. legem tulit, *Ut novi Cives, Libertinique diſtribuerentur in omnes Tribus*, etiam Ruſticas, ne in ſuffragiis ferendis diſtinguerentur ab Ingenuis. Hoc docet Cicero Oratione pro C. Cornelio: *quæ lex paucis bis annis non modò ſcripta, ſed etiam lata*

eſ-

eſſet ; additque Commentator Aſconius : *P. Sulpicium in Tribunatu hanc eandem legem tuliſſe ſignificavimus ; tulit autem L. Sylla, Q. Pompejo Coſſ.* Victor deinde Sylla, antequam in Aſiam proficiſceretur contra Mithridatem, non ex Aſiâ *in Italiam reverſus*, ut ſcribit Sex. Aurelius, Mario Seniore pulſo, & interfecto Sulpicio, omnes Sulpicii leges abrogavit; proindèque & illam de Libertinis, de quibus nihil aliud tentatum eſt per annos duos, & viginti, uſque ad C. Manilium. Qui anno V. C. 683. Piſone, & Glabrione Coſſ. Tribunus pl. creatus, ſtatim inito Magiſtratu IV. Id. Decemb. eandem legem promulgavit, quæ, fortiſſimè obſtante Senatu, perferri non potuit. Aſconius ibidem : *Manilius, ſicut jam oſtendimus, poſt pauculos ſtatim dies, quàm inierat Tribunatum, legem eandem Compitalibus pertulit*; paulo poſt : *quæ cum S. C. damnata eſſet, ab ipſo quoque Manilio abiecta eſt*. Idem narrat Dio lib. 36. neque obeſt, fuiſſe Manilium Tribunum pl. anno ſequenti 684. Cicerone Prætore, cum de præficiendo Pompejo bello Mithridatico ageretur; nam menſe Decembri, poſt initum à Tribunis pl. Magiſtratum, Lex illa de Libertinis ſtatim lata eſt; de Pompejo autem poſt aliquot Menſes, cum novi Conſules, Lepidus, & Volcatius jam & ipſi Magiſtratum iniiſſent.

At L. Domitius Prætor non fuit, Piſone, & Glabrione Coſſ. cur enim biennio interiecto, non petiit Conſulatum cum L. Cæſare, & C. Figulo? cur elapſis duodecim annis, tùm demùm petiit? quippe ex Plutarcho patet, anno 695. Competitoribus Pompejo, & Craſſo, qui petebant iterùm eundem Magiſtratum, Conſularem Candidatum fuiſſe L. Domitium.

tium. Suetonius in Cæſare: *Functus Conſulatu, C. Memmio, Lucioque Domitio Prætoribus de ſuperioris anni actis referentibus, cognitionem Senatui detulit*, Cæſar nimirùm, antequàm iret in Provinciam, cum eſſent Conſules Piſo, & Gabinius; quo anno pulſus eſt in exilium Cicero. qui Epiſtola 15. lib. 3. ad Atticum, cum jam exularet, hæc habet: *quid igitur Domitius ſe dixit relaturum?* cum neque Conſul eſſet Domitius, neque Tribunus pl. referre tamen ad Senatum poſſet, ſequitur, eum fuiſſe Prætorem anno poſt Cæſaris Conſulatum, ſcilicet ab V. C. 692. Quid igitur de Aſconii teſtimonio ſentiendum eſt? an fœdè lapſum Virum eruditum dicamus? nequaquàm, ſed illius verba non carere mendo ſuſpicor, & ita corrigo: *conſtantiam L. Domitii, quam in Quæſtura præſtitit, ſignificat*. eſt enim veriſimile, cum Manilius legem de Libertinis ferret, fuiſſe Quæſtorem Domitium, unum ac triginta annos natum, qui poſt novem annorum intervallum Præturam geſſit; & de Quæſtore potius, quàm de Prætore illud à Cicerone dictum videtur: *dederas enim, quàm contemneres populares inſanias, jam ab adoleſcentia, documenta maxima*. quamvis reipſa aliquandò Prætorii etiam Viri vocari ſolerent Adoleſcentes.

Cicero Philippica 8. cauſas affert ſuperiorum bellorum Civilium; & ſecundum, quod L. Cinna Conſul geſſit cum Cn. Octavio Collega, natum ait ex lege lata de novorum Civium ſuffragiis; qua de re alia quędam dicenda ſunt. Novi Cives primis etiam Reip. temporibus dicebantur Libertini, quibus cum libertate Civitas quoque Romana dabatur; poſt legem Juliam, quam L. Cæſar Con-

ſul

ſul tulit anno V. C. 660. *Ut Civitas daretur Sociis & Latinis, qui bello Sociali aut arma non ſumpſiſſent, aut ſtatim depoſuiſſent*, hi Populi omnes dicti ſunt novi Cives. Cum alterum genus iſtorum Civium in quatuor tantùm Tribubus Urbanis ſuffragium ferret, alterum vel in iiſdem quatuor, vel in octo, vel in decem Tribubus tùm primùm inſtitutis, adeoque minimum gratiæ obtinerent Comitiis; P. Sulpicius Tribunus pl. biennio poſt tulit, *Ut Novi Cives* (recenti lege Julia civitate donati) *Libertinique diſtribuerentur in Tribus*; ut partiti in triginta quinque Tribus, & immixti veteribus Civibus rogarentur Comitiis. Alia quædam Lex ejuſdem Tribuni pl. bellum Mithridaticum ademptum L. Syllæ Conſuli, demandabat C. Mario, ut refert Plutarchus. itaque Sylla iratus Romam cum exercitu venit, pulſisque aut interfectis inimicis, omnes Sulpicii leges abrogavit. Ciceronis verba ſunt: *Sylla cum Sulpicio de jure legum, quas per vim Sylla latas eſſe dicebat*. Anno ſequenti 663. L. Cornelius Cinna Conſul cum Cn. Octavio, eandem illam legem promulgavit, ut non Libertini quidem, de quibus nihil tulit, ſed Italiæ Populi, lege Julia in Civitatem recepti, in omnibus triginta quinque Tribubus ſuffragium ferrent Tributis comitiis; Centuriatis autèm, in ea Claſſe, quam juxta cenſum obtinerent. Huic cum reſiſteret Octavius Collega, rem perniciosam ratus, ſi jus creandorum Magiſtratuum, legumque condendarum à Veteribus Civibus ad Novos transferretur, cum multo plures eſſent; iterùm ſumpta ſunt arma: *Cinna cum Octavio de novorum Civium ſuffragiis*. Quid? inquies, an hæc etiam deinde abrogata eſt? minimè Floro

teſte

omnibus in rebus ſumma auctoritate , tum harum ipſarum legum ambitus lator . Conſul nimirùm , qui Plancium Ædilem creaverat , hanc ipſam legem Ambitus tulerat , qua deſignatus ille poſtulabatur . Quænam Lex illa erat ? *nomine legis Liciniæ , quæ eſt de Sodalitiis , omnes Ambitus leges complexus es* . Liciniam igitur legem , qua poſtulatus fuerat à Laterenſi Plancius , Domitius Conſul tulit per Manutium . Cur non Domitia appellata eſt ? cur ab alio potius , quàm à Latore nomen deſumpſit ? quia M. Licinius Craſſus & habuerat Comitia , & legem ipſam pertulerat . Plancius à L. Domitio deſignatus eſt Ædilis , adeòque in inſequentem annum , ait Commentator ; ut Magiſtratum iniret Kal. Januariis Cn. Domitio , & M. Meſſala Coſſ. Hoc profectò falſum eſt ; nam eodem anno , Domitio , & Meſſala Coſſ. Favonium Ædilem fuiſſe , non autem Plancium cum Plotio , tradit Plutarchus in Catone Juniore . Quid verò, ſi doceam eo ipſo anno Interregnum fuiſſe ? cum res ad Interregnum rediret , ſi nullus eſſet in Rep. Patritius Magiſtratus , nulli erant procùl dubio Kal. Januar. Ædiles deſignati. Anno. V. C. 697. Conſules Domitium , & Meſſalam , ac reliquos omnes Patritios Magiſtratus creatos fuiſse ab Interrege , habetur ex Epiſtolis ad Q. Fratrem , ex Plutarcho in Pompejo , & præcipuè ex Miloniana , ubi ait Orator : *P. Clodius cum ſtatuiſſet omni ſcelere in Prætura vexare Remp. videretque ita tracta eſſe Comitia anno ſuperiore , ut non multos Menſes Præturam gerere poſſet , qui non honoris gradum ſpectaret, ut cæteri , ſed & L. Paulum collegam effugere vellet , & annum integrum ad* di-

dilacerandam Remp. quæreret, *ſubito reliquit annum ſuum*, *ſeque in annum proximum tranſtulit*, *non religione aliqua*, *ſed ut haberet*, *quod ipſe dicebat*, *ad Præturam gerendam*, *hoc eſt ad evertendam Remp. plenum annum*, *atque integrum*. quinam ille annus ſuperior eſt, de quo loquitur Cicero? ab V. C. 697. qui Conſules habuit Domitium, & Meſſalam; is enim annus eſt, quo Clodius Pręturam gerere poterat, biennio interiecto poſt Ædilitatem; quo L. Paulus Prętor fuit, quippe Conſul deinde poſt biennium creatus; quo relicto anno ſuo Clodius Pręturam petiit in inſequentem, cum T. Annius Milo Conſularis eſſet Candidatus. Quare Clodius Prætor eſſe noluit ſuo anno, Domitio, & Meſſala Coſſ. ut dictum eſt? quia illius anni non multi Menſes ſupererant, cum prolata fuiſſent Comitia; quia ad Præturam gerendam annum plenum, atque integrum quærebat. Jam nemo non videt, Kal. Januar. ejuſdem anni nullos fuiſſe Magiſtratus in Rep. proindeque ne Ædiles quidem, omniumque Comitia habita ab Interrege, non à L. Domitio Conſule ſuperioris anni; cum tamen Ædilitia Plancii Comitia ſine controverſia Conſul habuerit.

Quartò, Comitia illa, quæ habere cępit Conſul pro Ædilibus creandis, Centuriatane fuerunt, an Tributa? Centuriata, inquit Gruchius lib. 1. immemor eorum, quæ poſtea ſcripſit, Ædiles, Quæſtores, & cæteros Magiſtratus minores Tributis ſemper Comitiis fuiſse creatos. Quod cum ille perperàm ſenſerit, tùm quia Prærogativę Centuriæ mentio fit, tùm etiam quia Conſularia ea Comitia dicuntur; univerſus mihi locus explicandus eſt ſigillatim, qui per ſe videtur obſcurus,

Ex eo Cicero arguit, Plancium deſignandum fuiſſe Ædilem, quòd jam deſignatus fuerat primis illis Comitiis, quæ cœperat habere Conſul, ſed propter obnunciationem abſolvere non potuerat. argumentum eſt à Comparatione minorum: Plus auctoritatis habent tota Comitia, quàm una Centuria Prærogativa; at ille ſemper creatur, quem Prærogativa Centuria Conſulem, aut Prætorem nominat; multo magis igitur creari legitimè debuerat Ædilis poſterioribus Comitiis, qui jam Superioribus deſignatus fuerat. Prima pars de Prærogativa Centuria eſt hujuſmodi: *an tandem una Centuria Prærogativa tantum habet auctoritatis, ut nemo unquàm prior eam tulerit, quin renunciatus ſit.* ſumitur Comparatio à Centuriatis Comitiis, non à Tributis; non enim, quantum auctoritatis habet Centuria Prærogativa Centuriatis, alterum tantum comitiis Tributis obtinebat Tribus Prærogativa; vel certè in Centuria Prærogativa id fieri, magis erat mirandum, quòd multo plures eſſent Centuriæ, quàm Tribus. Sequitur & altera pars: *Tu aut ipſis Comitiis Conſularibus* (habitis paulo poſt à Conſule, nullo Magiſtratu obnunciante) *aut certè in illum annum Ædilem Plancium factum miraris, in quo non exigua pars Populi, ſed univerſus Populus voluntatem ſuam declararit; cujus in honore non unius Tribus pars, ſed Comitia tota, Comitiis fuerint prærogata?* Argumentum urget tribus Adjunctis; tùm quia ab eodem Conſule, Comitia illa habita fuerant, qui & habuerat poſteriora; tùm quia eodem anno utraque habita ſunt; tùm quia univerſus Populus, non illius exigua pars, qualis erat Centu-

tu-

turia Prærogativa, pars unius Tribus, ſuam in Plancium voluntatem declaraverat, cum obnunciatione, vel nunciatione Comitia fuerant antea impedita.

Profectò ineunti cum valentibus Adverſariis certamen, longa Oratione opus erat, quam tibi maximè probari velim; me ama, ut ſoles, & Vale. Kal. Maii A. S. 1697.

EPISTOLA SEXTA.

AD NOB. N. N. P. P.

De Jure Suffragii.

DUas de Novorum Civium ſuffragiis latas leges explicaturus, Corneliam, atque Maniliam, quæ ſicut olim bellorum, & ſedicionum cauſa fuere, ita nunc Viris eruditis diſputandi pro ſua cuique parte anſam præbent, ad te, quaſi ad Arbitrum venio. multa enim ſunt, quæ mihi magis fortaſſe, quàm par eſt, omnia formidanti animum faciant. Hærebo dubius ignoratione Juris antiqui? tua me Sapientia facilè expediet. premet novum hominem Adverſariorum auctoritas? tuam ipſe reponam. deerunt ad probandam cauſam argumenta, quæque attenduntur maximè, Veterum teſtimonia? ea tu ſatis, & abundè ſuppeditabis. Ut uno verbo cuncta complectar; judicis, Advocati, Patroni, aut (quando mihi

primæ delatæ ſunt) Subſcriptoris etiam partes te acturum eſſe confido.

Querebatur in Senatu Rullus, ut habet Agraria 2. cum deducere Capuam Coloniam vellet: *Urbanam plebem nimiùm in Rep. poſſe*. at qua tandem ratione nimiùm in Rep. poterat Plebs Urbana? *in ſuffragiis*, reſpondet Commentator, *cum in quatuor Tribubus diſpertita eſſet*. quod non rectè eſſe dictum, tribus argumentis oſtendo. In primis interrogatus in Senatu à Cicerone Rullus, quemadmodum agrum Campanum diſtributurus eſſet: *reſpondit à Romilia Tribu ſe initium eſſe facturum*. illene profiteri poterat in Senatu, ſe plebem Urbanam exhaurire velle, qui ab una ex Ruſticis Tribubus facturus erat initium, reliquas non præteriturus, ut ultimò ad Urbanas deſcenderet, ſi nomine plebis Urbanæ quatuor Urbanas Tribus intelligamus? Duplex, quod ad hanc attinet controverſiam, notanda eſt Populi R. diviſio; primò ita diviſus erat in triginta quinque Tribus, ut una, ac triginta eſſent Ruſticæ, quæ Cives omnes locupletes, & ferè ingenuos complectebantur; quatuor Urbanę, Palatina, Eſquilina, Collina, & Suburana, in quas, teſte Plinio, transferri ignominiæ erat. Secundò Plebs ipſa dividebatur in Urbanam; & Ruſticam; illa, quæ maneret in Urbe; hęc, quæ in pagis, & montibus Urbi proximis habitaret. utramque ſignificat Cicero Oratione pro Domo Sua: *Nullum eſt in hac Urbe Collegium* (Urbana plebs) *nulli pagani, aut montani* (plebs Ruſtica) & quia, cum de Urbana plebe loqueretur, collegiorum mentionem fecerat, non item, cum de Ruſtica;

ideo

ideo ſtatim adjungit : *quoniam plebi quoque Urbanæ majores noſtri conventicula , & quaſi concilia quædam eſſe voluerunt* . Cum in Tribus Urbanas transferri , ignominię eſset ; quis putet univerſam plebem Urbanam in quatuor illis Tribubus ſuffragium tuliſse ? quàm multi erant ingenui Cives , & inopes , qui locum in Ruſticis Tribubus à ſuis Majoribus traditum tenebant ? ſi nulli in Ruſticis inopes , cur iis etiam Tribubus à Rullo ager dividebatur ? ſi nulla erat Plebs , præterquàm in quatuor Urbanis Tribubus , cur Tributa Comitia , plebis Comitia dicebantur ? Hęc omnia declarant , Urbanæ plebis nomine non intelligi Urbanas Tribus tantùm , ſed eos omnes , qui diſpertiti in triginta quinque Tribubus , neque eſsent Equites R. neque Senatores , & nullum ferè cenſum haberent . dicitur autem Plebs , quia diſtincta à Senatoribus , & ab Equitibus ; Urbana ad excludendam Ruſticam plebem , quæ in pagis erat , & montibus . Verùm hoc utcumque non admodùm certum ſit ; peto deinde ab Adverſariis , quomodo in Suffragiis nimiùm in Rep. poſſit plebs Urbana , in quatuor Tribubus diſpertita ? Centuriatiſne comitiis , an Tributis ? cum id ratum eſset , quod Centuriarum , vel Tribuum pars major juſſiſset , ut ſuprà colligitur : *jubet enim Tribunum pl. qui eam legem tulerit , creare Decemviros per Tribus ſeptem decem , ut quem novem Tribus fecerint , is Decemvir ſit* . . neque porrò Centuriatis Comitiis aliquid poterat plebs Urbana , quæ omnis , una tantùm Centuria continebatur ; neq; Tributis , cum ſola quatuor ſuffragia haberet , reliqua unum & triginta , Ruſticarum Tribuum eſsent .

Poſtremò, ſumat Rullus ex quatuor Tribubus Urbanis maximam hominum multitudinem, eamque in Colonias deducat; an ſic minùs illæ Tribus in ſuffragiis poſſent? unius quidem Tribus unum tantùm ſuffragium eſt, ſeu quinquaginta Civium millia comprehendat, ſeu multò pauciores. an Suburranæ Tribus ſuffragium minoris momenti futurum erat, ſi plurimi ex iis, qui in ea rogabantur, ejicerentur ex Urbe in Coloniam? Aliter igitur locus ille explicandus eſt: Urbana plebs nimium poterat in Rep. hoc eſt in ſuffragiis, quia, cum pleraque Romæ tùm fierent comitiis Tributis, ipſa in omnibus Tribubus diſpertita, Comitiorum domina vocari poterat; erat enim in qualibet Tribu multo major Plebejorum numerus, quàm reliquorum Civium; illud autem erat unjuſcuiuſque Tribus ſuffragium, quod plures Tribules, non quod nobiliores juſſiſſent.

Veniat inſupèr in diſceptationem illud pro Domo Sua, quo P. Clodio Cicero exprobrat, Amicos illius in petitione Magiſtratuum turpem adeò repulſam tuliſse, *Ut etiam Palatinam tuam perderent*. Non dubito, quin P. Vatinius ſignificetur; nam ille, cum Tribunus pl. fuiſſet Cæſare Conſule, & Clodii partes ſequutus eſſet, in petitione deinde Ædilitatis repulſus eſt, Oratione pro Sextio. quam ob cauſam Palatina Clodii Tribus vocetur, quærendum. An quòd in ea cenſebatur, & ſuffragium ferebat, ut Manutius exiſtimat? non probo. Ex triginta quinque Tribubus, quatuor erant Urbanæ, in quibus Libertini, noviq; Cives, & egentiſſimi; reliquæ Ruſticæ, in quibus veteres Cives omnes, quique prędia poſſiderent, cenſeri ſolebant. non crediderim, ditiſſimum,

&

& nobiliſſimum hominem P. Clodium, ex vetuſtiſſima ortum Familia Patritia, in Urbana Tribu Palatina cenſum fuiſſe. An notatus à Cenſoribus, Tribuque motus fuerat ignominiæ cauſa? at hoc illi nuſquàm objicitur ab inimico Cicerone; & non erat in Senatore uſitata, eo quidem tempore, talis animadverſio Cenſoria. hominem plebejum Tribu movebant, Equitibus R. publicum equum adimebant; ii verò, qui fuerant Senatorium ordinem conſecuti, ejiciebantur Senatu. Neq; obſtat Verrina 4. *C. Claudius C. filius, Palatina*; non enim in Viris nobilibus, & aliqua dignitate præſtantibus nominandis, uſitatum erat exprimere Tribum, niſi in literis, monumentiſque publicis, vel privatis; adeòq; ſubiicit Cicero: *non quæro, quis hic ſit Claudius, quàm ſplendidus, quàm honeſtus, quàm idoneus*, ut innuat, eum generis eſſe Libertini, & minimè ingenuum. Videamus, quid in ea pro Sextio dicat Orator in eundem Vatinium: *Ædilitatem petivit cum bonis Viris, & hominibus primis, ſed non præſtantiſſimis opibus, & gratia; Tribum ſuam non tulit.* maximo nimirùm dedecori erat Vatinio, Tribum ſuam Sergiam non tuliſſe; ſed quod ſequitur, multo majori: *Palatinam deniq; per quam omnes illæ peſtes vexare populum R. dicebantur, perdidit.* Non potuiſſe Clodium Tribum, in qua ipſe cenſebatur, ſuis amicis conciliare, magnum erat, ferendum tamen, quod & aliis clariſſimis Viris idem contigiſſet, ut Iſaurico, & Catulo in petitione Pontificatus apud Plutarchum; ſed eum ne Palatinam quidem habuiſſe, quæ ex egentibus, & tabernariis conſtabat, quorum opera ipſe Tribunus pl. in vexanda Rep. maximè uſus fuerat, ignominioſum eſſe videbatur multò magis. Sic, ut ad Agrariam re-

vertamur, plebs Urbana nimiùm in Rep. poterat, proptèr ſediciosſas Conciones à Tribunis haberi ſolitas, quòd illius opera perditi homines in vexanda Rep. uterentur. Nunc de lege Manilia.

Pompejus tulerat, ut in Cauſa Milonis crearetur Quęſitor ex Conſularibus, Populi ſuffragio; idemque perfecerat, ut reliquis præferretur L. Domitius. cujus benevolentiam ſibi conciliat Cicero Milonis Patronus, commemorans, quę ab illo geſta fortitèr fuerant in adoleſcentia: *dederas enim, quàm contemneres populares inſanias, jam ab adoleſcentia, documenta maxima*. Aſconius, quem nonnulli ex Recentioribus ſequuntur, ita hunc locum interpretatur: *Conſtantiam*, inquit, *L. Domitii, quam in Pretura preſtitit, ſignificat. nam eo tempore, cum Cn. Manlius* (legendum eſt *C.* Manilius) *Tribunus pl. ſubnixus libertinorum, & ſervorum manu, perditiſſimam legem ferret, ut libertinis in omnibus Tribubus ſuffragium eſſet, diſcuſſerat, perruperatque cetum ſedicioſorum Domitius*. Ne quem in poſterum tanti Viri auctoritas fallàt, quatuor præſtabo. oſtendam 1. quænam eſſet lex iſta de Libertinis; 2. quo anno eam tulerit Manilius; 3. non fuiſſe tunc temporis Prætorem L. Domitium; 4. quomodo ſit emendandus Aſconius.

Cum Libertini in quatuor Urbanis Tribubus cenſerentur, in iiſque ſuffragium ferrent, ex veteri inſtituto; anno V. C. 662. P. Sulpicius Tribunus pl. *L.* Sylla; & Q. Pompejo Coſs. legem tulit, *Ut novi Cives, Libertinique diſtribuerentur in omnes Tribus*, etiam Ruſticas, ne in ſuffragiis ferendis diſtinguerentur ab Ingenuis. Hoc docet Cicero Oratione pro C. Cornelio: *quæ lex paucis his annis non modò ſcripta, ſed etiam lata*

ſe-

eſſet; additque Commentator Aſconius: *P. Sulpicium in Tribunatu hanc eandem legem tuliſſe ſignificavimus; tulit autem L. Sylla, Q. Pompejo Coſſ.* Victor deinde Sylla, antequam in Aſiam proficiſceretur contra Mithridatem, non ex Aſiâ *in Italiam reverſus*, ut ſcribit Sex. Aurelius, Mario Seniore pulſo, & interfecto Sulpicio, omnes Sulpicii leges abrogavit; proindèque & illam de Libertinis, de quibus nihil aliud tentatum eſt per annos duos, & viginti, uſque ad C. Manilium. Qui anno V. C. 683. Piſone, & Glabrione Coſſ. Tribunus pl. creatus, ſtatim inito Magiſtratu IV. Id. Decemb. eandem legem promulgavit, quæ, fortiſſimè obſtante Senatu, perferri non potuit. Aſconius ibidem: *Manilius, ſicut jam oſtendimus, poſt pauculos ſtatim dies, quàm inierat Tribunatum, legem eandem Compitalibus pertulit*; paulo poſt: *quæ cum S. C. damnata eſſet, ab ipſo quoque Manilio abiecta eſt*. Idem narrat Dio lib. 36. neque obeſt, fuiſſe Manilium Tribunum pl. anno ſequenti 684. Cicerone Prætore, cum de præficiendo Pompejo bello Mithridatico ageretur; nam menſe Decembri, poſt initum à Tribunis pl. Magiſtratum, Lex illa de Libertinis ſtatim lata eſt; de Pompejo autem poſt aliquot Menſes, cum novi Conſules, Lepidus, & Volcatius jam & ipſi Magiſtratum iniiſſent.

At L. Domitius Prætor non fuit, Piſone, & Glabrione Coſſ. cur enim biennio interiecto, non petiit Conſulatum cum L. Cæſare, & C. Figulo? cur elapſis duodecim annis, tùm demùm petiit? quippe ex Plutarcho patet, anno 695. Competitoribus Pompejo, & Craſſo, qui petebant iterùm eundem Magiſtratum, Conſularem Candidatum fuiſſe L. Domitium,

tium. Suetonius in Cæſare: *Functus Conſulatu, C. Memmio, Lucioque Domitio Prætoribus de ſuperioris anni actis referentibus, cognitionem Senatui detulit*, Cæſar nimirùm, antequàm iret in Provinciam, cum eſſent Conſules Piſo, & Gabinius; quo anno pulſus eſt in exilium Cicero. qui Epiſtola 15. lib. 3. ad Atticum, cum jam exularet, hæc habet: *quid igitur Domitius ſe dixit relaturum?* cum neque Conſul eſſet Domitius, neque Tribunus pl. referre tamen ad Senatum poſſet, ſequitur, eum fuiſſe Prætorem anno poſt Cæſaris Conſulatum, ſcilicet ab V. C. 692. Quid igitur de Aſconii teſtimonio ſentiendum eſt? an fœdè lapſum Virum eruditum dicamus? nequaquàm, ſed illius verba non carere mendo ſuſpicor, & ita corrigo: *conſtantiam L. Domitii, quam in Quæſtura præſtitit, ſignificat*. eſt enim veriſimile, cum Manilius legem de Libertinis ferret, fuiſſe Quæſtorem Domitium, unum ac triginta annos natum, qui poſt novem annorum intervallum Præturam geſſit; & de Quæſtore potius, quàm de Prætore illud à Cicerone dictum videtur: *dederas enim, quàm contemneres populares inſanias, jam ab adoleſcentia, documenta maxima*. quamvis reipſa aliquandò Prætorii etiam Viri vocari ſolerent Adoleſcentes.

Cicero Philippica 8. cauſas affert ſuperiorum bellorum Civilium; & ſecundum, quod L. Cinna Conſul geſſit cum Cn. Octavio Collega, natum ait ex lege lata de novorum Civium ſuffragiis; qua de re alia quędam dicenda ſunt. Novi Cives primis etiam Reip. temporibus dicebantur Libertini, quibus cum libertate Civitas quoque Romana dabatur; poſt legem Juliam, quam L. Cæſar Conſul

ſul tulit anno V. C. 660. *Ut Civitas daretur Sociis & Latinis, qui bello Sociali aut arma non ſumpſiſſent, aut ſtatim depoſuiſſent*, hi Populi omnes dicti ſunt novi Cives. Cum alterum genus iſtorum Civium in quatuor tantùm Tribubus Urbanis ſuffragium ferret, alterum vel in iiſdem quatuor, vel in octo, vel in decem Tribubus tùm primùm inſtitutis, adeoque minimum gratiæ obtinerent Comitiis; P. Sulpicius Tribunus pl. biennio poſt tulit, *Ut Novi Cives* (recenti lege Julia civitate donati) *Libertinique diſtribuerentur in Tribus*; ut partiti in triginta quinque Tribus, & immixti veteribus Civibus rogarentur Comitiis. Alia quædam Lex ejusdem Tribuni pl. bellum Mithridaticum ademptùm L. Syllæ Conſuli, demandabat C. Mario, ut refert Plutarchus. itaque Sylla iratus Romam cum exercitu venit, pulſisque aut interfectis inimicis, omnes Sulpicii leges abrogavit. Ciceronis verba ſunt: *Sylla cum Sulpicio de jure legum, quas per vim Sylla latas eſſe dicebat*. Anno ſequenti 663. L. Cornelius Cinna Conſul cum Cn. Octavio, eandem illam legem promulgavit, ut non Libertini quidem, de quibus nihil tulit, ſed Italiæ Populi, lege Julia in Civitatem recepti, in omnibus triginta quinque Tribubus ſuffragium ferrent Tributis comitiis; Centuriatis autèm, in ea Claſſe, quam juxta cenſum obtinerent. Huic cum reſiſteret Octavius Collega, rem pernicioſam ratus, ſi jus creandorum Magiſtratuum, legumque condendarum à Veteribus Civibus ad Novos transferretur, cum multo plures eſſent; iterùm ſumpta ſunt arma: *Cinna cum Octavio de novorum Civium ſuffragiis*. Quid? inquies, an hæc etiam deinde abrogata eſt? minimè Floro teſte

teſte Epit. Liv. lib. 86. *Sylla cum Italicis populis, ne timeretur ab iis, velut erepturus Civitatem,* (quam lex Julia conceſſerat) *& ſuffragii jus nuper datum* (à Cinna) *fœdus percuſſit*; cavitque, ut quod ab homine ſibi inimico impetraverant, retinerent. Hinc enim ex Oratione in Vatinium habemus, Sabinos in Tribu Sergia; ex ea pro Plancio, Atinates in Terentina, utraque Ruſtica, ſuffragium tuliſſe. Haud tamen ignoro, Paterculum lib. 2. contra ſentire, Novos nimirùm Cives legis Juliæ diſtributos fuiſſe in octo Tribus, non in quatuor tantùm; itidemque Appianum, qui tradit decem additas novas Tribus, in quas Italiæ populi diſtribuerentur. utcumq; legem poſteriorem Corneliam Cinnæ non fuiſſe abrogatam, ex Floro affirmamus. Illud probari omninò non poteſt, quod idem Florus tradit lib. 84. *Libertini in quinque & triginta Tribubus diſtributi ſunt*; cum apud Aſconium perſpicuum ſit, C. Manilium Tribunum pl. anno ante Ciceronem Prætorem, ne de illa re perferret, prohibitum fuiſſe ab Optimatibus, ut ſupra fuſiùs.

Hæc ſatis; plura enim dicere cogitantem, tuæ me prudentię, doctrinæque opinio deterruit. Vale. Kal. Febr. A. S. 1699.

EPISTOLA SEPTIMA.

AD ABB. N. N. P. P.

De Sen. Conſultis.

Magiſtratuum creandorum, legumque condendarum poteſtas Populi erat; Provinciarum, exercituum, cęterarumque Reip. partium curam Senatus habebat. Hæc Patres munia decernendo in dies plurima obibant, quæ, niſi Tribuni pl. intercesſiſſent, Sen. Conſulta dicebantur. Rem ita Romæ geſtam eſſe, nemo negat; qua ratione rogarentur Sententię, aut dividerentur, quove ipſa Decreta per Magiſtratus deferri ſolerent, hujusmodi ſunt, ut in controverſiam venire poſſint. Quid ego ſentiam, breviter perſcribam, & luculentiſſimis Ciceronis teſtimoniis tuebor; neque tamen recuſo, quominùs, ſi tu contra ſteteris, mutem continuò ſententiam.

Oratione 3. in Catilinam exponit Cicero, quicquid actum fuerat eo ipſo die in Senatu, indiciis expoſitis contra Coniuratos, ut Populum R. ad tuendam libertatem, benè per ſe animatum, magis inflammaret; hac autèm ratione exorditur: *Dictæ ſunt à Principibus acerrimæ, ac fortiſſimæ ſententiæ, quas Senatus ſine ulla varietate eſt conſecutus.* Principes dicebantur Conſulares, quòd primi rogabantur; iique cum à ſe invicem plerumque diſſentirent, & diverſa probarent, ferè nullus relinquebatur locus reliquis Senatoribus decernendi ali-

teſte Epit. Liv. lib. 86. *Sylla cum Jtalicis populis, ne timeretur ab iis, velut erepturus Civitatem,* (quam lex Julia conceſſerat) *& ſuffragii jus nuper datum* (à Cinna) *fœdus percuſſit;* cavitque, ut quod ab homine ſibi inimico impetraverant, retinerent. Hinc enim ex Oratione in Vatinium habemus, Sabinos in Tribu Sergia; ex ea pro Plancio, Atinates in Terentina, utraque Ruſtica, ſuffragium tuliſſe. Haud tamen ignoro, Paterculum lib. 2. contra ſentire, Novos nimirùm Cives legis Juliæ diſtributos fuiſſe in octo Tribus, non in quatuor tantùm; itidemque Appianum, qui tradit decem additas novas Tribus, in quas Italiæ populi diſtribuerentur. utcumq; legem poſteriorem Corneliam Cinnæ non fuiſſe abrogatam, ex Floro affirmamus. Illud probari omninò non poteſt, quod idem Florus tradit lib. 84. *Libertini in quinque & triginta Tribubus diſtributi ſunt;* cum apud Aſconium perſpicuum ſit, C. Manilium Tribunum pl. anno ante Ciceronem Prætorem, ne de illa re perferret, prohibitum fuiſſe ab Optimatibus, ut ſupra fuſiùs.

Hæc ſatis; plura enim dicere cogitantem, tuæ me prudentię, doctrinæque opinio deterruit. Vale. Kal. Febr. A. S. 1699.

EPISTOLA SEPTIMA.

AD ABB. N. N. P. P.

De Sen. Conſultis.

Magiſtratuum creandorum, legumque condendarum poteſtas Populi erat; Provinciarum, exercituum, cęterarumque Reip. partium curam Senatus habebat. Hæc Patres munia decernendo in dies plurima obibant, quæ, niſi Tribuni pl. interceſſiſſent, Sen. Conſulta dicebantur. Rem ita Romæ geſtam eſſe, nemo negat; qua ratione rogarentur Sententię, aut diviſderentur, quove ipſa Decreta per Magiſtratus deferri ſolerent, hujusmodi ſunt, ut in controverſiam venire poſſint. Quid ego ſentiam, breviter perſcribam, & luculentiſſimis Ciceronis teſtimoniis tuebor; neque tamen recuſo, quominùs, ſi tu contra ſteteris, mutem continuò ſententiam.

Oratione 3. in Catilinam exponit Cicero, quicquid actum fuerat eo ipſo die in Senatu, indiciis expoſitis contra Coniuratos, ut Populum R. ad tuendam libertatem, benè per ſe animatum, magis inflammaret; hac autèm ratione exorditur: *Dicta ſunt à Principibus acerrimæ, ac fortiſſimæ ſententiæ, quas Senatus ſine ulla varietate eſt conſecutus.* Principes dicebantur Conſulares, quòd primi rogabantur; iique cum à ſe invicem plerumque diſſentirent, & diverſa probarent, ferè nullus relinquebatur locus reliquis Senatoribus decernendi ali-

aliquid novi, & verbo tantum, alius alii variè aſſentiebantur. Poſtquàm omnes rogati dixerant, tùm Conſul, aut ille, qui referebat, in duas diverſas Sententias, quæ ipſi viderentur, diſceſſionem fieri jubebat, V. G. ille aiebat, qui probant Servilii ſententiam, in dexteram, quibus Catuli ſententia magis placet, ii ſecedant in ſiniſtram partem. ſicque diſceſſione facta, quid major pars decerneret, intelligebatur. nam quod ait Feneſtella, *Sen. Conſulta duobus modis fieri, aut per diſceſſionem, ſi conſentiretur; aut ſi res dubia eſſet, per ſingulorum ſententiam*; non eſt reipſa verum, cum diſceſſio ſemper fieret poſt dictas à ſingulis ſententias, & an conſentiretur, incertum eſſet, niſi dictæ fuiſſent antea ſententiæ, eæque ſingillàtim. In cauſa porrò Conjurationis, Principum, hoc eſt Conſularium ſententias de gratiis agendis Conſuli, de Lentulo, Sociiſque in cuſtodiam tradendis, de Supplicatione, Senatus univerſus ſecutus eſt, tùm verbo, cum ſinguli rogabantur ſuo loco, tùm pedibus in diſceſſione. Fateor, quandoque & in eorum ſententias diſceſſionem fuiſſe factam, qui Conſulares non eſſent; ſed id perquàm raro, & ut ſingulare notatur Epiſt. 8. lib. 1. ad Atticum de S. C. facto ob inceſtum P. Clodii: *Credo, te audiſſe, mentionem à Q. Cornificio in Senatu factam: is fuit princeps, ne tu forte aliquem noſtrum putes*; ſcilicet Conſularium. Cornificius, quamvis Prætorius, Princeps dicitur, & in ejus Sententiam factum fuerat illud S. C. Inſuper Epiſt. 1. lib. 12. narrat, quid Conſulares cenſuerint de Supplicio Conjuratorum; mox ait: *Cur ergo in Sententiam Catonis? quia verbis luculentioribus, & pluribus rem eandem com-*

comprehenderat. rationem affert, cur in Catonis deſignati Tribuni pl. non alicujus ex Conſularibus, Sententiam, fieri diſceſſionem voluerit. Cæterùm quocumque loco, ſive in Orationibus, ſive in Epiſtolis quippiam commemoratur à Senatu decretum, Conſularium Sententiæ recenſentur, reliquorum ferè nuſquàm. Hinc non rectè putat Manutius, in laudata Catilinaria, *nomine Principum ſignificari C. Cæſarem, & D. Silanum, qui poſtridie ſententias dixerunt*. 1. biduo poſt, non poſtridie actum eſt in Senatu de Coniuratorum ſupplicio. 2. qua ratione ſcire poterat, quid ſinguli decreturi eſſent poſtridie? 3. in Catonis, non in Silani ſententiam factum eſt Sen. Conſultum biduo poſt; adeòque Cato princeps fuit, non Silanus. 4. an C. Cæſar, in gratiis etiam Conſuli agendis, & Supplicatione decernenda diſſenſit à Conſularibus? ſi negas; non igitur ipſe, qui tùm Prætorio loco dixit, ſed Conſulares primò rogati, illius S. C. Principes fuiſſe dicendi ſunt. Habemus Sententiarum Auctores; at quo ordine rogabantur?

Conſulendus eſt Cicero in ea pro Sextio, ubi Patrum de ſuo reditu ſententias commemorat: *Tum princeps rogatus ſententiam L. Cotta*. quę ab aliis dicta ſunt, referam fideliter, & refellam, ut omnibus manifeſtum ſit, quinam ſervaretur ordo à Magiſtratibus, cum Senatum rogarent. Cur enim princeps L. Cotta? *non quòd eſſet è Conſularibus antiquiſſimus*, ait Manutius, *nam triennio ante illum P. Servilius Conſul fuerat; ſed antiquiſſimus eorum, qui tùm erant in Senatu; abfuiſſe puto Servilium*. Abrahamus autèm: *Cotta*, inquit, *qui proximo luſtro Cenſor fuerat, & tunc erat Princeps Senatus, rogatus eſt*

pri-

primo loco . ex his multa ſunt , quæ Viri eruditi repudient . Primò , de L. Aurelio Cotta notandus eſt Aſconius ad Orationem pro C. Cornelio : *fuerunt tres Cottæ , duo hi Cajus , & Marcus , tertius Lucius , qui lege ſua Judicia inter tres Ordines communicavit , Senatum , Equites , Tribunos Ærarios ; adeptique ſunt omnes Conſulatum* . quorum Cajus quadriennio poſt Servilium Conſul fuit cum L. Octavio , anno ſequenti Marcus cum L. Lucullo , quatuordecim poſt Servilium annos Lucius cum Torquato . Præterea Cajus quidem ſtatim ferè poſt Conſulatum , cum ſe ad Triumphum compararet , ex vulnere mortuus eſt , ut habetur in Piſoniana ; de Marco autèm poſt expeditionem adverſus Mithridatem ſuſcepta , nulla mentio apud antiquos ; tertius hic eſt Lucius , qui Prætor Pompejo , & Craſſo Coſſ. legem Judiciariam tulerat , & is Princeps rogatus ſententiam dicitur . Secundò , P. Servilius Iſauricus non erat antiquiſſimus Conſularium , qui viverent ; quanto enim antiquior M. Perperna ? quem vixiſſe eo tempore , & multo poſt , Aſconius in Orationem pro Scauro , & Valerius lib. 8. cap. 13. teſtantur . Tertiò , perſcriptum nulla lege erat , vel in more poſitum , inſtitutoque Majorum , ut antiquiores è Conſularibus primi rogarentur ſententiam . poſt Reditum in Senatu : *quem Kalendis Januar. tertio loco ſententiam rogaras* . cum plurimi eſſent in Senatu , L. Piſone Conſule , qui Conſulatum ante Ciceronem adepti fuerant ; ipſum tamen tertio loco rogaverat Piſo , poſt Pompejum ſcilicet , & Craſſum . & patet ex Philippicis à C. Panſa primùm rogatum fuiſſe Calenum , deinde Servilium Iſaurici filium , cum utro-

que

que Cicero eſſet multo antiquior Conſularis. Magiſtratus, qui Senatum vocaverat, quo quemque loco ipſe vellet, Conſulares interrogabat, dummodo nulli eſſent deſignati Conſules, qui ſemper ante omnes dicebant; & illud ſane antiquitus uſitatum fuit, ex Livio lib. 3. *Ita labante jam cauſa Decemvirorum, L. Cornelius Maluginenſis M. Cornelii Decemviri frater, cum ex Conſularibus ad ultimum dicendi locum conſultò ſervatus eſſet.* Quid hac de re ſentiendum omninò ſit, luculentiſſimè docet Suetonius in Cæſare: *ac poſt novam affinitatem, Pompejum primum rogare ſententiam cœpit* (C. Cæſar Conſul) *cum Craſſum ſoleret, eſſetque conſuetudo, ut quem ordinem rogandi ſententias Conſul Kal. Jan. inſtituiſſet, eum toto anno conſervaret.* Quartò, perſpicuum eſt ex Faſtis Capitolinis, L. Cottâm Cenſorem fuiſſe cum P. Servilio Iſaurico; fac etiâm fuiſſe Principem Senatus, quod tamen veriſimile non videtur, quaſi ipſe ſibi Principatum arrogaverit; neque verò primum rogatum ſententiam dixerim, vel ut hominem Cenſorium, vel ut Principem Senatus. Etenim ſi geſtæ Cenſuræ ratio habebatur, cur non M. Perperna, qui cum Philippo, aut L. Gellius, qui cum Cn. Lentulo, aut M. Craſſus, qui cum Catulo, ante Cottam Cenſores fuerant, primi rogati ſunt? quòd ſi Principi Senatus talis honos debebatur, cur non primus rogabatur Cotta à Piſone Conſule, cur non à Cæſare? quorum alter Pompejum, alter Craſſum rogare cœpit primo loco Kal. Jan. ut ſupra dictum eſt. Primum igitur L. Cottam interrogavit P. Lentulus Spinther, alter Conſulum illius anni,

Y qui

qui pro reſtituendo Cicerone Senatum habebat; non quia Conſularium erat antiquiſſimus, aut homo Cenſorius, aut Princeps Senatus; ſed propter affinitatem, vel certè ſummam familiaritatem, quæ ſibi cum illo intercedebat.

Antequàm dico, quid ſit ſententiam dividere, explicandum eſt, quidnam revera eſſet Sententia Senatoria. Philippica 14. indicat Orator, quid de tribus Imperatoribus, Hirtio, Panſa, & C. Cæſare, Rep. optimè geſta, victoque M. Antonio, ipſe cenſeat: *decerno igitur eorum trium nomine quinquaginta dierum Supplicationes, quas, ut honorificentiſſimis verbis conſequi potero, complectar ipſa Sententia*. an non hanc, & reliquas omnes habitas in Senatu contra M. Antonium Orationes dixit Cicero, ſententiam ſuo loco rogatus? an illa omnia, quæ prolixè hactenùs diſputata ſunt, ad Sententiam non pertinent? itaque nonnulli Commentatores verbum *Sententia* non eſſe neceſſarium, ac deleri poſſe putarunt, quaſi tota Oratio rogati à Magiſtratu Senatoris ſententia ſit. Falluntur tamen, idque apertè ex laudato loco colligitur: cum dixero Sententiam, ait Cicero, complectar Supplicationes quàm honorificentiſſimis potero verbis; extrema ſcilicet Oratione ad ea verba: *ſed, ut aliquando ſententia complectar, ita cenſeo; cum C. Panſa Conſul*, & cæt. Conſulares plerumque, & alii, quorum præcipua erat in Senatu auctoritas, poſtquàm & adverſæ partis dicta fusè confutaverant, & quod ipſi ſentirent, multis firmaverant argumentis, ſuam demùm Sententiam de ſcripto recitabant, in quam vellent fieri diſceſſionem à Magiſtratu; quod Cicero ſemper fecit in Philippicis. Quamobrem hac eadem Oratione

tione : *Antea*, inquit, *cum hoſtem, aut bellum nominaſſem* (quoties meam in fine cujusque Orationis ſententiam recitavi) *ſemel, & ſæpius ſententiam meam de numero Sententiarum ſuſtulerunt* ; in eam ſententiam, quæ mea erat, fieri diſceſſionem paſſi non ſunt, ſicut in aliorum quorumdam Sententias. Magiſtratus enim, qui Senatum habebat, ex omnibus Sententiis ſibi oblatis à Principibus duas ipſe ſeligebat, in quas diſcederent Patres. Nunc jam cætera perſequor : Sententia, cujus duæ partes eſſent, quarum altera placeret Patribus, altera diſpliceret, dividi ſolebat, ut in utramque rem fieret ſeparatim diſceſſio. Sic Epiſt. 2. lib. 1. ad Lentulum, cum in Senatu de reducendo Ptolomæo Rege ageretur, & *Sententia prima Bibuli pronuntiata eſſet, ut tres Legati Regem reducerent*, hoc eſt ſine exercitu, ſalva religione: *poſtulatum eſt, ut Bibuli ſententia divideretur ; quatenus de religione dicebat, cuique rei jam obſiſti non poterat, Bibulo aſſenſum eſt ; de tribus Legatis, frequentes ierunt in alia omnia*. Similiter & de judicio Milonis. futurum enim erat, ut Sen. Conſultum, ſeu diſceſſio fieret in ſententiam Hortenſii, qui decernebat, *ut veteribus legibus, tantummodo extra ordinem quæreretur de cæde in Appia via facta*, ex Aſconio. *Veteribus legibus*, Cornelia de Vi privata, & Lutatia de Vi publica ; *Extra ordinem*, diebus etiam feſtis, & ante omnes alias Cauſas, juxta illud, quod Lege Lutatià præſcribebatur : *Si per furioſum illum Tribunum Senatui, quod ſentiebat, perficere licuiſſet*, ut in Miloniana. Nam Q. Fufius Calenus Vir Prætorius poſtulavit, ut Hortenſii ſententia divideretur,

& quatenùs cenſebat extra ordinem quæri, aſſenſere omnes, cum id & uſitatum Romæ eſſet per ea tempora, neque multum obeſſe Miloni videretur; de quæſtione inſtituenda veteribus legibus, T. Munatius Plancus, & Salluſtius Tribuni pl. interceſſere. Allucinatur itaque Manutius, qui putat furioſum illum Tribunum, per quem non licuit Senatui, quod ſentiebat, decernere, fuiſſe Q. Fuſium. nam præterquàm quod ex Epiſt. 9. lib. 1. ad Atticum conſtat, Fuſium Tribunum pl. Meſſala, & Piſone Coſſ. interceſſiſſe, ne quid aſperius à Senatu de inceſto P. Clodii decerneretur; & ex Dione lib. 38. eundem Prætorem, Cæſare Conſule, legem quandam de ſuffragiis tuliſſe; Aſconius ex concione, quam habuit Plancus Kal. Mart. hæc ad verbum tranſcribit de Q. Hortenſii ſententia: *adversùs hominem ingenioſum ingenio uſi ſumus; invenimus Fuſium, qui diceret, divideret Sententiam, reliquæ parti ego, & Salluſtius interceſſimus*. an ſoli Tribuni pl. aliique Magiſtratus diviſionem ſententiæ poſtulare poterant? Cęterum Pompejus, qui Milonis erat inimicus, ex illo S. C. *ut quæreretur extra ordinem*, legem ſuam tulit; quaſi novam inſtituendam eſſe quæſtionem Senatus cenſuiſſet, cum nihil aliud ea verba *extra ordinem* ſignificarent, quàm de cæde P. Clodii, hoc eſt de Vi privata, eodem modo quærendum eſſe, quo de Vi publica quæri ſolebat lege Lutatia.

Manutius ad Philippicam 5. docet, Sen. Conſulta primùm in Curia ſcribi ſolita, deinde in æs incidi, tùm figi in Capitolio, poſtremò ad

Æra-

Ærarium deferri, æque ac leges Populi; idque firmat Ciceronis auctoritate Philip. 3. de Antonio: *falſas leges C. Cæſaris nomine, & falſa decreta in æs incidenda, & in Capitolio figenda curaverit*. Mihi verò longe alia ſententia eſt; & Leges quidem in æs inciſas, fixasque in Capitolio fuiſſe non negaverim; at non eadem certè ratione ipſa Sen. Conſulta vulgabantur. Utrumque ex Philip. 5. colligitur: *Fœdera interea facta, Regna data, populi, provinciæque liberatæ; earumque rerum falſæ tabulæ, gemente Populo R. toto Capitolio figebantur*; non enim fœdera nova fieri poterant, regna dari, & immunitates ſine Populi rogatione. paulo ante: *Sed Senatus etiam Conſulta, pecunia accepta, referebat, ſyngraphæ obſignabantur, S. C. tanquàm facta, ad Ærarium referebantur*. Multæ res erant in Senatus poteſtate, de quibus Populus non rogabatur. cum quippiam vendiderat Antonius; ſi ſpectaret ad Populum, legem novam in æs inciſam figebat in Capitolio; ſi ad Senatum, Sen. Conſultum falſum, quodque nunquàm factum fuerat, deferebat ad Ærarium. Hinc Philip. 12. eodem modo: *Sen. Conſulta falſa delata ab eo judicavimus, num ea vera poſſumus judicare?* deinde: *Immunitates ab eo Civitatibus, Sacerdotia, Regna venierunt: num figentur rurſus eæ Tabulæ, quas vos decretis veſtris refixiſtis?* cum de Sen. Conſultis commemorat, ea delata ad Ærarium, non fixa in Capitolio dicuntur; cum de Legibus, in Capitolio fixas fatetur, non ad Ærarium delatas. An quærit, quid ad illud Ciceronis teſtimonium reſpondeam ex Philip. 3. deſumptum? attendat, uter noſtrum ger-

manam Oratoris ſententiam aſſequutus eſſe videatur. Antonius C. Cæſaris nomine, & quaſi ex illius Commentariis, curavit in æs incidendas, & in Capitolio figendas *Falſas leges*; optimè, nam ego idem docebam. quid præterea? *Et falſa Decreta*. Putasne falſa S. C. ſignificari hoc loco? ita eſt, & inde omnis error emanat. Philip. 2. cum eadem ſemper quereretur: *Unum egregium de Rege Dejotaro, Populi R. amiciſſimo, decretum in Capitolio fixum* ſine reprehenſione Orator commemorat. ab utro dicebat Antonius factum illud Decretum, quod fixerat in Capitolio? à Senatu ne, an à Cæſare? infra: *igitur à, quo vivo* (C. Cæſare) *nec præſens, nec abſens quidquam æqui boni impetravit, apud mortuum factus eſt gratioſus*. Scilicèt fingebat, Decretúm illud de Rege Dejotaro, in Commentariis Cæſaris fuiſſe; cumque vim legis haberet, quicquid eſſet in iis Commentariis, tanquàm Cæſaris legem in Capitolio fixerat. Paulo poſt de immunitate Cretenſibus data: *an Cæſaris decreto Creta poſt M. Bruti deceſſum potuit liberari?* Decretum Cæſaris vocat, de quo, tanquam de lege ſuprà locutus fuerat: *nuper fixa tabula eſt, qua Civitates locupletiſſimæ Cretenſium vectigalibus liberantur*. Et ſanè cum ad Senatum refertur, non dicitur Decretum, ſed Sen. Conſultum; neque Senatus liberare Cretenſes poterat vectigalibus ſine lege Populi. en cujusmodi Decreta in æs inciſa, & fixa in Capitolio referantur à Cicerone Phil. 3. deſumpta videlicet ex Commentariis C. Cæſaris interfecti. Itaque Sen. Conſulta, poſtquàm ſcripta fuerant in Curia, ſtatim deferebantur ad Ærarium, ibique

que ſervabantur ; ad Ærarium pariter (ut id quoque obiter dicamus) referri ſolebant rationes à Magiſtratibus , ſimul ac Urbem introjerant , ut quisque pecuniam publicam , aut rem militarem adminiſtraverant ; denique nomina eorum , qui per leges Judiciarias deſcripti in Decurias Judices eſſent , deferebantur ad Ærarium ; & ex iis deinde ſortiebatur Prætor , quot neceſſe erat . Philip. 5. *hos ille demens Judices legiſset , horum nomina ad Ærarium detuliſset , his magnam partem Reip. crediſiſset ?* de tertia Decuria ab Antonio conſtituta. ſolæ leges , quæque legis vim haberent , in Capitolio figebantur.

Cum de Legibus , de Jure Prætorio , de Sen. Conſultis variis in locis ad ſatietatem diſputaverim, quid reſtat aliud , niſi ut a te , tuique ſimilibus Reſponſa Sapientum expectem ? Vale. XVI. Kal. Junii . A. S. 1698.

EPISTOLA OCTAVA.

AD AMICUM N. N.

De Lege Sempronia de Provinciis.

QVàm vellem affuiſſes Togatæ ! iſta me magis tenet , quòd non ut hoſpes accedo . Plauti , ac Terentii palliata Fabula jàm obſolevit ; jucundior agitur domi . Non idem hiſtrionum ſermo , non eadem vocis conſtantia ; habitu æquè, animoque diſſimiles ; gravitatem ſupercilii retinentes , dum verſabantur in jocis , ridentes

illum Sardonicum, cum abalienati mente ſeria tractarent; identidem crebra mercedis mentio, ſtipendii vox omnium clauſula Sermonum; non plauſus quiſquam, non ſui memor; alienæ invidus laudis, contemptor ſuæ. quis hæc monſtra ſpectare ſine riſu, ac ſtomacho potuiſſet? Sed, ſi reprehendo, quòd tanta voluptate carere volueris, non poſſum non laudare ipſam abſentiam, qua factum eſt, ut ne quędam multo indigniora videres. à quibus ut avertamus pauliſper animum, ad res Romanas tranſitum faciam, legemque Semproniam de Provinciis tibi adducam in Scenam, qua majori cum dignitate Virum mihi ſummo amore coniunctum detineam.

C. Sempronius Gracchus Tribunus pl. anno V. C. 628. Cn. Domitio, & C. Fannio Coſs. legem de Provinciis Conſularibus tulit, *Ut neceſſe eſſet Provincias per Senatum conſtitui quotannis Conſulibus deſignandis; neque poſſent Tribuni pl. hujusmodi Decreto intercedere*. Cum celebrem Quæſtionem, alibi etiam à me contra Manutium, Sigonium, Auguſtinum, & Hotomanum pertractatam, hoc loco repetere in animo ſit; expendam 1. an Lex illa jus ſuum Senatui totum aut reſtituerit, aut auxerit; 2. an annuam juſſerit eſſe adminiſtrationem Provinciarum 3. an Imperii prorogationem ſuſtulerit; 4. an Prætorias etiam Provincias complexa fuerit; quę omnis Adverſariorum doctrina eſt; 5. quid novi hęc Lex pręſcripſerit, quęram; 6. quo eam conſilio Gracchus tulerit.

Jus itaque Patrum Conſcr. in decernendis Provinciis nullo modo vel auctum, vel reſtitutum eſt lege C. Gracchi; ſed potius imminutum. Cum enim ante eam legem latam ſemper

Se-

Senatus ſingulis annis Provincias decreviſſet à quas Conſules aut ſortirentur, aut inter ſe compararent, ut ex univerſis Hiſtoriis colligitur; & admodùm rarò factum fuiſſet, ut eas Populus daret extra ſortem; eadem planè ratione poſt legem etiam Semproniam, in Senatus poteſtate Provinciæ ita fuerunt, ut eas Populus aliquandò extra ſortem mandaverit. puta Mario Numidiam, ex Salluſtio; eidemque Mario Aſiam, & bellum Mithridaticum, ex Plutarcho. Neque igitur reſtituit Gracchus Patribus jus illud, quod & antea obtinebant; neque auxit, cum idem omninò permanſerit; ſed potius imminuiſſe videtur. Nam cum ſuperioribus temporibus Provincias decernerent, aut poſtquàm Conſules jam inierant Magiſtratum, aut certè poſt quàm deſignati fuerant; adeoque poſsent cùm præclaras Viris bene de Optimatibus meritis, tùm minimi negotii Provincias improbis, & Popularibus aſſignare; coacti lege Sempronia provincias Conſulares decernere, antequàm Conſules deſignarentur, idem illud præſtare ampliùs non poterant; quippe incertum erat, quinam deſignandi forent.

Sed neque annuam voluit eſse hac lege Sempronius adminiſtrationem Provinciarum; juſſit enim *quotannis* conſtitui Provincias Conſulibus, at non quotannis eaſdem, ut Succeſſoribus miſſis, qui per annum eas cum imperio tenuerant, neceſſariò redirent. Quamobrem quotannis conſtitutę ſunt Provinciæ futuris Conſulibus ferè uſque ad Cæſaris Dictaturam, lege Sempronia; neque tamen per unum tantummodo annum illas

ſemper adminiſtrarunt . ſed alii biennium , alii triennium , quidam etiam amplius ; proindeque non idcirco cautum eſt de annua Provinciarum adminiſtratione , quòd juſſerit quotannis conſtitui provincias Conſulares . Verùm eſto ; aut contendunt Viri eruditi , elapſo anno Conſulatus , tempus etiam imperii effluxiſſe Magiſtratibus in Provincia per legem Semproniam , niſi acceſſiſſet Prorogatio per Populum ; vel penitùs ſublatam fuiſſe dicunt imperii Prorogationem . Si primum ; illud ſemper ſervatum jam fuerat in Romana Rep. manſitque uſque ad Syllam , ut poſt annum à Populo prorogaretur Imperium , neque nova Lege opus erat ; ſi verò tueantur alterum ,

Jam ad tertium Quæſtionis membrum aggredior , & non fuiſſe ſublatam imperii prorogationem lege Sempronia , evidenter oſtendo . Ex Epit. Livianę lib. 61. patet , Cn. Domitium fuiſse Proconſulem anno poſt legem latam , hóc eſt Opimio Conſule , qui Gracchum interfecit ; & anno ſubſequenti , Fabium Proconſulem triumphaſſe de gente Allobrogum . Paulò poſt , ut refert Calviſius , triumphavit M. Metellus ex Sardinia , Coſſ. C. Metello , & Cn. Carbone , cùm toto biennio Proconſul fuiſſet ; Q. Metello Numidico prorogatum eſt imperium in Numidia , teſte Salluſtio ; Q. Servilius Cæpio Proconſul victus eſt à Gallis ; eidemque abrogatum imperium , ex Epit. Liv. lib. 67. ut Marium , Catulum , alioſque non paucos omittam . Quomodo igitur dicamus, ſublatam fuiſſe imperii Prorogationem lege Sempronia , cum , ea nunquam abrogata , tam ſępe multis prorogatum fuerit Impe-

perium? Cicero quidem pro Domo ſua, & Oratione de Provinciis, ubi de hac Lege loquitur, nihil habet, quod ſublatam indicet Prorogationem; nam ſatis mihi videor ſupra expoſuiſſe, quid ſignificet Adverbium *Quotannis*, unde hoc ſuum comentum Adverſarii fortaſsè deſumunt.

Putant, non ſolùm de Conſulibus, verùm etiam de Prætoribus latam hanc legem fuiſse, ut iis etiam ſuę decernerentur Provincię; quod pariter ſine ullo fundamento aſſirmatur. Semper Cicero, & omnes Veteres, qui hanc legem citant, de Conſularibus promulgatam dicunt; de Prętoriis nequaquàm, in quibus vetus conſuetudo omninò ſervata eſt. De Provinciis: *Faciam*, inquit, *illas Prætorias, ut Piſoni, & Gabinio ſuccedatur ſtatim*, & infra: *decernam eaſdem Prætorias, ut & Prætores annuas Provincias habeant, & eos quamprimùm videamus*, & cæt. Ideò autem ait Orator fore, ut ſtatim ſuccedatur Piſoni, & Gabinio, & Romam quamprimùm redeant, ſi fiant eorum Provinciæ Prætoriæ, quia non Prætoribus deſignandis, ex lege Sempronia, ſed iis, qui jam ad finem Præturæ eo anno pervenerant, erant decernendæ provinciæ; & ex eventu res conſtat, cum Piſo ſtatim redierit, miſſo in Macedoniam Prætore Q. Anchario, Gabinius non item, cui ſucceſſit ex Conſulatu M. Craſſus. Tandem falſum eſſet, quod Cicero ſubjungit: *nunquàm ſuccedetur illis, niſi cum ea lege referretur, qua intercedi de Provinciis non licebit*. ſi enim eadem lege Sempronia cavebatur, ut Conſularibus intercedi non liceret, Pretoriis liceret, ut vult Sigonius, potuiſſet referri lege Sempronia, & tamen intercedi licuiſſet, adeòque ſententia illa univerſalis re-

pre-

prehendenda foret. Quare dicendum eſt, Legem illam latam fuiſſe ſolùm de Conſularibus provinciis; Prætores ſimul, ac deſignati fuerant, ſortitos fuiſſe provincias Urbanas; in fine deinde Magiſtratus, Senatum iis decreviſſe Provincias extra Urbem (ne ſimùl duas ſinguli ſibi decretas Provincias haberent) in quas proficiſcebantur, ut cuique ſors obveniſſet.

Duo porro ſunt, quæ lex Sempronia præſcribebat; tùm ut decernerentur provinciæ Conſulibus deſignandis, cum antea vel Deſignatis, vel etiam jam inito Magiſtratu, decerni conſueviſſent; tùm ne Tribuni poſſent intercedere, cum antea id liceret. Primum illud habetur Oratione de Provinciis: *itaque ego idem, qui nunc Conſulibus iis, qui deſignati erunt, Syriam, Macedoniamque decerno,* & cæt. apud Salluſtium de Bello Jugurt. *Lege Sempronia, provinciæ futuris Conſulibus Numidia, atque Italia decretæ ſunt.* apud Suetonium in Cæſare: *ab Optimatibus data eſt opera, ut Provinciæ futuris Conſulibus, minimi negotii, ideſt ſylvæ, calleſque decernerentur.* Alterum quoque manifeſtum eſt ex eadem Oratione de Provinciis: *nunquàm ſuccedetur illis, niſi cum ea lege referretur, qua intercedi de Provinciis non licebit.* Quo verò conſilio eam legem tulerit C. Gracchus, colligitur ex iis, quæ ſupra dicta ſunt. Nam ut quiſque vel Senatus partes, vel Populi ſecutus, Conſulatum aſſequebatur, poterant Patres aut amplas decernere Provincias, aut minimi negotii, &, ut ait Suetonius, ſylvas, calleſque. Refert Livius lib. 43. Coſſ. Q. Marcio, & Cn. Servilio, placuiſſe Patribus, priuſquàm ſortirentur Provincias, in

in incertum, ne quid gratia momenti faceret, in utramque Provinciam, quod res deſideraret, ſupplementa decerni. quòd ſi adeò valebat in ornandis Provinciis gratia, aut malevolentia; quanto majoris eſſe momenti potuit in decernendis? Hac itaque lege Sempronia, qua deſignandis Conſulibus, non iam deſignatis Provinciæ decernebantur, omnis hæc aut gratiæ, aut malevolentiæ ſuſpicio tollebatur. Sed cum aliquandò Sen. Conſulto de Provinciis intercederent Tribuni pl. quod apud Livium lib. 32. factum legimus in gratiam T. Quinctii adversùs Philippum in Macedonia bellum gerentis, cui noluerant Succeſſorem à Senatu mitti, ne pulcherrimi Triumphi ſpe fraudaretur; cavit idcircò Legislator, ne intercedi à Tribunis liceret, cum decernebantur Conſulares. Neque contendit id Gracchus, ut eriperet Populo facultatem demandandæ Provinciæ extra ſortem, & nominatim alteri Conſulum, quòd moleſtè ferret, id jam bis Scipioni Æmiliano homini ſibi inimico eveniſſe; neq; enim ulla lege illud jus Populo eripere poterat, neque id in mentem veniſſet populari Tribuno pl. & hoc idem factum deinde paulo poſt legem Semproniam quandoque legimus.

Ex Oratione de Provinciis hæc tota ſumitur Quæſtio; de provinciis igitur illius anni Conſularibus, deque Piſone, & Gabinio revocatis quædam notanda ſunt: *Quatuor erant*, ait Commentator in Argumento, *Provinciæ Conſulares eo anno, duæ Galliæ, Syria, & Macedonia*. Quid? an quæ Prætoriæ provinciæ erant, decerni Conſulibus à Senatu non poterant? an non ſuperioris anni

Con-

Conſules, P. Lentulus, & Q. Metellus, Conſulares provincias obtinebant, Ciliciam alter, alter Hiſpaniam? Quid Cicero? *Quatuor ſunt Provinciæ*, inquit, *P. C. de quibus adhuc intelligo ſententias eſſe dictas*; poterant ſcilicet de aliis etiam dici ſententiæ. nam diviſionem provinciarum in Conſulares, & Prætorias, quam inducit Panvinius, manifeſtum eſt ad unum certum annum ſpectare; cum nulla Provincia ita fuerit Prętoria, ut Conſularis eſſe non poſſet, & è contra. Subjungit Commentator: *revocati Piſo, & Gabinius redire in Urbem, ille Pompejo, & Craſſo; hic, quia longinquior erat, Appio, & Domitio Coſſ.* ſed alia omninò ratio aſſignanda eſt. Quis Piſoni ſucceſſit? Q. Ancharius, ut in Piſoniana: *cum tibi ſpe falſa, quòd Q. Ancharium non eſſe ſucceſſurum putares, animos rumor inflaſſet.* quo anno Prętor Romę fuit Ancharius? Marcellino, & Philippo Coſſ. ut eſt in ea pro Sextio; quo anno dixit de Provinciis Cicero. hinc ſtatim ſucceſſum eſt Piſoni, Prætore Anchario miſſo in Provinciam, juxta dictum cujuſdam Conſularis: *faciam eaſdem Prætorias, ut Piſoni, & Gabinio ſuccedatur ſtatim;* eodemq; anno rediiſſet Gabinius, ſi quempiam ex Prætoribus Succeſſorem habuiſſet. ſucceſſit autem M. Craſſus, qui, anno Conſulatus elapſo, tùm demum profectus eſt in Syriam, Domitio, & Appio Coſſ.

Tametſi mihi nihil arrogo, tamen haudquaquàm tantum derogaverim, ut à Ludiis noſtris ſic agi poſſe fabulam putem. Vale. XI. Kal. Dec. A. S. 1696.

EPISTOLA NONA.

AD AMICUM N. N.

De Provinciis.

POſt geſtos præclarè in Urbe Magiſtratus (plurima enim, quæ obiiſti munia, ſic appello) hinc repentè abiiſti, neſcio in Provinciamne profectus, an in Coloniam. utrumque tamen & honeſtatem habet, & dignitatem. Quidam ex amicis, rati abſentiam, non comparandi alicujus boni, ſed imminentis mali vitandi cauſa quæſitam eſſe, tuas vices dolere ſolent; ego contra res eo loco eſſe arbitror, ut gaudere, & gratulari debeamus; re ipſa bonas, pro dubia vitæ anteactæ condicione, pro malis, optimas. Cui vel Prætori, vel Conſuli apud Romanos non aliqua Provincia demandabatur? eadem ratione tecum actum fuiſſe, velim exiſtimes. habes etiam, quos imiteris, futurus & ipſe iis, qui ſequuntur, exemplo. Cæterùm, ne ignores, quęnam ſint leges adminiſtrandæ Provinciæ; eas hæc una Epiſtola tibi ſigillatim exponet, ne aut decedas ante tempus legitimum, aut beneficii auctores, cum opus fuerit, ſine commemoratione prætereas.

Oratione I. in C. Verrem, queritur Sicilia tota, cujus ille Prætor fuerat, plurima mala *ſeſe hoc uno Prætore per triennium pertuliſſe*. cum

autem, quæ ſcripſi alio tempore, hic repetere neceſſe ſit; an, ut Manutius, Sigonius, Frigius, aliique putant, annuæ tantùm erant Provinciæ, niſi prorogaretur Imperium? Sic ego quodammodo traditæ à Gruchio doctrinę Patronus, olim diſputabam. Cum Lege vetuſtiſſima annui eſſent Romæ Magiſtratus, annua quoque Provinciarum adminiſtratio erat, quæ à ſolis Magiſtratibus regi poterant; idque ſatis manifeſtum eſt ex omnibus Hiſtoriis. Verùm bellis undique urgentibus, cœpti ſunt Conſules, & Prætores in Provinciis retineri poſt elapſum annum ſui Magiſtratus, &, prorogato Imperio, illi Proconſules, hi Proprætores ferè dicebantur. Quod cum eſſet extra ordinem, prætèr Senatus decretum, Populi etiam rogatio neceſſaria erat, ut cuipiam prorogaretur imperium in Provincia; teſte Dione lib. 36. & Aſconio ad Orationem pro C. Cornelio. qui dicunt, antiqua conſuetudine receptum fuiſse, ut ex S. C. Populus ſolveret legibus, hoc eſt aliquid permitteret contra Legum præſcripta. Idem etiam conſtat ex Livio pluribus locis; ut lib. 8. *actum cum Tribunis eſt, ad Populum ferrent, ut cum P. Philo Conſulatu abiiſſet, Proconſul rem gereret, quoad debellatum cum Grecis eſſet*; & lib. 10. *L. Volummio ex S. C. & ſcito Plebis prorogatum in annum imperium eſt*; lib. 27. *Quod in L. Veturio, idem in C. Aurunculejo decretum ab Senatu, datumque ad Populum eſt de prorogando imperio*. Et quamvis lib. 31 dicantur Patres prorogaſse imperium T. Quinctio; id non jure ſuo fecerunt, ſed quia rem illam Tribuni pl. judicio Patrum permiſerant. Cæterùm, ſicut in mandandis

ex-

extraordinariis Provinciis, de quibus alio loco, ita in prorogando imperio, illud ſibi poſtea Senatus uſurpavit, ut hoc etiam præſtaret ſine vlla Populi rogatione; quod multis exemplis oſtenditur. Apud Salluſtium de Bello Jug: *ſed paulo ante Senatus Metello Numidiam decreverat*; hoc eſt prorogaverat. decretam enim ſibi Conſuli iam per biennium eandem Provinciam obtinuerat. Apud Plutarchum in Gracchis: *Ut igitur Patres Gracchum diutiùs in Sardinia detinerent, vt Oreſtes Conſul in Sardinia maneret, decreverunt*; prorogarunt ſcilicet ultra annum imperium Oreſti, cujus erat Queſtor C. Gracchus. Apud Appianum lib. 1. de Bello Civili: *Sex. Cæſar, cum deponendi muneris* (Conſulatus) *tempus acceſſiſſet, Proconſul à Senatu electus eſt*. Ex quibus locis patet, Senatum aliquandò imperium prorogaſſe iis temporibus, ſine Populi rogatione. Quæ cum ita ſe haberent, lata deinde eſt lex Cornelia de Imperio à L. Sylla Dictatore: *Ut qui Provinciam haberet, is tamdiù obtineret Imperium, quoad in Urbem introiiſſet*, referente Cicerone Epiſtola 9. lib. 1. qua lege factum eſt, vt nemini in poſterum prorogaretur imperium, quod non amplius ad annum daretur, ſed ad tempus indefinitum. Etenim cum Prætores provinciarum obtinerent imperium, quoad in Vrbem rediiſſent, quid opus erat prorogare ipſis imperium ante reditum eorum in Urbem? Contra tamen quiſpiam: an ſi nunquam rediiſſent, imperium nunquàm depoſuiſſent? minime; nam ubi Senatus Succeſſorem miſiſſet, decedendum erat eadem lege Cornelia, qua triginta tantùm dies concedebantur Magiſtratui ad decedendum, poſtquam Succeſsorem in pro-

Z vin-

vinciam ingreſsum noverat, teſte Cicerone Epiſt. 7. lib. 3. ad Appium: *ſed eo diſceſſiſti, quo ego te ne perſequi quidem poſſem triginta diebus, qui tibi ad decedendum lege, ut opinor, Cornelia conſtituti eſſent*; adeòque perſpicuum eſt, quemlibet tamdiu obtinuiſse Provinciam cum imperio ſine prorogatione, quamdiu Succeſsor miſsus eſset. Advertendum tamen eſt, & quidem ex ſupra dictis, legem Corneliam gratioſam fuiſse Magiſtratibus, non oneroſam; ut, ſi nihil novi Senatus ſtatuiſset, retinere poſsent imperium, qui vellent; decedere de Provincia, qui otium Urbis præoptarent.

Hoc idem, quamvis ex Cicerone ſatis conſtare videatur, confirmare conabor multis aliis tùm conjecturis, tùm Veterum teſtimoniis, ne quiſpiam ſuſpicari poſſit, legem illam Corneliam fuiſſe aliquandò abrogatam. In primis, cum L. Lucullus ſeptem annos Ciliciæ, & Aſiæ prefuerit, Ciliciæ triennium T. Lentulus, ac deinde totidem annos Ap. Claudius, Macedoniæ biennium Piſo, Syriç triennium Gabinius, ne ſingulos perſequar; cur ne verbum quidem apud Hiſtoricos de Imperii prorogatione? Ante Syllam nuſquàm fere memorant, remanſiſse aliquem in Provincia, quin de prorogatione mentionem etiam faciant. cur hoc nuſquàm attigit aut Cicero ita in Epiſtolis accuratus, aut Plutarchus, & Appianus ita in hiſtoria verboſi? Nimirùm, quòd lege Cornelia ſublata fuerat prorogatio imperii, & retinebantur Provinciæ, donec Succeſsor adveniſset. Secundò, Cæſari per legem quidem Vatiniam data fuerat à Populo Gallia Citerior, ſed Ulteriorem Senatus dederat, ut patet ex Oratione de Pro-

vin-

vincis. At quare in eadem Oratione Cæſaris inimici eſse mittendum Succeſsorem cenſent, cum multo æquiore ſententiâ uti poſsent, non eſse prorogandum Cæſari imperium, maximè ultra triennium, quod attinebat ad Galliam Ulteriorem? Videamus, quid eo loco reſpondeat Orator: *Simul, inquit, & illud facit, ut quod illi à Populo datum ſit, id non violet; quod Senatus dederit, id Senator properet auferre.* Quinam hic eſt loquendi modus? id Senator auferre dicendus eſt, quod novo ſuo beneficio non proroget? & poſt triennium properabat auferre; quod, finito anno, jure, ac lege ceſſabat, niſi prorogatio acceſſiſſet? Itaque nullum verbum de prorogando Cæſari imperio in Ulteriore Galliâ, factum eſt in Senatu, quod lege Corneliâ obtinebat, niſi miſſus eſſet Succeſſor. atque adeò Oratione pro Balbo Cicero ait: *lege Semproniâ ſuccedendum non cenſuit*; Epiſt. 7. lib. 1. ad Lentulum: *& ne lege Sempronia ſuccederetur, facilè perfectum eſt*; nullum verbum de Prorogatione. Tertiò, Epiſtola 9. lib. 1. hæc habetur controverſia: Cum Appius minitaretur, ſe ſucceſſurum Lentulo in provincia Cilicia ſine lege Curiata de imperio, venit in dubium, poſſetne Lentulus retinere Provinciam, & ab ejus ingreſſu prohibere Appium ſine Curiata lege illuc venientem; qua de re ita Cicero: *Varias eſſe opiniones intelligo: ſunt qui putent, poſſe te non decedere, quòd ſine lege Curiata tibi ſuccedatur.* Hinc verò diſputare quiſpiam poſſit: Senatus decreverat Ciliciam Appio, non ergo prorogaverat Lentulo; nam ridiculum fuiſſet eandem Provinciam uni decernere, & alteri eodem tempo-

pore prorogare . Imperium tamen non prorogatum retinere poterat Lentulus , ſi jure potuiſſet non cedere Provinciam Succeſſori ſine Curiata lege venienti , quod unum dubium erat ; non igitur neceſſaria erat Prorogatio . Quartò , C. Verres ex Prætura Urbana Siciliæ præfuit per triennium , additque cauſam Aſconius , *quia Succeſſor non eſt profectus* ; decreverat autem Senatus Siciliam Arrio cuidam , primo anno elapſo , ut ex Verrinis colligitur ; qui cùm aut non potuerit , aut noluerit ire in Provinciam , retinuit imperium Verres ſine ulla prorogatione . Quid enim Verri Senatus prorogaret , quod Arrio Succeſſori mandaverat ? Quintò , cum Piſoni , & Gabinio acerrimus inimicus eſſet Cicero , eoſque quamprimùm vellet de Provinciis decedere , his ferè interrogationibus utitur Oratione de Provinciis : *huic non ſummittetis ? hos de provinciis , ſi non aliquando deducendi eſſent , diripiendos non putaretis ?* & nuſquàm loquitur de prorogatione , cum tamen multò acriùs poſſet urgere his verbis : hos non modò non revocabitis , ſed ultra biennium , quaſi benè de Rep. meriti eſſent , prorogabitis etiam imperium ? Præterea multa habet Cicero in eadem Oratione , quæ , ſi requirebatur prorogatio , aut falſa ſunt , aut abſurda . ait enim : *reſtituiſsetis veſtram auctoritatem , iis , per quos erat amiſſa , revocatis ; & iis ipſis premiis extortis , quę erant pro everſione Patrię conſecuti* . Patreſne extorſiſſent Provincias Piſoni , & Gabinio , ſi ultra annum non prorogaſsent imperium ? ſi quidem per Adverſarios neceſſaria erat Prorogatio : *nunquam ſuccedetur illis , niſi cum ea lege referretur , qua intercedi de Provinciis non licebit* .

in-

infra contra eos, qui cenſuerant, alteram Galliam cum Syria decernendam eſſe; *attamen his ſententiis, Piſo in Provincia permanebit*. Utramque falſum eſt, ſi Prorogationem admittamus; nam licet in decernendis Provinciis aliud ſtatuiſset Senatus, poterat nihilominùs Cicero impedire Decretum de prorogando imperio Piſoni, & Gabinio, ſi neceſſarium illud erat ad hoc, ut illi Provincias retinerent. Sextò, P. Sextius Quæſtoriam provinciam Conſularem ſortitus, metuens, ne poſt annum ſibi eriperetur Provincia, quam adminiſtrabat, Ciceroni amico ſignificavit, ſibi gratum fore, ſi eam retinere diutiùs poſſet. ad quem ita Cicero Epiſt. 6. lib. 5. *Cum ad me Decius librarius tuus veniſſet, egiſſetque mecum, ut operam darem, ne tibi hoc tempore ſuccederetur*; cum uti poſſet commodiore verbo, & de prorogando potius imperio, quàm de non ſuccedendo mentionem facere, quod majus erat beneficium. Sic Epiſt. 29. lib. 13. de Antiſtio: *qui dum forte Quæſtor Macedoniam obtineret, neque ei ſucceſſum eſſet*. Septimò, ex Oratione in Piſonem aliud argumentum deducitur; nam hæc ibi habentur: *Cum tibi ſpe falſa, quòd Q. Ancharium non eſſe ſucceſſurum putares, animos rumor inflaſſet*. Quæris, cur eo rumore adeò lætaretur Piſo? quia, ſi Ancharius ſibi Succeſſor deſtinatus in Provinciam non veniſſet, retinuiſſet ipſe adhùc imperium in Macedonia ſine ulla Prorogatione, quam à Patribus ſibi inimicis ne impetrare quidem potuiſſet; ſed jam noverat, nihil agendum fore de Prorogatione. Octavò cum Magiſtratus eſſent annui, & à ſolis Ma-

 gi-

giſtratibus vetere Lege Provinciæ regerentur; prorogatio Imperii erat quid extraordinarium; proindeque, ſi tollamus legem Corneliam de imperio, fateri opus eſt, præter Senatus decretum neceſſariam fuiſſe Populi rogationem, poſt illam Tribunitiam legem Corneliam de ſolvendo legibus, cujus meminere Dio, & Aſconius, ut cuipiam ultra annum imperium prorogaretur. tùm verò multo majorem vim habebunt conjecturæ, quæ allatæ ſunt. Nemo enim ſibi perſuadeat, tantum hac de re futurum ſilentium apud omnes, cum ſępe adeò & conſuli Senatus, & rogari Populus de Prorogatione debuerit. Ultimò lex Julia de Provinciis examinanda eſt, qua lata à Dictatore Cæſare, lex illa Cornelia de imperio ſublata eſſe videtur; ea igitur cavebatur, *Ne Prætoriæ provinciæ plus, quàm annum, neve plus, quàm biennium Conſulares obtinerentur*; Cicero Philip. 1. & hac ratione contraxiſſe Cæſarem ad biennium Conſulibus, ad annum Pretoribus provinciarum, imperiique tempus certum eſt, quod antea erat lege Cornelia indefinitum, ut alibi fuſiùs oſtendam.

Ad hanc de lege Cornelia doctrinam abſolvendam, operę precium eſt exponere, quo putem conſilio eam promulgatam fuiſſe; nam quid re ipſa perſcriberet, ſatis patet. Cum igitur maximæ quandoque utilitati Reip. fore arbitrarentur, ſi ab eodem Imperatore idem bellum conficeretur; non ſemel ad tempus indefinitum prorogarunt Imperium, ſic Philoni ex Livio lib. 8. prorogatum eſt imperium, *quoad debellatum cum Grecis eſſet*; P. Scipioni, lib. 30. *donec debellatum in Africa foret*; deinde T. Quinctio in Macedonia,

lib.

lib. 32. *donec Succeſſor ei veniſſet*. Inſuper, ſi quando eveniſſet, ut quiſpiam ultra annum obtineret Provinciam abſque eo, quod prorogatum ipſi fuiſſet imperium, dubitari poterat, eſſetne ille verè, & jure Proconſul. Quam omninò dubiam controverſiam attigit Appianus lib. 1. de Bello Civili, cum de Sylla loquitur his verbis: *Viſus eſt & ipſe Proconſul in Mithridatem conſtitutus nondùm dignitatem exuiſſe*; neque certè ab inimicis, qui Remp. occupaverant, prorogatum illi fuiſſe imperium, dicendum est, quod tanto poſt ex Aſia reverſus in Italiam, adhùc tenere videbatur. Hinc Legislator, cum indefinitum provincialium Magiſtratuum tempus fecit; & dubiam controverſiam diremit, & in Patrum poteſtate eſſe voluit revocare poſt annum, miſſo Succeſſore, aut per plures annos detinere in provinciis Prætores, nihil decernendo, prout Reſp. poſtularet.

Quædam obiici poſſunt, & ne quidquam videar prætermiſiſse, ſingula referam, iisque breviter ſatisfaciam. Primò contra eſt illud Ciceronis de Provinciis: *Ut & Prætores annuas Provincias habeant*; ex quo colligi poteſt, annuam tantùm fuiſse Provinciarum adminiſtrationem. Sed reſpondeo, idcircò annuas dici Provincias, quia ſicut intra annum neque poterat Prætor, inconſulto Senatu, de provincia decedere, neque revocari ipſe à Senatu ſine cauſa; ita elapſo jam anno, & revocari à Senatu, miſso Succeſsore, & ſponte ſua decedere poterat, ſuumque vel Legatum, vel Quæſtorem præponere Provinciæ; quia illud tempus legibus erat præſcriptum, reliquum arbitrarium. ſed & Prætores revocabantur

tur plerumque poſt annum ; Conſules , ut diutius retinerentur, magis gratia valebant . Deinde opponunt Treboniam legem , ut per quinquennium Pompejo Hiſpania , Craſſo Syria , Cæſari Galliæ darentur ; cui adde Vatiniam de Gallia Citeriori , & Gabiniam , qua bellum adversùs Piratas per triennium Pompejo delatum eſt , ut refert Dio lib. 36. Quibus tamen legibus illud unum præſtitere Tribuni pl. ut adimerent facultatem Senatui mittendi intra illud tempus Succeſſoris , ut notat Calvinus ad legem Treboniam , & manifeſtè patet ex Oratione de Provinciis . Mox objicitur Cicero , qui ſæpe in Epiſtolis tùm ad Atticum , tùm ad Familiares , & ſibi annuam datam Provinciam dicit , cui ſuprà ſatisfecimus quadam ex parte ; & admodùm ſe timere affirmat , ne Senatus ſibi in Provincia prorogaret imperium . Sic & Q. Tullio fratri Ciceronis manendum fuit in Aſiæ Prætura per triennium proptèr Senatus decretum , non modò prætèr ſuam voluntatem , ſed etiam adversùs Amicorum contentionem , qui , ut ei Succeſſor decerneretur , operam dederant . Notandùm tamen eſt , nullam quidem fuiſſe Prorogationem , ut à volentibus obtineretur imperium ultra annum ; neceſſariam autem fuiſſe , ut invitus quiſquiam remanere cogeretur . Elapſo itaque anno à Legibus conſtituto , ſi Senatus miſiſſet Succeſſorem , neceſſariò erat decedendum ; ſi prorogaſſet imperium , neceſſariò manendum ; ſi neutrum , liberum erat Prætori tùm decedere , tùm manere . Cicero Epiſt 10. lib. 2. *Quare, mi Rufe , vigila , primum ut mihi ſuccedatur ; ſin id erit , ut ſcribis , & ut ego arbitror , ſpiſſius , il-*

lud ,

lud, *quod facile eſt*, *ne quid mihi temporis proroge-tur*. In primis enim ex eo, quod de utroque laborat, patet, utrumque potuiſse non contingere; deinde primùm petiit, ut ſibi ſuccedatur, ut neceſſariò ſibi, & ſine ulla reprehenſione decedendum ſit; hoc ſi fieri nequeat, nè quid temporis prorogetur, ne ſibi neceſſitas permanendi imponàtur. Tandem loquitur de prorogatione temporis, non imperii; quia non prorogabatur imperium, ſicut ante legem Corneliam, ſed tempus manendi in Provinciis.

Quæ verò de Cicerone dicuntur, accuratiùs explicanda ſunt. nam Pompejo tertiùm Conſule factum eſt Sen. Conſultum, teſte Dione lib. 40. *ne Conſules*, *&* *Pretores irent in Provincias intra quinquennium*, quo Privati, atque etiam ipſe Cicero coacti ſunt ire in Provincias. & ille quidem invitus; quid enim id privatus ambiret, quod Prętor, & Conſul repudiaſset? Cum igitur inviti mitterentur, ad eorum ſolatium, illud ſingulare additum puto Sen. Conſulto, ut annuas tantùm haberent Provincias. Sic Epiſt. 7. lib. 15. ad Marcellum: *ne quid accedat temporis ad id*, *quod tu mihi & S. C. & lege finiſti*. Epiſt. 14. ad Caſſium: *ad hanc Provinciam*, *quam & Senatus*, *& Populus annuam eſſe voluit*. Epiſt. 7. lib. 2. ad Curionem: *eaque mihi condicio maneat*, *qua profectus ſum*. Epiſt. 15. ad Cœlium: *non me planè poſt annum*, *ut Senatus voluit*, *ex Provincia deceſſiſſe*. ad Atticum Epiſt. 3. lib. 7. *etſi cupidiſſimè expreſſum*, *& expetitum à me ſit*, *& approbatum à te*, *ne diutiùs anno in Provincia eſſem*. Ex quibus colligitur, fuiſse

hoc

hoc expreſſum à Cicerone in S. C. ut eæ Provinciæ per annum adminiſtrarentur ; quod in aliis uſitatum non erat , nullaque fiebat mentio temporis , ut apparet ex Epiſt. 7. lib. 8. & ex Philip. 11. de Caſſio . Quamobrem , ſi fuit hoc ſingulare de Cicerone , aliisque cum ipſo in Provincias mittendis , multo minùs mirari debemus , & ita ſæpe eum ſcribere , decretam ſibi fuiſſe annuam Provinciam , & adeò pro impedienda temporis prorogatione laboraſse . Quamquàm non eſt negandum , potuiſſe Ciceronem non decedere, etiamſi nihil actum fuerit de prorogatione . Epiſt. 5. lib. 8. ait Cælius non futuram ſucceſſionem Provinciarum , deinde ſubiicit : *tametſi hac de re puto , te conſtitutum , quid facturus eſſes , habere* ; quòd ſi neceſſariò decedendum fuiſset , non id conſtituiſſet , quaſi capto conſilio . Epiſt. 6. lib. 6. ad Atticum : *dum impendere Parthi videbantur , ſtatueram Fratrem relinquere , aut etiam Reip. cauſa contra S. C. ipſe remanere* ; imperium igitur adhùc obtinebat . Epiſt. 17. lib. 2. ad Caninium : *de Succeſſore nihil audivi , nec quemquam fore arbitror ; quin ad diem decedam , nulla cauſa eſt , præſertim ſublato metu Parthico , commoraturum me nuſquam ſanè arbitror* . innuitque ſe omninò quidem velle decedere , remanere tamen etiam potuiſse . Imò poſtquàm de Provincia deceſſit , ſemper ſe ipſe Imperatorem appellavit , eam ob cauſam videlicèt , quòd lege Cornelia Imperium haberet, quoad in Urbem introiiſset ; id autem non præſtitit , niſi victo Pompejo.

Cæſar denique affertur , qui ſæpe dicitur apud Plutarchum , Appianum, & alios , illud à Senatu poſtulaſse , ut ſibi in Galliis tempus (nuſquàm verò

verò Imperium) prorogaretur, quòdque id illi negaretur, arma idcircò moviſſe. Sed facilis eſt reſponſio, ſi ea, ut revera geſta ſunt, diligenter examinemus. Cæſar itaque Conſul anno ab V. C. 691. Vatinia lege Galliam Citeriorem à Populo obtinuit per quinquennium, cumque ea Lex promulgata fuerit circiter Kalendas Mart. non poterat Cæſari imperium eripi, niſi Kalendis Mart. anni 696. Domitio, & Appio Coſs. idque conſtat ex Oratione de Provinciis: *Præſinit enim Succeſſori diem*, & infra: *Kalendis ei denique Mart. naſcetur repente Provincia*; ut ſcilicet ſervaretur lex Vatinia, Kalendis Mart. prædicti anni mittendum cenſebat Succeſſorem Senator ille Conſularis. Cum autèm anno ſuperiore, Pompejo Conſule, itidem circiter Kalendas Mart. lata fuiſſet lex Trebonia, qua per aliud quinquennium in Galliis datum eſt imperium Cæſari, ſublatus eſt annus unus ex quinquennio legis Vatiniæ, cœpitque per alteram legem Treboniam obtinere Gallias Kalendis Mart. anni 695. adeoque usque ad Kalendas Mart. anni 700. qui Conſules habuit L. Paulum, & C. Marcellum. Hinc Epiſt. 7. lib. 8. M. Marcello Conſule, hoc eſt anno 699. menſe Septembri hęc locutum Pompejum, refert Cælius: *ſe ante Kal. Mart. non poſſe ſine injuria de Provinciis Cæſaris ſtatuere; poſt Kal. Mart. ſe non dubitaturum*; ut ſcilicet lex Trebonia ſervaretur. Apud Appianum lib. 2. de Bello Civili, ad annum 700. *C. Marcellus ſucceſſorem Cæſari in Provinciam mitti poſtulabat, jam enim tempus ejus muneris ad finem veniſſe ajebat*. quoniam Kalendis Mart. illius anni quinquennium Treboniæ legis effluxerat. Neque obſtat, quod addit infra idem Appianus: *adverſantibus multis*,

ac

ac non æque Pompejo tempus effluxiſſe dicentibus, cum tamen eodem tempore de utriusque quinquennio lata fuerit lex Trebonia. patet enim, Pompejo tertium Conſuli prorogatum fuiſse ultra quinquennium tempus Imperii, ex Dione, & Appiano, qui de Pompeii tertio Conſulatu hæc habet: *Quæ omnia cum in Senatu ſumma laude extollerentur, ei duas denuo legiones, & tempus ad aliarum Gentium imperium attribuit*. Cæſar ipſe lib. I. de Bello Civili ita ſcribit: *Provinciæ Privatis decernuntur, duæ Conſulares, reliquæ Prætoriæ, Scipioni Syria, Domitio Gallia obvenit*; retulerat autem de Provinciis Lentulus Conſul ſtatim poſt Kalendas Januar. Quamobrem, ſi Cæſari non effluxiſſet tempus imperii kalendis Mart. anni 700. decretus illi fuiſſet Succeſsor ante tempus lege Trebonia præſcriptum, quippe ante kal. Mart. anni 701. cum factum fuerit Decretum de Succeſſione ſtatim poſt kal. Jan. hujus anni; ideòque non diſſimulaſſet Cęſar tantam injuriam, cum ibidem alia minora queratur: *In ſe novi generis imperia conſtitui, in ſe jura Magiſtratuum commutari, ne ex Prætura*, & cæt. neque verbum facit de miſso ante legitimum tempus Succeſſore. Conſtat igitur, quinquennium legis Treboniæ non exceſſiſſe kalendas Mart. anni 700. & Cæſari decretum fuiſſe Succeſſorem Domitium poſt kal. Januar. anni 701. ex Cæſaris Commentariis, & aliis Auctoribus. Jam verò peterem ab Adverſariis, quonam jure per decem illos Menſes, qui numerantur à quinquennio jam elapſo usque ad Succeſſorem, Cæſar obtinuerit Gallias. ſi dicant, quòd nondùm à Senatu veniſset Succeſſor,

ſor, legem Corneliam admittunt; ſi verò, quòd imperium vi retinuit, jam tùm ergo judicandus fuerat hoſtis, non poſtquàm ultra fines Provinciæ duxit exercitum. Nam ſi kalendis Mart. anni 700. imperium Cæſari nullum erat, ut pote non prorogatum à Senatu, cur non hoc apud Hiſtoricos exprobrant Cęſaris inimici, qui levia etiam perſequuntur? cur Proconſulem, & Imperatorem adhuc appellant? cur non hanc belli cauſam prætendunt? Jure nimirùm retinebat imperium, ſed contra leges Succeſſorem recuſabat, quod unum illi obiici ſolebat. Et hæc omnia fuſiùs pertractavi, ut clarior eſſet reſponſio ad obiectum: Cęſarem, cum ſibi prorogari imperium poſtulavit, Succeſſoris miſſionem differri voluiſſe; & cum decretum eſt à Senatu de non prorogando Cęſari imperio, mittendum eſſe quamprimùm Succeſſorem cenſuiſſe Patres, cum lege Trebonia minimè impedirentur.

Quòd ſi pręcepta rei benè gerendę requiris, vide M. Tullii ad Q. Fratrem Epiſtolas. ridens has ad te datas literas exorſus, jocans itidem abſolvo. Vale. Id. Novemb. 1696.

Digitized by Google

EPISTOLA DECIMA.

AD NOB. N. N.

De Extraordinariis Imperiis.

Jura omnia divina, atque humana promiſcuè turbari neceſſe eſt, ſimul ac legitimum ordinem, noſtriſque Majoribus per plures ætates probatum, è Rep. repentè ſuſtuleris. Diu ſtetit invicta, & adhùc fortaſsè ſtaret Urbs Roma, ſi Magiſtratus, Provincias, Judicia, juxtà veterum præſcripta legum, tenuiſſet; plurima ſæpè extra ordinem conceſſa, Patriæ tandem interitum peperere. Alia tamen alibi; nunc mihi de Extraordinariis Imperiis notanda ſunt quædam, eaque ex M. Tullii orationibus delibata, ut hac ſaltem ex parte non indignam te, tuique ſummi ingenii præſtantia contexam Epiſtolam. quod ipſum profectò extra ordinem erit, ſi mearum literarum lectione non ſine ſtomacho detineam, cujus ſtylum ſatius eſſet nunquàm à ſcribendo requieſcere.

Magiſtratibus omnibus decretas fuiſſe Provincias à Senatu ſine ulla Populi rogatione, ita liquidò conſtat ex univerſa Livii Hiſtoria, ut minimè neceſſe ſit exempla, & teſtimonia, quæ propè innumera ſunt, hùc afferre. Appianus lib. 4. de Bello Civili, Caſſium inducit ita ad exercitum de C. Cæſare verba facientem: *qui Magiſtratuum creationes à Populo, Principatus gentium à Senatu ad ſe transferret.* nuſquàm enim legimus aſſignatas fuiſ-

fuiſſe provincias Magiſtratibus à Populo, niſi extra ordinem. Ordinaria, mandandarum Provinciarum ratio fuit, ut Conſules, Prætoresque, ſtatim inito Magiſtratu, vel ſortirentur, vel compararent inter ſe Provincias à Senatu decretas, in iisque obtinerent annuum Imperium; quod etiam de Quæſtoribus intelligendum eſt. Cæterùm, cum L. Piſo Tribunus pl. inſtituiſſet Quæſtionem publicam de Repetundis, ut auctor eſt Cicero in Bruto, atque alii deinde alias; Prætores cœpti ſunt in Urbe retineri toto tempore ſui Magiſtratus, ac poſtea ex S. C. in Provincias mittebantur. Eodem modo Conſules ferè poſt Syllam, Romæ manebant, & ſolummodo ad finem anni in Provincias proficiſcebantur; quas proinde non ſtatim inito Magiſtratu, ut antea ſolebant, ſed plerumque elapſis quibusdam ſui Conſulatus Menſibus, vel ſortiri poterant, vel inter ſe comparare. Sic Appius Conſul Epiſt. 9. lib. 1. nondùm aut ſortitus fuerat, aut cum Collega comparaverat. Hinc apparet, extra ordinem fuiſſe, 1. ſi prorogabatur cuipiam ultra annum imperium, qua de re multa dicta ſunt alio loco; 2. ſi Privato mandabatur Provincia; 3. ſi Magiſtratui quidem dabatur, at extra ſortem, & nominatim; deque his duobus nobis inſtituenda eſt Diſputatio, quibusdam præmiſſis de ratione, qua extraordinaria Imperia mandabantur.

Si cui Provincia, Honos, aut hujusmodi quidpiam daretur, quod ipſi capere non liceret, una, aut altera lege prohibente; antea legibus erat ſolvendus, hoc est, declarabatur per privilegium, eum non impediri legibus, quin capere poſſet; quod

quod extra ordinem deferebatur. Vigente Rep. cum quid extraordinarium fieret, ut aliquem ſolvi legibus neceſse eſset, præter Sen. Conſultum, Populi etiam rogatio requirebatur. ſic ex S. C. Hiſpaniam P. Scipioni demandavit Populus Centuriatis comitiis ob rei magnitudinem; cum Tributis id deinde fieri conſueverit Livius lib. 29. *De Hiſpaniæ imperio, quod in eam Provinciam duos Proconſules mitti placeret, latum ad Populum eſt; omnes Tribus eoſdem L. Cornelium Lentulum, & L. Manlium Acidinum*, & cæt. lib. 30. *Conſules juſſi cum Tribunis pl. agere, ut ſi iis videretur, Populum rogarent, quem vellent in Africa bellum gerere. Omnes Tribus P. Scipionem juſſerunt*. lib. 31. *Plebs Cn. Cornelio Lentulo, & L. Stertinio Proconſulibus imperium eſſe in Hiſpania juſſit*. Narrat etiam Livius lib. 10. Latum eſſe ad Populum, uter ex Conſulibus, Fabio, & Decio Etruriam provinciam extra ſortem haberet. Eodem modo, ſi quando permutandæ forent Provinciæ Magiſtratibus; quare lib. 35. *his duobus*, inquit Livius, *primum S. C. deinde Plebis etiam ſcito permutatæ Provinciæ ſunt*. Ex quibus omnibus colligitur, jus fuiſſe Populi, ut demandare poſſet Provincias extra ordinem, & Solvere legibus. & quamvis referat Livius lib. 37. Græciam provinciam nominatim decretam fuiſſe, à Senatu L. Scipioni, id tamen ideò tenuit, quia rem judicio Patrum collega Scipionis Lęlius permiſit, & idem fuit, ac ſi Conſules inter ſe comparaſſent. Nam cum veteres leges prohiberent, obtineri Provincias, niſi à Magiſtratibus; alia ratione obtineri, quàm vel ſortitione, vel comparatione Magiſtratuum; inſuper mutari Provincias, quę ſortitò obtigiſ-

giſſent. ſi quid his in rebus immutandum erat, ſolvi aliquem legibus oportebat. Tempore L. Syllæ Dictatoris, aut paulo ante, cępit Senatus absque ulla Populi rogatione, legibus ſolvere. ſic dedit C. Mario Galliam, teſte Cicerone de Provinciis; Pompejus deinde miſſus extra ordinem in Hiſpaniam à Senatu contra Sertorium; L. Lucullus in Ciliciam contra Mithridatem, aliique ſimilitèr. Quæ cum ita ſe haberent, lata eſt Lex à C. Cornelio, anno 683. Calpurnio, & Glabrione Coſs. qua cavebatur, ut in Senatus quidem poteſtate eſſet legibus ſolvere, ſed ita, ut poſtea rogatio ad Populum de ea re ferretur more veteri, quam rogationem omninò à Populo juberi neceſse eſset, referentibus Dione lib. 36. & Aſconio in Cornelianam. Qua porrò lege non ademptum eſt jus Populo demandandi extra ordinem Provincias; id enim multi ex Tribunis fecere, Gabinius, Manilius, Vatinius, Clodius, Trebonius; ſed illud etiam Patribus, ut jure, & lege facerent, conceſſum eſt. quamvis autem requireretur Populi rogatio, ea nihil momenti habebat, cum rogatio ipſa juberi neceſſariò à Populo deberet. Hac igitur ratione miſſus eſt extra ordinem à Senatu Cn. Piſo in Hiſpaniam, ut habet Suetonius in Cæſare; aliquanto poſt in Ciliciam Cicero, in Syriam Bibulus, L. Domitius in Galliam, cum eſſent Privati; latumque fuiſſe ad Populum, Tullius ipſe oſtendit Epiſt. 7. & 14. lib. 15. in illa enim ad M. Marcellum habet: *ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi & S. C. & lege finiſti*; in altera ad C. Caſſium: *ne quid mihi ad hanc Provinciam, quam & Senatus, & Populus annuam eſſe voluit, temporis prorogetur*,

faciatque mentionem tùm Populi, tùm Legis, quâ Populus Senatus Decretum de illius extraordinario Imperio confirmaverat.

Ante L. Syllæ Dictaturam, nemini privato, ſi nondùm Remp. attigiſſet, provinciæ, atque exercitus committebantur. hinc, ut alios omittam; continuatus in C. Mario Conſulatus, ut cujus opera periculoſiſſimis temporibus Reſp. egebat, eum Conſulem, non privatum Legionibus præficeret. Sed & antea eidem primùm Conſuli data eſt extrà ſortem Provincia Numidia, lege Populi; ex Salluſtio de Bello Jugurth. *poſtquam ei provinciam Numidiam Populus juſſit*, quam ſine ſorte, & nominatim obtinuit per triennium, imperio per Populum prorogato, invitâ Nobilitate. Idem Salluſtius ibidem: *Marius Conſul abſens factus eſt, & ei decreta provincia Gallia*. ex Africa nondùm reverſus alterùm Conſulatum adeptus eſt, quem per annos quinque continuavit, & provinciam Galliam extra ſortem, & nominatim â Senatu eidem decretam. Cum tribus modis extraordinariam provinciam obtinere diceretur quiſpiam; 1. ſi Privatus eſſet; 2. ſi prorogaretur illi imperium; 3. ſi Magiſtratus ipſe, nominatim in Provinciam mitteretur; quæritur, quomodo Marius extra ordinem geſſerit bellum adversùs Gallos. an quòd erat Privatus? nequaquàm; nam in ſingulos annos Conſul reficiebatur: an prorogato imperio ſeu per Populum, ſeu per Senatum? multo minùs; iis enim, qui jam Magiſtratu abiiſsent, prorogabatur imperium; at Mario jure Conſulatus quotannis provincia debebatur. quid igitur dicendum eſt? decretum â Senatu factum fuiſſe, idemque renovatum quotannis, ut Marius Conſul ſine ſorte,

&

& nominatim Provinciam illam adminiſtraret, quoad cum Gallis debellatum eſt. Oratione de Provinciis: *At hi* (Senatores) *non modo illum inimicum ex Gallia ſententiis ſuis non detrahebant, ſed & propter rationem Gallici belli, provinciam extra ordinem decernebant*: quo pacto decernebant? ſublata ſingulis annis provinciarum Conſularium ſortitione; ut eam nominatim Marius haberet, in qua bellum acerrimum cum Gallis gerebatur. Verùm, ut diximus; non ſolebant privati Provinciis, atque exercitibus pręeſſe, ante Syllam, à quo poſt recuperatam armis Remp. primus omnium Cn. Pompejus miſſus eſt in Siciliam Proconſul, deinde in Africam; mox à Senatu in Hiſpaniam, cum eſſet privatus, & Eques R. Hinc non rectè Manutius exiſtimat, C. Flaccum illum, cujus ſit mentio in Quinctiana: *conſugit ad C. Flaccum Imperatorem*; Galliæ Proconſulem; eundem eſſe, qui ante annos duodecim cum M. Herennio Conſul fuerat: quo enim jure C. Flaccus Conſularis tunc temporis Galliam adminiſtraret? Triennio poſt eum Conſulem dicitur Epit. Livianę lib. 73. *C. Cæcilius in Gallia tranſalpina Salvios rebellantes vicisse*; non igitur jure Conſulatus Galliam provinciam ſortitus, per decem annos eandem obtinuerat. Privato eam demandatam fuiſſe extra ordinem quis putet? cum nulla belli neceſſitas urgeret, nulla ipſe Imperatoria virtute præſtaret, nullo ferè exemplo Privatis demandari Provinciæ ſolerent. Illis ipſis temporibus, ne ſexcenta alia perſequar, duo fuere L. Valerii Flacci Conſules, ætate Ciceronis duo pariter L. Valerii Flacci commemorantur, oratione pro Flacco; ergo & duo C. Flacci eo-

dem tempore eſſe potuerunt, quorum alter Conſul fuerit cum Herennio, alter ex Prætura Galliam Tranſalpinam rexerit, Cinna IV. Conſule, ad quem confugerit Quinctius.

Cato quidem privatus extra ordinem miſſus eſt rogatione P. Clodii ad expeditionem Cypriam, eamque ipſe Provinciam ſumma cum laude confecit. quo refertur illud Sextianæ: *Dixerint, linguam ſe evelliſſe M. Catoni*. At quam ob cauſam prædicabat Clodius, à ſe linguam M. Catoni eſſe evulſam? an quòd ille acta Clodii non vituperaſſet, cum inter ea ſuæ quoque res geſtæ forent? an verò, quòd non reprehendiſſet in aliis extraordinaria imperia, cum ipſe extra ordinem demandatam Provinciam adminiſtraſſet? itaque ſubjungit Orator: *quæ ſemper contra extraordinarias Poteſtates libera fuiſſet*. Plutarchus teſtis eſt, quàm vehementer C. Cæſari ſibi Galliam Citeriorem provinciam nominatim petenti Cato reſtiterit, ſimiliter & cum alia hujuſmodi improbi homines conarentur; idem ne faceret in poſterum, putabat Clodius optimo conſilio ſe providiſſe. Oratione pro Domo Sua: *deinde gratulari* (Cæſar P. Clodio per literas) *quòd idem in poſterum M. Catonem Tribunatu tuo removiſſes, & quòd idem in poſterum de extraordinariis Poteſtatibus libertatem ademiſſes*; ne vituperare poſſet in cæteris, quod in ſe ipſe probaſſet. Hoc loco turpis Abrahami negligentia notanda eſt, qui ſcribit, Catonem primùm reſtitiſſe Pompejo, ne cum exercitu in Italiam rediret, victo Mithridate; deinde Cæſari, ne cum Galliis Illyricum obtineret. patet enim ex Plutarcho,

cho, Pompejum quidem, nemine obſtante, exercitum ex Aſia deduxiſſe ad Triumphum, quæ omnium Imperatorum conſuetudo erat; illud autem à Senatu non impetraſse, ut Conſularia comitia defferrentur, donec ipſe in Urbem veniſſet; & Cæſare Conſule legem de Provinciis ferente, non de Illyrico, ſed de Citeriore Gallia, & legionibus ſolicitos Optimates fuiſſe. Non negaverim, illud etiam Clodium cogitaſse, fore, ut Cato omnia Tribunatus acta tueretur, ne à ſe geſta in expeditione Cypria reſcinderentur. hoc tamen diſſimulat Cicero, ac de extraordinariis Imperiis interpretatur; neque neceſſe erat, ut omnia Cato probaret, quæ Clodius geſſiſſet, quòd Rogationem de Cypro non reprehenderet. nam cum L. Craſſus, M. Scaurus, M. Livius leges multas tuliſſent, quædam abrogatæ ſunt, non omnes, ſicut eſt in Oratione pro Domo ſua. Idem porrò de actis etiam P Clodii poterat eſſe judicium, ut quædam reprehenderentur, non omnia. hoc eſt., rata eſsent, quæ geſserat Cato adversùs Ptolomæum Cypri Regem; cætera haberentur ut abrogata, vel etiam abrogarentur.

Oratione pro Lege Manilia, recenſentur Imperia extra ordinem delata duobus Viris ampliſſimis, P. Scipioni Æmiliano, & C. Mario; de Mario dictum eſt ſuprà; de Æmiliano ita comemmorat Cicero: *duo bella maxima, Punicum, & Hiſpanienſe, ab uno Imperatore eſſe confecta*. ſubiicit illlorum verborum interpretationem Manutius: *quorum altero Carthaginem ipſam, altero Numantiam delevit; cum ei ſemel ante tempus vetitu lege præſcriptum Ædilitatem petenti, Conſulatus*

 man-

mandatus eſſet , *iterum autem contra eam legem* , *quæ vetabat* , *quemquam iterum Conſulem fieri* . In Æmiliano duo extra ordinem facta ſunt , dum ad expugnandam Carthaginem mitteretur ; nam & factus eſt Conſul ante , quàm attigiſſet annum quadrageſimum ſecundum contra leges annales , & obtinuit provinciam Africam extra ſortem . Secundò non extra ordinem quidem factus eſt Conſul , ſed nominatim , & extra ſortem miſſus eſt in Hiſpaniam contra Numantinos ; Cicero autem non de Conſulatibus loquitur , at de utroque Imperio , quod illi fuerat delatum contra inſtituta Majorum . itaque Philip. 11. cum de tertio bello Punico ſermo eſset : *ad quod Populus R. ita ſibi ipſe delegit idoneum Ducem P. Scipionem, ut eum tamen bellum gerere Conſulem vellet*, atque idem factum eſt bello Numantino . Ut ſingula Veterum teſtimoniis confirmem , 1. De Conſulatu extra ordinem dato teſtatur Florus Epit. Liv. lib. 50. *P. Scipio Æmilianus* , *cum Ædilitatem peteret* , *Conſul à Populo dictus* , *quoniam per decem annos Conſulem fieri minime licebat* ; quem locum cum redarguat Gruchius lib. 1. de Comitiis , miror , eum aliunde argumenta ſumere , quàm ex ipſo Livio , qui lib. 44. pugnam cum Perſeo Rege ab Æmilio Conſule initam referens , hæc habet de P. Scipione Conſulis filio : *is decimum ſeptimum tunc annum agens* ; adeòque Conſulares Faſtos examinanti patebit , Æmilianum factum fuiſse primò Conſulem , annos natum triginta ſeptem , quinque annos , non decem ante tempus lege annali præſcriptum , qua licebat Conſulatum petere , anno ætatis quadrageſimo ſecundo . 2. Provinciam Africam datam fuiſse extra ordinem Æmiliano,

iano, idem Florus Epit. Liv. lib. 51. ſcribit his verbis: *Carthago obſeſſa, & per partes capta eſt, primùm à Mancino Legato, deinde à Scipione Conſule, cui extra ſortem provincia Africa data eſt*. Nam cum illud eſset in more poſitum, ut Prætores, & Conſules, decretas à Senatu provincias vel ſortirentur, vel compararent inter ſe; is extra ordinem habere provinciam dicebatur, qui nominatim, & extra ſortem, Collegarum nulla habita ratione, obtinuiſſet, aut à Senatu, aut à Populo, delegit eum ſibi Ducem Populus R. quia juſſit ab illo, prætcrito Collega, bellum Punicum geri. at Conſulem creavit, ne privato daret imperium; ut habetur in Philip. 3. Nequaquàm tamen Æmilianus ſecundò factus eſt Conſul extra ordinem, hoc eſt contra leges. Primis Reip. temporibus nihil erat impedimento, quin idem Conſulatum petere ſępiùs poſſet; & ita in aliquibus continuatos ſæpe legimus Magiſtratus. Q. Fabius Maximus legem tulit, *Ne intra annos decem eundem Conſulem refici liceret*, eodemque modo tuliſse dicitur L. Sylla Dictator. Quæ quidem Lex adeò religiosè in poſterum ſervata eſt, ut neminem reperias ante C. Marium, intra decem annos refectum Conſulem, cum multi poſt illud à Lege definitum tempus iterùm Conſules fuerint; ex quibus unus eſt P. Scipio, cui poſt tredecim annos alterum Conſulatum Populus dedit, non tamen extra ordinem. quæ enim lex id fieri prohibebat? Ubi fallitur Florus lib. 56. qui refert ultrò delatum fuiſse P. Scipioni Africano alterum Conſulatum: *quem cum ille capere ob legem, quæ vetabat, quemquam intra decem an-*

nos iterùm Conſulem fieri licere, *minimè vellet*; *ſicuti priori Conſulatu*, *legibus ſolutus eſt*; & profectò pro Africano Scipionem Naſicam accepit, qui quadrienniò ante Conſul fuerat cum D. Bruto. 4. Conſul per leges iterùm factus Æmilianus, contra leges obtinuit Hiſpaniam provinciam; ut enim ſuprà dictum eſt, neque ſortitus eſt cum Collega, neque ut compararet, Senatus, Populusque R. permiſere, qui eum extra ſortem, & nominatim ad bellum Numantinum proficiſci juſſerunt, refectum eam unam ob cauſam Conſulem, ut contumacem Populum, & gemina victoria ſuperbum, virtute, atque armis ſuperaret. 5. Ex iis, quæ hucusque obſervavi, manifeſtum eſt, Ciceronem loco laudato non de Conſulatibus, ſed de Provinciis extra ordinem da is, loquutum fuiſſe; cum in ſecundo Conſulatu neque legibus ſolutus fuerit P. Scipio Æmilianus, neque quidquam contigerit extraordinarium. Itaque Cicero non bis creatum novo more Conſulem memorat, at duo bella maxima confecta per ipſum novo exemplo, hoc eſt demandatis extra ſortem Provinciis; ut oſtendat à Pari etiam Cn. Pompejo deferri poſſe bellum Mithridaticum extra ordinem, qui & antea multa hujusmodi extraordinaria obtinuerat.

Ultimò de L. Lucullo quæri poteſt, bellum illi Mithridaticum demandatum ne fuerit tantùm Sen. Conſulto, an & S. C. & lege Populi, ut ſignificare Cicero videtur oratione pro Murena, eandem expeditionem his verbis deſcribens: *Neque tanta cura Senatus*, *&* *Populus R. ſuſcipiendum putaſſet*. Nam juxta doctrinam ſuprà traditam, poſt L. Syllæ Dictaturam, ad Senatum ſpe-

ſpectabat legibus ſolvere , ut ſi cui extra ſortem demandanda eſſet Provincia ; idq; manifeſtè colligitur ex Aſconio in Cornelianam , ubi facit mentionem legis Corneliæ perlatæ anno V. C. 683. *ne quis in Senatu legibus ſolveretur , niſi ducenti affuiſſent , neve quis , cum ſolutus eſſet , intercederet , cum de ea re ad Populum ferretur* , adeòque ante hanc legem latam nulla requirebatur Populi rogatio. Pręterea narrat Plutarchus , L. Lucullum Conſulem per factionem Cethegi obtinuiſſe à Senatu Provinciam , & bellum Mithridaticum ; de lege Populi ne verbum quidem . imo verò hæc ſtatim ſubiicit : *Cotta ejus Collega multis ab Senatu precibus impetravit , ut cum Claſſe ad Propontidem tuendam , & Bithyniam protegendam mitteretur* . adeò tunc omnia per Senatum fiebant . Quid igitur de Ciceronis teſtimonio ſentiendum ? quo contrarium affirmari videtur . nimirùm Orator non unam , aut alteram illius belli partem attingit ; ſed in univerſum exponit , quemadmodum ſuſceptum , geſtumque fuerit per multos annos ; quam argumentationem ita concludit : *Si bellum hoc , ſi hic hoſtis , ſi ille Rex contemnendus fuiſſet , neque tanta cura Senatus , & Populus R. ſuſcipiendum putaſſet ; neque tot annos geſſiſſet , neque tanta gloria L. Luculli ; neque verò ejus belli conficiendi curam tanto ſtudio Populus R. ad Cn. Pompejum detuliſſet* . Ex tribus illis membris , primum refertur ad annum V. C. 662. cum , ut mos erat , ex S. C. lata fuit Lex Centuriatis comitiis de bello Mithridati indicendo ; ſic autem magna cura bellum illud ſuſcipiendum putaſſe dicitur Senatus , & Populus R. Alterum comprehendit res geſtas à tribus Imperatoribus , Sylla , Murena , Lucul-

lo ;

o; neque Senatus, neque Populi mentio fit quippe poſt legem latam, Sylla Conſul eam Pr vinciam ſortitus fuerat, Murena juſsu Syllæ a miniſtraverat, Lucullus tandem acceperat ex C. Tertium membrum legem Maniliam ſignifica qua triennio ante Populus R. contra voluntate Senatus, illud negotium Pompejo mandaverat Quamobrem ea verba, quorum interpretatio que rebatur, non ſunt intelligenda de L. Lucullo ut quidam perperam opinantur, ſed de tempore, qu lata lege ad Populum ex Sen. Conſulto, bellum Mithridati indictum eſt paulo ante Syllam, & Pompejum Coſs. cum videam Syllæ primùm eam Provinciam fuiſse.

Vereor, ne prolixiores has ego literas dederim, quàm par erat; at ſcito multo breviores eſse, quàm optabam. Vale, III. Kal. April. A. S. 1699.

EPISTOLA UNDECIMA.

AD NOB. N. N.

De Inceſto P. Clodii.

Talem, ac tantum Virum reperiri poſse nulquàm putavi, qualis, & quantus tu mihi unus inventus es. Obſtupui, cum te primùm audivi, ſubiitque veteris adagii recordatio, cui fidem procul dubio derogas; quippe qui pluribus, iiſque maximè diverſis intentus ſtudiis, omnibus abundè ſufficias. In re familiari tuenda, nemo

eſt

eſt attentior ; in Civitatis , amicorumque commodis procurandis , nemo accuratior ; in controverſiis , quæ ex Philoſophia aliiſque ſcientiis proficiſcuntur , agitandis , nemo ſubtilior; in bonis Artibus colendis nemo elegantior; ita demùm Antiquitatis ſtudioſus , tùm quæ numis , lapidibuſque vetuſtiſſimis , tùm etiam , quæ Veterum Libris continetur ; , ut nullum viderit ætas noſtr aillu-ſtriorem Antiquarium . Quapropter in admirationem tui iam multo ante pertractus , cum abſentem interpellare , datis literis , cuperem , ex nonnullis hoc ipſo Menſe lucubratis , parvam Quæſtionem ſelegi , quam ad te mitterem , de Judicio Clodiano . quo conſilio , dicam alio loco , ubi ad hæc , ut ſpero , reſcripſeris .

Oratione de Haruſpicum Reſp. Clodii vitam omnem Cicero exagitat , & cum ad illius Quęſturam perveniſset , ait : *P. Clodio gradus ad Remp. hic primus eſt* , quo ipſo tempore turpiſſimum Inceſtum commiſerat . Cum vetere , ut opinor , aut certè Cornelia lege cautum fuiſſet , ne Prętor , & Conſul fieret , qui non fuiſſet antea Quæſtor , primus ad honores , & ad Remp. gradus erat Quæſtura ; Clodius autem Silano , & Murena Coſſ. unum , ac triginta annos natus , ut pote quinquennio poſt factus Ædilis , Quæſturam gerebat , cum muliebri veſte indutus domum C. Cæſaris ingreſſus eſt , ut inter Sacra Bonæ Deæ Pompejam ſtupraret . Anno tamen ſequenti , & novam de violata Religione legem Piſo Conſul ex S. C. ac deinde Fuſius promulgavit , & Clodii judicium peractum eſt ; ut habetur Epiſt. 9. lib. 1. ad Atticum. nemo enim , qui eſſet in Magiſtratu, vel etiam in ſequentem annum

de-

deſignatus, ad Judicum ſubſellia pertrahi poterat; quam ob cauſam accuſatus paulo poſt à Milone idem Clodius de Vi, deſignatus Ædilis Curulis judicium evaſit. Hæc leviter, & quantum ſatis eſt, attigimus; unum reſtat, quod accuratiùs examinemus: domine Pontificis Maximi Sacra Bonæ Deæ fierent, ſicut vulgò docent Interpretes, an apud aliquem Magiſtratum, quæ mea eſt opinio. Cicero eadem Oratione de Har. Reſp. occultum Bonę Deæ ſacrificium ita deſcribit: *quod fit per Virgines Veſtales, fit pro Populo R. fit in ea domo, quæ eſt in imperio*. equidem nuſquàm legi, Pontificem Max. imperium habere, & in Catilinariis, multiſque aliis in locis P. Scipio Naſica Pont. Max. interfeciſſe dicitur Ti Gracchum privatus, non in imperio. Clariùs proinde Plutarchus in Cæſare: *cum igitur ea inſtant ſolemnia, vir ipſe ſeu Præturam, ſeu Conſulare gerat imperium, cunctique mares una commigrant; Uxor domum exornat*, & cæt. domus enim Conſulum, & Prætorum maximè erant in imperio, in quibus ea quotannis Sacra fiebant. Hinc narrat Dio lib. 38. anno V. C. 687. Sacrificium illud factum fuiſſe in domo Ciceronis Conſulis ab Uxore Terentia; cùm & Romæ procul dubio C. Cæſar eſſet, & jam Pontifex Maximus, ſuffectus in locum Q. Metelli Pii. Notandum eſt etiam, ſi Pontifex Max. Conſul eſſet, aut Prætor, in ejus domo Sacra Bonæ Deæ fieri conſueviſſe, reliquis omnibus poſthabitis; ſeu ex vetere inſtituto, ſeu quòd ſummo Sacerdoti honor ille deberetur. Plutarchus in Cicerone: *mos fuit quotannis in Ædibus Pontificis Max. ſacra Bonæ Deæ fieri pro ſalute po-*

puli R. deinde : *P. Clodius Pompejam C. Cæſaris uxorem amans, dum Sacra per noctem fierent, muliebri veſte, domum Cęſaris, nam is erat Pontifex, ingreſſus*, & cæt. Cicero pro Domo ſua ; *P. ne Clodius, qui ex Pontificis Max. domo religionem eripuit, is in meam intulit ?* Erat eo anno Cæſar tum Pontifex Max. & cæremoniis præerat ; tùm etiam Prætor, & quæſtionem inter Sicarios Plutarcho teſte exercebat. cum Prætorium obtineret imperium, Sacrificium illud poterat jure fieri in ejus domo ; cum eſset Pontifex Max. ratione habita ſummi Sacerdotii, antelatus eſt Conſulibus, Prætori Urbano, & cæteris Collegis ; adeòque Cicero, & Plutarchus, cum eam narret hiſtoriam, Pontificem appellant Cęſarem, non Prætorem, quia jure Pontificatus, non Præturæ id ei munus mandatum fuerat, licèt neceſſaria fuerit etiam Pręturа. Nàm probari nullo modo poteſt, quod quidam tradunt ; domi Cæſaris Sacrificium illud tùm factum fuiſſe, quia Silanus, & Murena Conſules non habebant uxores. an Prætor etiam Urbanus, & Peregrinus ſine uxore erant ? vix quenquam Romæ vel in extrema ſenectute cælibem reperias ; & uxor Silani apud Plutarchum erat Servilia ſoror Catonis ; & Murena dicitur L. Pinarii Natæ Vitricus fuiſſe, Oratione pro L. Murena. quomodo igitur uterque Conſul fuit ſine uxore ?

Sed cum reliqua omnia ſcelera, quę notaverant Haruſpices, admiſſa oſtenderit à P. Clodio ; quod indicat *Fidem, & Juſiurandum neglectum*, hujus unius culpam in Judices transfert, qui eundem Reum violatæ Religionis abſolverant : *ex eo, quod ſequitur, de tuorum Judicum manifeſto per-*

jurio dici. Cum enim ſequatur, Sacrificia vetuſta, occultaq; minùs diligentèr ſacta, pollutaque fuiſſe; quis non videt, hoc ad ſtuprum illatum Sacris Bonæ Deæ per Clodium; illud ad Judices in homine nocentiſſimò abſolvendo pejerantes; referri? *Quibus olim erepti eſſent numi, niſi à Senatu præſidium poſtulaſſent*: non eſt; inquit, dubium, quin pejeraverint; qui pecuniam ob rem judicandam acceptam negare non poterant. Idem habetur Epiſt. 11. lib. 1. ad Atticum: *quorum Catulus cum vidiſſet quendam, quid vos, inquit, præſidium à nobis poſtulabatis?* (nam præſidium à Senatu poſtulaverant; cum ſententiam laturi eſſent) *an, ne numi vobis eriperentur, timebatis?* æquè vehemens, ac feſtiva reprehenſio. At proſequitur Cicero, quod inſtituerat: *quare autem de his dici ſuſpicer* (non de P. Clodio) *hæc cauſa eſt*. Orator itaque duas cauſas aſſignat, proptèr quas neglecti juſiurandi culpa omnis in Judices transferenda ſit, non in Clodium: *quod ſic ſtatuo, & illud in hac Civitate eſſe maximè illuſtre, atque inſigne perjurium*. prima cauſa, quia in re graviſſima apertiſſimè pejeraverant, cum & noctes certarum mulierum, atque adoleſcentulorum nobilium introductiones nonnullis Judicibus pro mercedis cumulo fuerint: *& te ipſum tamen in perjurii pænam ab iis, quibuſcum conjuraſti, non vocari*. altera Cauſa. Conjurare eſt ſimùl jurare; promiſerant Judices Clodio, ſe contra juſiurandum facturos, mercede accepta; viciſſim jurejurando Clodius affirmaverat, ſe poſt abſolutionem fidelitèr daturum, quæ pollicitus fuiſſet Judicibus. In eadem ad Atticum Epiſtola: *biduò per unum Servum, & eum ex ludo gladiatorio, confecit*

...t totum negotium ; accerſivit ad ſe , promiſit , in-...ceſſit , dedit . non igitur pejeravit Clodius , cum ...tam mercedem ſtatim dederit , ipſique eum ...dices fidelem ; ac minimè perjurium fateantur ; ...que adeò ſoli juſiurandum neglexerunt , & fi-...m , qui jurati contra jus ; falſque judicarunt. ...ocum hunc pluribus verbis expoſui , quòd , niſi ...ttendatur , aliquanto videatur obſcurior .

Non tamen illud inceſtum unum , ſed alia ...multa commemorantur ſcelera *Hominis* , ut eſt in ...extiana , *fraternis flagitiis ; ſororiis ſtupris , omni ...audita libidine infamis* : præter Sacra Bonæ Deæ amo-...e Pompejæ violata , Sororia etiam ſtupra Clodio exprobrantur ; nam Oratione pro Milone : *quem cum Sorore germana nefarium ſtuprum feciſſe ; L. Lucullus juratus ſe , quæſtionibus habitis , dixit comperiſſe* ; quamquàm non cum una tantùm , quę Uxor erat Luculli , ſed cum duabus etiam reliquis rem illum habuiſse , vulgatum fuit . Quæ verò flagitia commiſit in Fratrem ? *multa* , ait Commentator , *ſed illud maximè ; de quo pro Milone* : *Appium fratrem , hominem mihi coniunctum fideliſſima gratia , abſentem de poſſeſſione fundi dejecit* . Hoc ut refellam , tria præcipuè perſuadent . in primis , quodnam hujusmodi flagitium tantum fuiſset , ut , innumeris aliis prȩteritis , illud maximè cum Sororum ſtupris merito comparari poſſet ? Deinde eam fecerat injuriam Appio fratri abſenti , hoc eſt Ciliciam provinciam obtinenti poſt Conſulatum ; quod etiam colligitur ex Epiſtola 9. lib. 1. ad Lentulum , ſcripta Appio , & Domitio Coſſ. biennio poſt , quàm hæc dicta ſunt , in qua ſcribit , ut de re recenti : *Certiorem te per literas ſcribis eſſe factum , me cum C...re ... cum Appio eſse in-*

gra-

jurio dici. Cum enim ſequatur, Sacrificia vetuſta, occultaq; minùs diligentèr facta, pollutaque fuiſſe; quis non videt, hoc ad ſtuprum illatum Sacris Bonæ Deæ per Clodium; illud ad Judices in homine nocentiſſimo abſolvendo pejerantes, referri? *Quibus olim erepti eſſent numi, niſi à Senatu præſidium poſtulaſſent*: non eſt, inquit, dubium, quin pejeraverint; qui pecuniam ob rem judicandam acceptam negare non poterant. Idem habetur Epiſt. 11. lib. 1. ad Atticum: *quorum Catulus cum vidiſſet quendam, quid vos, inquit, præſidium à nobis poſtulabatis?* (nam præſidium à Senatu poſtulaverant; cum ſententiam laturi eſſent) *an, ne numi vobis eriperentur, timebatis?* æquè vehemens, ac feſtiva reprehenſio. At proſequitur Cicero, quod inſtituerat: *quare autem de his dici ſuſpicer* (non de P. Clodio) *hæc cauſa eſt*. Orator itaque duas cauſas aſſignat, proptèr quas neglecti juſiurandi culpa omnis in Judices transferenda ſit; non in Clodium: *quod ſic ſtatuo, & illud in hac Civitate eſſe maximè illuſtre, atque inſigne perjurium*. prima cauſa, quia in re graviſſima apertiſſimè pejeraverant, cum & noctes certarum mulierum, atque adoleſcentulorum nobilium introductiones nonnullis Judicibus pro mercedis cumulo fuerint: *& te ipſum tamen in perjurii pœnam ab iis, quibuſcum conjuraſti, non vocari*. altera Cauſa. Conjurare eſt ſimùl jurare; promiſerant Judices Clodio, ſe contra juſiurandum facturos, mercede accepta; viciſſim jurejurando Clodius affirmaverat, ſe poſt abſolutionem fideliter daturum, quæ pollicitus fuiſſet Judicibus. In eadem ad Atticum Epiſtola: *biduò per unum Servum, & eum ex ludo gladiatorio, confecit*

…it totum negotium ; accerſivit ad ſe , promiſit , in…ceſſit , dedit . non igitur pejeravit Clodius , cum …tam mercedem ſtatim dederit , ipſique eum… …dices fidelem ; ac minimè perjurium fateantur ; …que adeò ſoli juſiurandum neglexerunt , & fi…m , qui jurati contra jus ; falſque judicarunt. …ocum hunc pluribus verbis expoſui , quòd , niſi …tendatur , aliquanto videatur obſcurior .

Non tamen illud inceſtum unum , ſed alia… …ulta commemorantur ſcelera *Hominis* , ut eſt in …extiana , *fraternis flagitiis ; ſororiis ſtupris , omni …audita libidine infamis* : præter Sacra Bonæ Deæ amo…e Pompejæ violata , Sororia etiam ſtupra Clodio exprobrantur ; nam Oratione pro Milone : *quem cum Sorore germana nefarium ſtuprum feciſſe ; L. Lucullus juratus ſe , quæſtionibus habitis , dixit comperiſſe* ; quamquàm non cum una tantùm , quę Uxor erat Luculli , ſed cum duabus etiam reliquis rem illum habuiſse , vulgatum fuit . Quæ verò flagitia commiſit in Fratrem ? *multa* , ait Commentator , *ſed illud maximè ; de quo pro Milone* : *Appium fratrem , hominem mihi coniunctum fideliſſima gratia , abſentem de poſſeſſione fundi dejecit* . Hoc ut refellam , tria præcipuè perſuadent . in primis , quodnam hujusmodi flagitium tantum fuiſset , ut , innumeris aliis pręteritis , illud maximè cum Sororum ſtupris merito comparari poſſet ? Deinde eam fecerat injuriam Appio fratri abſenti , hoc eſt Ciliciam provinciam obtinenti poſt Conſulatum ; quod etiam colligitur ex Epiſtola 9. lib. 1. ad Lentulum , ſcripta Appio , & Domitio Coſſ. biennio poſt , quàm hæc dicta ſunt , in qua ſcribit , ut de re recenti : *Certiorem te per literas ſcribis eſſe factum , me cum Cæſare , & cum Appio eſſe in…*

gra-

gratia; videtur autem ſupra innuere, Appium dejectum fuiſſe de poſſeſſione fundi à Clodio, abſentem, & jam Ciceroni reconciliatum. neque objicere poterat homini inimico, quod evenerat triennio poſt habitam illam pro Sextio Orationem, ſcilicet poſt Conſulatum Marcellini, & Philippi. Poſtremò, Ciceronis ſententia talis eſt: *qui Tribunus pl. felix in evertenda Rep. fuit, nullis ſuis nervis*; ipſe per ſe Clodius non poterat Remp. evertere in Tribunatu, abſque auxilio Conſulum, additque cauſam: *qui enim in ejuſmodi vita nervi eſſe potuerunt, hominis fraternis flagitiis, ſororiis ſtupris, omni inaudita libidine infamis?* quomodo tantum vel auderet, vel perficeret homo imbellis, atque omni libidinum genere debilitatus? Ut eum effœminatum, omnibuſque libidinibus coopertum oſtendat, fraterna flagitia, & Sororia ſtupra profert in medium. ſi per vim erepta Fratri poſſeſſio Fundi ſignificaretur, nihil ad rem, & ad argumentum, quod pertractat, pertineret; itaque neceſſe eſt, utrumque ad libidinem Clodii referri, quaſi & cum minore fratre Cajo impudicè vixerit; eamque ut rem nullo innixam certo fundamento, & hic per ambages attigit, & alibi, cum totum hominem excuteret, ſatius eſſe duxit omittere.

Cum de Vi accuſäretur à Milone poſt Tribunatum, non ſperabat tam turpe hoc alterum Judicium futurum, quàm primum illud de Inceſto fuerat; itaque in ſumma erat deſperatione Clodius. eadem Oratione pro Sextio: *Priſtini illius ſui Judicii turpitudinem deſperabat*. Accuſatus enim de violatis Bonæ Deæ Sacris, cum certa videretur damnatio, data pecunia, judicium evaſit,

&

& noctes etiam certarum mulierum, atque adoleſcentulorum nobilium introductiones nonnullis Judicibus pro mercedis cumulo fuerunt; Epiſt. 11. lib. 1. ad Atticum. Unde autem illa deſpera io? an qui Accuſatorem in primo Judicio pecunia corruptum, ut prævaricaretur, induxerat; Milonem nullo modo corrumpi poſſe intelligebat? de hujuſmodi quidem prævaricatione nuſquam mentio fit, & omninò ipſa Judicii turpitudo referri ad Accuſatorem non poteſt. Si quando prævaricaretur Accuſator, primùm in rejectione Judicum eos omnes retinebat, qui Reo faverent; deinde in Cauſę dictione graviſſima quęq; crimina diſſimulabat, cætera leviter, & negligentèr agebat; in teſtibus interrogandis, & quæ pro Reo falsò dicerentur, probabat, & verum teſtimonium ab idoneis, ac religioſis Viris dici in eundem non ſinebat; adeòque jurati Judices, & ſecundùm legum perſcripta ſententiam laturi, non poterant non abſolvere, quem non modò teſtes omnes ab utraque parte producti, verùm etiam ipſe Accuſator innocentem faterentur. Quamobrem, cum Cicero loco laudato, judicii, non accuſationis turpitudinem notet; manifeſtum eſt, Judices corruptos ſignificari, non accuſatorem; neque hunc reprehendi, quaſi in gratiam Rei fuerit prævaricatus; ſed illos, quòd, accepta pecunia, Acccuſatore fideliter cauſam agente, malè judicaverint. Epiſtola 3. lib. 3. ad Q. Fratrem, de judicio Gabinii: *Accuſatoribus frigidiſſimis utitur, Conſilium varium, Quæſitor gravis, & firmus Alſius*. Epiſtola, quæ ſtatim ſequitur: *Gabinius abſolutus eſt, omninò nibil accuſatore*

Bb *Len-*

Lentulo , & Subſcriptoribus ejus infantius . An & Lentulus prævaricator ? minimè , idem enim Cicero non tacuiſſet , cum ad Fratrem ſcriberet . egerat fideliter , & pro virili ; corrumpi tamen Judicium , & eripi ſibi Reum paſſus fuerat . Ex Divinatione in Verrem ſolutio quæſtionis habetur, ubi docet Orator , quàm multa eſſe oporteat in eo , qui alterum accuſet : *primùm integritatem , atque innocentiam ſingularem* ; paulo poſt : *deinde Accuſatorem firmum , verumque eſſe oportet* . fuerint hæc duo in Accuſatoribus Clodii , & Gabinii ; quid reliqua ? *aliqua facultas agendi , aliqua dicendi conſuetudo , aliqua in foro , judiciis , legibus , aut ratio , aut exercitatio* . utrique nimirùm hæc deerant, iiſque frigidiſſimè accuſantibus , Clodius de Inceſto , Gabinius de Majeſtate , data facultate corrumpendi Judicii , abſoluti ſunt. Quæ omnia cum ſumma eſſent in Milone, deſperabat jure Clodius , poſſe Judices corrumpi , eo accuſante. opera tamen Metelli Conſulis , Appii Prætoris , Serani Tribuni pl. connivente Senatu , factum eſt , ut Comitia haberentur ante Judicium , deſignatuſque Ædilis Curulis periculum illud declinaret ; cum deſignati Magiſtratus nulla alia lege accuſari poſſent , quàm de Ambitu ; at Clodius , ut initio dixi , reus erat lege Plautia de Vi .

Hæc ſatis ; ſed poſſumne , quæ tua ſententia ſit, intelligere? Vale. III. Id. Jan. A. S. 1697.

EPI-

EPISTOLA DUODECIMA.

AD AMICUM N. N.

De Conjuratione Catilinæ.

PErge Achillem tuum inſtituere, ut cœpiſti; & Adoleſcentem Juventutis celeritèr, mox & univerſę Italiæ, virtutum ſplendore, atque animi magnitudine, futurum Principem, iis imbue diſciplinis, quæ Virum deceant deſtinatum imperio. Sortitus es Provinciam præclaram omninò, & illuſtrem; qua nulla potior eſſet, ſi me privatę vitę, & otii hujuſce literarii tœderet. unum enim ſi ad humanitatem informes, de multis bene mereris, de iis videlicèt omnibus, qui ad illius aliquandò vivant arbitrium, neceſſe eſt. At quòd me hortaris quædam ad te ſcribere de Catilinaria Conjuratione ex M. Tullii Orationibus deprompta, idne Diſcipuli Principis rogatu poſtulas, an ſponte tua? ſive imperii jura ſpectem, ſive amicitiæ; utrique mihi gerendus mos eſt.

Primò in Piſoniana dicitur *Bis Catilina abſolutus*, idemque habetur Epiſt. II. lib. I. ad Atticum: *bis abſolutum eſſe Lentulum, bis Catilinam*; quibus verò judiciis fuerit abſolutus, incertum eſt. Semèl quidem poſtulantibus Afris, à P. Clodio accuſatus Repetundarum, fuerat abſolutus; an cauſam prætèrea de Inceſto dixit, quod cum Fabia Virgine Veſtali rem habuiſſe argueretur? Neque tamen hujuſce Judicii meminit Cicero in Oratione

 àdver-

adverſùs Competitores ; & Plutarchus in Catone Uticenſi ſcribit , Virginibus ipſis Veſtalibus , non Catilinæ dicendam fuiſſe cauſam de Inceſto : *Clodio*, inquit, *Tribuno pl. magna, & nova molienti, Sacerdoteſque & Virgines Veſtales ad Populum calumnianti, inter quas Fabia Terentia Ciceronis uxoris ſoror, in periculum fuit vocata, Cato cum reſtitiſſet, & cæt.* qui tamen alius quidam fuiſſe Clodius dicendus eſt, ut potuerit eſſe Tribunus pl. ante Ciceronem Conſulem; non ille Publius, de quo tam multa pluribus locis. An Judicium alterum ſignificatur, L. Æmilio Paulo Catilinam interrogante lege Plautia de Vi? Sed ex Salluſtio & Aſconio colligitur, illum de Vi accuſatum poſt alteram repulſam, & habita Conſularia Comitia, ex Urbe in Caſtra Malliana prius protectum fuiſſe, quàm cauſam diceret; qui ſi coram adeiſſe, & reſpondere criminibus voluiſſet, nullis ille Judicibus, jam penè Conjuratione patefacta, elabi poſſe videbatur. Oratio pro P. Sylla omnem dubitationem tollit, cujus hęc ſunt verba: *Quin etiam Parens tuus, Torquate, Conſul reo de pecuniis repetundis Catilinæ fuit advocatus*, & paulo poſt: *at idem non affuit alio in Judicio, cum adeſſent cæteri. ſi poſtea cognorat ipſe aliquid, quod in Conſulatu ignoraſſet, ignoſcendum eſt iis, qui poſtea nihil audierunt; ſin illa res prima valuit* (prima Conjuratio, quæ facta fuerat Torquato Conſule) *non inveterata, quàm recens, debuit eſſe gravior.* Hoc igitur alterum Judicium ſubiit Catilina poſt Conſulatum Torquati, & antequàm Cicerone Conſule, de ſecunda Conjuratione aliquid audire Viri boni potuerint; quale-

ſecumque tandem illud fuiſſe dicamus . Solvitur hinc & alia quædam ab Aſconio accuratè pertractata Quæſtio, an Cicero defenderit Catilinam repetundarum reum, necne, quod Feneſtella affirmat Ex Epiſtola 1. ad Atticum, ut opinor; Aſconius ipſe refellit ad laudatam Orationem contra Competitores. Nam quo anno cauſam Repetundarum Catilina dixit? ab V. C. 685. Cotta, & Torquato Coſſ. teſte Cicerone pro Sylla: *Conſul reo de pecuniis repetundis Catilinæ fuit advocatus*; loquitur de L. Torquato. at quando alterum Catilinæ judicium peractum eſt? initio anni ſequentis, qui Conſules habuit L. Cæſarem, & C. Figulum, ex eadem Oratione; quippe poſt Conſulatum Torquati, qui tùm cognoviſſe aliquid dicitur, quod in Conſulatu ignoraverat, & antequàm ille proficiſceretur in Macedoniam, quam ſortitus fuerat Provinciam, cum potuerit adeſſe Catilinæ Reo, & iterùm cauſam dicenti, ſicut & alii reipſa affuerant Conſulares. Quid ſcribit ad Atticum Cicero? *Hoc tempore Catilinam Competitorem noſtrum defendere cogitamus, Judices habemus, quos volumus*, & cæt. quodnam illud tempus eſt, cujus meminit? paulo ante: *L. Julio Cæſare, C. Marcio Figulo Coſſ. filiolo me auctum ſcito, ſalva Terentia*. audio; non in primo Repetundarum judicio, Torquato, & Cotta Coſſ. ſed in ſecundo, & anno ſequenti, ſe fuiſſe Catilinæ Patronum, Cicero dicit. Qua poſita diverſorum temporum diſtinctione, nihil jam eſt, quod cum Feneſtella diſputet Aſconius. defendit Cicero Catilinam reum, Repetundarum reum non defendit: nam *Bis Catilina abſolutus*.

Secundò, bis etiam in petitione Conſulatus repulſam tulit; primùm cum Ciceronem, & Antonium Competitores haberet; iterùm habente Cicerone Conſule Comitia. qua de re gloriatur 1. Catilinaria: *tantum profeci tum, cum te à Conſulatu repuli*. Miror autem eſſe quoſdam, qui dubitent, utrum dicat Cicero, ſe à Conſulatu repuliſſe Catilinam, cum, illo repulſo, ipſe Conſul deſignatus eſt, an cum effecit Conſul in habendis Comitiis ut Catilina repulſam ferret; ſcilicet, ad primam ne, an ad alteram potius repulſam allata verba referenda ſint. Conſulatur Oratio pro Murena; videbimus factum Sen. Conſultum de differendis Comitiis Conſularibus; relatum ad Patres de Vi, quam Catilina parabat; deſcendiſſe Conſulem in Campum cum lorica, & præſidio bonorum. his porrò artibus eum Cicero repulit à Conſulatu. Fac primam repulſam ſignificari; cur à Cicerone potius, quàm ab Antonio Collega dicatur Catilina repulſus? quin imo ab Antonio multo magis, à quo pauculis Centuriis ſuperatus eſt, ut refert Aſconius; cum Cicero aliquantò ante omnium conſenſu renunciatus fuiſſet. Hoc certè, loco laudato, ut ſibi glorioſum Orator amplificat; quòd Catilinæ repulſa totam Remp. ſervaverit. ſed an habebat aliquid gloriæ, quod non opera illius, ſed populi R. beneficio contigerat; quod non Reip. at ſua cauſa petebat; non ut à Patriæ cervicibus Catilinę gladios repelleret, ſed ut ipſe maximum honorem conſequeretur? Præterea, non repulſus eo modo à Cicerone Catilina diceretur, ſed depulſus; ſicut in ea pro Plancio: *ab eò, qui hos dimovit potius, quàm ab iis, qui in te ipſum incubuerunt, te depulſum putas*.

Ter-

Tertiò, cum jam Catilina deſperaſſet de Conſulatu obtinendo, multa minitari cœpit in Senatu palam, ſeq. improborum Ducem profiteri; quippe duo in Rep. eſſe corpora affirmabat, ut habet Cicero pro Murena: *Unum debile infirmo capite, alterum firmum ſine capite*. iiſdem pœnè verbis hoc ipſum narrat Plutarchus in Cicerone: *quid enim mali ago* (loquitur in Senatu Catilina) *ſi duorum corporum, quorum alterum ægrum eſt, ac debile, ſed habens caput; alterum ſine capite, ſed validum, atque præpotens, huic me ſuperimponam?* Manutius ad hunc locum emendandum accedit, legitque apud Ciceronem: *Unum debile firmo capite*; ait enim ſecum ſentire Plutarchum, debile autem corpus eſſe partes Optimatium, earumque Caput, Senatum, Conſules, Prætores, & reliquos Magiſtratus; ſicque unius corporis debilitatem cùm alterius firmitate, & ejuſdem firmum caput cum nullo capite optimè conferri. Plutarchus quidem, cujus abutitur auctoritate, ipſe per ſe, ſi legatur, reſpondet. nam comparat cum corpore, quid dicitur ſine capite, corpus alterum, hoc eſt habens caput; neque definit, fueritne illud Caput firmum, an infirmum. Deindè quàm magnum attribuit Optimatibus Capùt! Senatum, Conſules, Prætores, omnes Magiſtratus. videlicèt Corpus habens caput adeò varium, & multiplex, neceſſe eſt Monſtrum fuiſſe. At cur alteri etiam Corpori ſe unum Catilina caput ſuperimponit, non Lentulum, Autronium, Cethegum, & cęteros Conjuratos? audio; cum eorum plerīq; Senatores eſſent, utriuſque Corporis dici caput non poterant. Tertiò, eo certè conſilio id in Senatu dixerat Catilina, ut multos novarum rerum ſtu-

dioſos ad ſecum conjurandum pertraheret, ſicut innuit Plutarchus. facilène ad ſe alliceret, ſi firmum eſſet caput Optimatium, contra quos arma laturi erant; an ſi infirmum multo magis? non optimam Comparationem, & Contrapoſitis elegantem quærebat homo ille ſediciosus; at quam tempori, loco, & perſonis ad excitandam Confidentiam maximè convenientem putabat. Salluſtius Catilinam ſuos inflammantem inducit, ac talia de Principibus Optimatium loquentem: *Poſtquam Reſp. in paucorum potentium jus, atque ditionem conceſſit; ſemper illis Reges, Tetrarchæ vectigales eſſe; populi, nationes ſtipendia pendere; cæteri omnes ſtrenui, boni, nobiles, atque ignobiles vulgus fuimus*. paulo poſt: *victoria in manu nobis eſt, viget ætas animus valet; contra illis, annis, atque divitiis omnia conſenuerunt*. videturne apud illorum temporum Hiſtoricum, firmum Reip. Caput deſcribere Catilina, an infirmum? Quamobrem retinenda eſt vulgata lectio: *unum debile infirmo capite*, ut nomine Capitis Cicero Conſul intelligatur, quem ignobilem, inquilinum, timidum, ac minime ſtrenuum dicebant.

Quartò, ne quæ moliretur in Remp. perficere Catilina poſſet, multa in eum Patres decrevere; plura etiam, cum jam ille profugiſſet ex Urbe, in Socios Conjurationis: *Quatuor*, ait Commentator ad I. Catilinariam, *S. C. in Cauſa Conjurationis facta ſunt*; & illa enumerat, præter Quartum de Supplicio Conjuratorum, quod miror per negligentiam omiſſum. at, ſi rectè rationabimur, quinq; aut ſex facta fuiſſe Sen. Conſulta reperiemus. Primum, cum nefaria Catilinę conſilia magna ex parte paterent XII. Kal. Novemb. *Viderent, Conſules, ne quid Reſp.*

de-

detrimenti caperet. Secundum, cum idem Catilina, & Mallius hoſtes judicati ſunt; & utrumque refert Salluſtius de Bello Catilinario. Tertium, cum actę ſunt gratiæ Ciceroni, dati in cuſtodiam Conjurati, decreta Supplicatio IV. Non. Decemb. Quartum, cum data ſunt Allobrogibus, Titoque Vulturtio prę mia, Pridie Non. Dec. quę duo habentur Oratione 4. in Catilinam. Quintum, ut in carcere Lentulus, aliique ejusdem ſceleris ſocii ſtrangularentur; negare tamen non audeam, alia quoque nonnulla decreviſſe Senatum de illa Conjuratione. An enim, cum in Senatu Cicero dixit, Catilinam *cædem Optimatum contuliſſe in ante die V. Kal. Nov.* deinde cum *Præneſte Kalendis ipſis Nov. occupaturum nocturno impetu*, nullum his tantis de rebus factum fuiſſe S. C. exiſtimabimus? Oratione pro Murena: *tum igitur, his rebus auditis, meminiſtis fieri S. C. referente me, ne poſtero die Comitia haberentur*. en novum Sen. Conſultum de dilatione Comitiorum Conſularium propter metum Catilinæ. Refert deinde, quid poſtridie actum fuerit, quid Catilina reſponderit, additque: *Congemuit Senatus frequens, neque tamen ſatis ſeverè pro rei indignitate decrevit; nam partim ideò fortes in decernendo non erant, quia nihil timebant, partim, quia timebant*. tum igitur, etſi non ſeverè, tamen aliquid decreviſſe Patres, fatendum eſt. Quod attinet ad Primum, quo univerſa Reſp. Ciceroni Conſuli commiſsa fuerat, exprobrat Catilinę clementiam ſuam Oratione 1. quia nondùm eum interſici juſserat, cum id facere jure poſſet: *Viceſimum jam diem patimur hebeſcere aciem horum auctoritatis*. ſubiicit autem Manutius ex Aſconio: *Integrum numerum dicit Orator; dies enim tantùm erant*

aecem,

decem , & octo ; ut in Piſonem quadraginta annis interpoſitam Senatus auctoritatem dicit , cum eſsent triginta ſex . Uſurpari à Cicerone integrum numerum , ita certum eſt , ut negari non poſſit , cujus rei unum tantùm afferam argumentum . Philip. 2. *bis annis viginti* , ait , à ſuo Conſulatu ad M. Antonium Conſulem ; cum Philip. 12. ſimiliter habeat: *vigeſimus annus eſt , cum omnes ſcelerati me unum petunt* , Panſa , & Hirtio Coſſ. Si verò legitimum numerandi ordinem ſequi velimus ; notandum eſt , cum aliquid ante , vel poſt aliquot annos factum commemoramus , alterum ex terminis excludi , non utrumque; quod perpetuò ſervatur in Libro de Senectute , & alibi etiam plerumque. ſed cum ipſe dies , aut annus exprimitur, poteſt uterque terminus includi . Exemplo res erit manifeſta : fac me ab anno 20. usque ad 25. morbis afflictatum fuiſſe ; non rectè dixero , me ſex abhinc annis ægrotare cœpiſse , at quinque abhinc annis dicendum eſt . contra non erit reprehendendum , ſi profiteár , jam ſextum eſſe annum , quo malè valeo . Nunc venio ad Aſconium , qui ad Orationem in Piſonem : *poſſit aliquis credere* , inquit , *lapſum memoria Ciceronem , qui dicat quadraginta annis ante ſe Conſulem factum S. C. in Saturninum , cum triginta ſex anni à Mario , & Flacco Coſſ. numerentùr* ; nam juxta regulam ſuprà traditam , uno excluſo termino , non utroque , ſeptem , ac triginta anni ſunt . Sequitur idem Aſconius : *ſic in Catilinaria , cum octavus decimus dies eſset poſt factum S. C. dixit Vigeſimum jam diem* . hoc illud eſt , quod diligenter examinare conſtitui . Salluſtius narrat , tùm factum fuiſſe S. C. Ut darent operam Conſules , ne quid Reſp. detrimenti caperet , cum retulit

tulit Cicero ad Senatum de Mallii exercitu; conſtat autem ex 1. Catilinaria, XII. Kal. Novemb. dixiſse Ciceronem in Senatu, quamprimùm fore in armis Mallium; adeòque XII. Kal. Nov. illud S. C. factum eſt. Tu porrò, mi Manuti, qui VIII. Id. Novemb. primam contra Catilinam Orationem habitam putas in Argumento, utrumque ne terminum excludis, an neutrum, an ſolummodo alterum, cum à S. C. ad habitam Orationem, decem, & octo dies fuiſſe dicis? ſi utrumque, ſi benè numeres, non reperies, niſi quindecim; ſi vel neutrum, vel alterutrum, adhuc tamen tuum numerum non conficis. deinde, cur tu, qui in annis cauſæ Rabirianæ commemorandis utrumque terminum excludis, in explicanda Catilinaria admittis utrumque? Aſconius, qui optimè noverat, primùm in Catilinam dixiſse Ciceronem, non VIII. ſed VI. Id. Novemb decimum octavum diem dicit fuiſſe, non viceſimum, excluſo nimirùm altero termino, quemadmodum in Catone: *anno enim undevigeſimo poſt Ennii mortem hi Conſules, Flaminius, & Atilius facti ſunt, ille autem Cæpione, & Philippo iterùm Coſſ. mortuus eſt.* hic itaque ego aſſentior Aſconio, quem etiam ſequor in Commentariis.

Quintò, nox Coniurationis acerrima colligitur ex Argumento in Catilinarias, itidemque ex Oratione pro P. Sylla, ubi legimus: *nocte ea, quæ conſecuta eſt poſterum diem Nonarum Novemb.* qua Conjurati deliberaturi de ſumma rerum in domum Leccæ convenerant. Manutius ſic interpretatur: *nocte ea, quæ fuit inter Nonas, & VIII. Idus Novemb. nam Poſterum diem valet, Sequentem diem*; ego autem non ipſum diem nonarum, ſed alterum diem

poſt

poſt Nonas ſignificari, fusè, & plurimis argumentis oſtendo. Catilinaria I. *quid proxima, quid ſuperiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid conſilii ceperis, quem noſtrum ignorare arbitraris?* geminam diſtingui noctem, nemo non videt, alteram proximam, alteram ſuperiorem; & infra: *dico te priori nocte veniſſe inter Falcarios in M. Leccæ domum*; priorem vocat, hoc eſt ſuperiorem, nam proxima altera erat poſterior. Idem tradit Plutarchus in Cicerone: *ſed eo periculo majorem in modum excitatus* (quia duo ſpecie officii occidere Ciceronem tentaverant, idque Catilina mandaverat ea nocte, qua venit in M. Leccæ domum) *poſtridie in Ædem Jovis Statoris Senatum vocavit*; adeòque inter primam illam Noctem, de qua quærimus, & vocatum à Cicerone Senatum, alter dies, & altera nox intercesſit, quæ in Catilinaria Proxima dicitur, & Poſterior. Quamobrem Manutius, qui VIII. Id. Nov. vocatum fuiſſe Senatum putat à Cicerone, & primam in Catilinam Orationem habitam, fallitur manifeſtè, cum ait, Noctem illam, qua Conjurati in M. Leccæ domum venere, fuiſſe inter Nonas, & VIII. Id. Nov. Deinde, diebus atris aut nunquàm, aut perquàm raro Senatus haberi ſolebat; Macrobius autem lib. I. Saturn. cap. 16. hæc ſcribit: *Pontifices ſtatuerunt, poſtridie omnes Calendas, Nonas, Idus, atros dies habendos*; idemque docent Livius lib. 6. & Ovidius in Faſtis. hinc non videtur veriſimile, poſt illam eandem Noctem, poſtridie Nonas, vocato Senatu, Ciceronem in Catilinam peroraſſe. Sed, ut propiùs accedam, nomen *Poſterus* adjectivum habet ſemper relationem ad aliquid aliud, quod antecedit, nam Manutius etiam

tiam fatetur, *Poſterum diem valere Sequentem diem*, & ſequens dies neceſſariò præſupponit diem antecedentem, aut quippiam hujusmodi. Peto, quidnam ſit illud, quod antecedit. an Nox ipſa, cujus fit mentio? at ea quidem conſecuta eſt poſterum diem Nonarum. quanto meliùs dixiſſet Cicero: *Nocte ea, quę conſecuta eſt diem Nonarum Nov.* ſi Nonas ſignificare voluiſſet? ſcilicèt addidit vocem *Poſterum* nihil pœnitùs ſignificantem, quo ſententia fieret obſcurior. Refertur, inquiunt, ad Diem Comitiorum. ubinam illius diei meminit Orator? Cum jam ad aliud argumentum tranſitum fecerit, quæ ad ſuperiora, multis interpoſitis, referatur, vocem tamen pręposterè uſurpat? cur poſterus dies Nonarum potius, quàm poſterus dies Calendarum, ad Comitia refertur, quæ multis ante diebus habita fuerant? Huic ſimilis reperitur locus apud Tacitum Annalium lib. 17. de Othoniana in Galbam conjuratione: *adeòque parata apud malos ſeditio, etiam apud integros diſſimulatio fuit, ut poſtero Iduum die redeuntem a cœna Othonem rapturi fuerint, niſi*, & cæt. ipſene dies Iduum, an qui conſecutus eſt Idus, deſignatur? nulla certè vel Menſis, vel Diei, vel rei cujuſpiam geſtæ commemoratio antea fit, ut vox relationis *Poſtero* adhibenda eſſet Hiſtorico. Inſuper, conſilia de interficiendo Galba, deque transferendo imperio, intra quatriduum cœpta, abſolutaque ſunt, teſte Plutarcho; quòd ſi Idibus Januar. adeò in promptu erant omnia, cur non ſequenti die poſt Idus, interemptus eſt Galba., ſed biduò poſt, XVIII. Kal. Febr. ſicut omnes conſentiunt? Poſterus igitur dies Nonarum, vel Iduum æquè valet, ac poſtridie Nonarum, poſtridie

Iduum,

Iduum, ex Grammaticorum ſententia: *Poſtridie idem, quod Poſtero die ſignificat*. ſatis multa de re leviſſima.

Ultimò, cum poſt Catilinæ fugam, reliqui Conjurati, qui in Urbe remanſerant, morte, aut exilio multati pœnas dederint; duo veniunt in controverſiam. Primum, quot fuerint ii Coniurati, de quibus in carcere ſupplicium ſumptum eſt, Alterum, qua lege damnati fuerint ii, qui apud Judices cauſam dixerunt. Illud perſpicuè habetur in Oratione pro Sylla: *Quinque hominibus comprehenſis, atque confeſſis*; & nominatim referuntur à Salluſtio, Lentulus Prætor, Cethegus, Statilius, Gabinius, Ceparius Terracinenſis. An exigua illa Ciceronis laus erat, cum plurimi eſſent improbi homines, qui in Remp. conſpiraverant, paucorum ſanguine, exitialem omnibus flammam extinguere? Commentator tamen ſubiungit: *ipſe Cicero Catil. 3. à ſe diſsentiens ait; novem homines, non quinque pœna affectos, addens L. Caſſium, P. Furium, Q. Magium, P. Umbrenum*. Itane Oratorem diligentem, atque accuratum, aut rem graviſſimam, paucis ante Menſibus à ſe geſtam, oblitum fuiſſe putabimus, aut dedita opera coram Judicibus, aliiſque compluribus, qui Judicio Syllæ aderant, remque illam univerſam optimè tenebant, nulla cogente neceſſitate, mentiri voluiſse? Quæſo, videamus ex 3. in Catilinam Oratione, quid eo die in Senatu decretum fuerit: *ut P. Lentulus, cum ſe Prætura abdicaſset, tùm in cuſtodiam traderetur, itemque ut C. Cethegus, L. Statilius, P. Gabinius; atque idem hoc decretum eſt in L. Caſſium, in M. Ceparium, in P. Furium, in Q. Magium, in P. Umbrenum*. nullum hactenùs verbum de

pœ-

pœna Coniuratorum, ſed de cuſtodia tantum. Cur autem poſt illos quatuor in cuſtodiam tradendos, ſubiicitur: *atque idem hoc decretum eſt*, quaſi ſeparatim de quinque reliquis Senatus decreverit? quia tantùm illi quatuor comprehenſi fuerant, cæteri aberant; & ipſe Ceparius aberat, cum S. C. factum eſt, qui deinde pœnas dedit, teſte Salluſtio: *nam is paulo ante ex fuga retractus erat*. Itaque manifeſtum eſt, Ciceronem à ſe non diſſentire, cum nullibi dicat, novem à ſe homines pœna affectos fuiſse. at idem ſupra laudatus Hiſtoricus quæſtioni ſatisfacit: *Tum D. Junius Silanus, primus ſententiam rogatus, de iis, qui in cuſtodia tenebantur* (erant autem quinque, retracto ex fuga Cepario) *& præterea de L. Caſſio, P. Furio, P. Umbreno, Q. Magio*. quid poſtea? quid ſequitur? *ſi deprehenſi forent, ſupplicium ſumendum decreverat*. Ita quinque, cum eſſent in cuſtodia, Nonis Dec. interempti ſunt, non pariter quatuor reliqui, quòd nunquàm deprehendi potuerunt. Anno ſequenti, Silano & Murena Coſſ. quidam præterea accuſati, damnatique ſunt, ut ejusdem Conjurationis participes, inter quos P. etiam Sylla, quem Cicero defendit. qua verò lege eos cauſam dixiſse putemus? an cum Manùtio *de Majeſtate, cujus læſæ Cicero ultor fuerit*? nullo modo. ii enim Majeſtatis lege tenebantur, qui hoſtium Duces, accepta pecunia, liberaverant, ut C. Verres Verr. 3. qui legiones ſolicitaverant, ut C. Stalenus in Cluentiana; qui exercitum hoſtibus prodiderant, ut C. Antonius apud Dionem; qui in alienam Provinciam contra S. C. & legem Populi legiones duxerant, ut A Gabinius ex Epiſtolis ad Q. Fratrem; qui Tribuno pl. intercedenti non ob-

obtemperaverant, ut C. Cornelius apud Aſconium. Quid horum admiſerant ii, qui coniuraſſe cum Catilina dicebantur? ut proinde accuſari poſſent lege Cornelia de Majeſtate, quæ à Cicerone commemoratur in Piſonem. Pro M. Cęlio, lex Lutatia de Vi ita deſcribitur: *quæ de ſeditioſis, conſceleratiſque Civibus, qui armati Senatum obſederint, Magiſtratibus vim attulerint, Remp. oppugnarint, quotidie quæri jubeat*. hæc omnia aut feciſſe Coniuratos, aut facere voluiſſe nemo negaverit. Cur verò quaſi in re dubia adhuc hæremus? eadem Oratio paulo ante Perorationem hæc habet: *De Vi quæritis; quæ lex ad imperium, ad majeſtatem, ad ſtatum Patriæ, ad ſalutem omnium pertinet, quam legem Q. Catulus, armata diſſenſione civium, Reip. penè extremis temporibus tulit; quæque lex, ſedata illa flamma Conſulatus mei, fumantis reliquias Coniurationis extinxit*. poſt ſumptum de quinque Conjuratis, me Conſule, ſupplicium, reliqui anno ſequenti lege Lutatia de Vi damnati, in exilium miſſi ſunt.

Hic fuit Conjuratorum exitus, Catilina ut perierit, habes apud Salluſtium; tu me ama, & Vale. Kal. Nov. A. S. 1697.

EPISTOLA DECIMATERTIA.

AD AMICUM N. N.

De Ciceronis exilio.

FAc, amabo, tibi veniat in mentem cœnæ illius, atque noctis, cum Lælium noſtrum pro-

ſe-

fectũrum in Provinciam dimiſimus. quid jucundius, quidve elegantius reperiri, aut excogitari potuit, cujus deinde recordatio, & identidem ſumma cum voluptate repetita commemoratio amiciſſimi hominis deſiderium leniret? alium quendam ex Familiaribus non ita multo poſt hoſpicio accepimus, priusquàm iret in voluntarium exilium; at non eodem apparatu. quid mirum? eadem utrique profectionis cauſa non erat. Expulſum ne ab inimicis Romæ, an in Græcia reſtitutum priſtinæ dignitati Ciceronem nox illa, & cœna decebat? Te videlicèt dolentem officium amico non, ut oportebat, præſtitum ſolabar exemplo; cujus quanta vis eſſe debeat tum demùm intelliges, cum in utramque partem rem explanavero; leviter tamen pro meo inſtituto.

P. Clodius Tribunus pl. multam irrogaturus Ciceroni eo nomine, quia Conjuratos indemnatos, hoc eſt minimè indicta cauſa, occidendos curaverat; ne ſibi à Magiſtratibus obnunciaretur, vel prohiberetur Collegarum interceſſione, lege lata perfecerat, ut alibi ſæpe dictum eſt; Conſules, ut Conſularem virum deſertum, proditumque abiicerent, datis Provinciis, corruperat. Hoc alterum Orator, cum diceret pro Domo ſua, Clodio exprobravit, qui nihil cuiquam extra ordinem dari oportere contenderet, cùm ipſe Tribunus pl. anno ſuperiore tam multa tuliſſet extra ordinem; & poſt alia quædam, uni Gabinio oſtendit Ciliciam primùm, mox, pretio amplificato, Syriam datam fuiſſe nominatim: *Gabinio, pretio amplificato, Syriam nominatim dediſti*. Dubium oritur, amplificatio pretii referatur ne ad Gabinium, an ad Clodium; Commentator enim vult, majus datum pretium à Gabinio pro Syria, quàm pro Cilicia

antea dederat, ſignificari. Quod ſi tùm Hiſtoriæ, tùm etiam Latini ſermonis ratio habeatur, ſine controverſia opinatur non rectè. Conſtat ex pluribus locis, Provincias Conſulibus lege Clodii aſſignatas, proditi Ciceronis pretium fuiſse. ſic paulo poſt de L. Piſone Gabinii Collega: *nonne, cum ab eo merces tui beneficii, pretiumque Provinciæ meo ſanguine tibi eſſet perſolutum, tamen ærarium cum eo partitus es?* idem porrò de Gabinio ſentiendum, & utrique pretium amplificatum eſt; Gabinio quidem commutata Provincia, Piſoni verò addita ex Ærario pecunia; cum antea deſerti Ciceronis mercedem pactus eſſet Ciliciam, & Macedoniam tantummodo. Hinc Oratione de Provinciis: *Syria, & Macedonia, quas, vobis invitis, & oppreſſis, peſtiferi illi Conſules, pro everſa Reip. præmiis, occupaverunt*. nam Gabinius poſt ejectum Ciceronem, nihil pro Clodio feciſſe videtur, pro amplificando Provinciæ pretio; quin etiam poſtremò in gratiam Pompeii, adversùs illum verè, vehementerque pugnavit. Si verò attendatur Latini ſermonis proprietas, quælibet alia interpretatio reiicienda eſt. ſi dicimus: Cicero, addito verborum honore, hoſpitem dimiſit; is profectò addidit, qui dimiſit. eodem modo: *Gabinio, pretio amplificato, Syriam nominatim dediſti*; idem amplificavit Pretium, qui Provinciam dedit.

Ad exilium, quo multatus eſt, acceſſit Villarum direptio, & nobiliſſimæ Domus, quam in Palatio habebat, everſio, ac dedicatio. Reſtituto in Patriam cætera omnia ſtatim reddita ſunt, pro recuperanda etiam Domo dixit apud Pontifices; pluribusque uſus argumentis, ut demonſtraret Clodii

dii dedicationem nullam fuiſſe, tandem ſic arguit paulò ante Perorationem: *Domus mea illa prope tota vacua eſt*. At cur vacua dicitur Ciceronis domus? an quòd eam Clodius poſſidere auſus non fuerit, ut Commentator exiſtimat? Verùm neque ad argumentum, quod pertractat, hoc pertinere ullo modo poteſt, neque cum iis, quæ ſequuntur, rectè congruere; ſi tota res accuratius perpendatur. Contendit Orator, dedicationem illam à Clodio excogitatam fuiſſe, non Religionis cauſa, ſed quia *habitare laxè, & magnificè voluit, duaſque & magnas, & nobiles domos conjungere*; explicat autem ſigillatim, quo pacto id factum ſit. Clodianis ædibus proxima erat domus Q. Seii empta à P. Clodio, ut patet ex iis verbis: *primò ſe luminibus ejus eſſe obſtructurum minabatur*; non enim ille potuiſſet Seii feneſtras ædificando obſtruere, niſi proximè habitaſſet. Poſt Q. Seii domum Porticus erat Catuli, eandemque Porticum ab altera parte attingebat Ciceronis domus. Itaque Clodius diſiecit monumentum Catuli, quandam etiam illarum ædium partem evertit, quæ Ciceronis fuerant, & aream præclaram cum haberet, novam ipſe Porticum extruxit, dedicavitque Libertati: *in Palatio, pulcherrimo proſpectu, porticum cum conclavibus, pavimentatam trecentum pedum concupierat, ampliſſimum periſtyllum, cætera ejuſmodi, facilè ut omnium domos & laxitate, & dignitate ſuperaret*; laxè nimirum, & magnificè habitare voluit, ut dictum eſt. Hinc porrò nemo ignorat, qua ratione Sejanam, ac Tullianam, magnas, & nobiles Domos conjunxerit; cum media inter utramque Porticus eſſet extructa à P. Clodio. Sed jam

& ad alterum locum aggredior : *domus mea illa prope tota vacua eſt* , non impedita Religione , neque per Pontificem dedicata . rationem quoque ſtatim affert : *vix pars ædium mearum decima ad Catuli porticum acceſſit* . Hæc pars tantummodò & Religioni poterat eſſe obnoxia , & an poſſet reſtitui , necne , cognoſcere Pontifices debebant ; reliqua enim domus , quam alieno nomine ab haſta emptam Clodius poſſidebat , & cujùs inferiorem partem genti ſuæ Clodiæ aſſignaverat , ab omni Religione vacua erat , & ſine controverſia reſtituenda : adeòque ſic proſequitur Cicero : *cauſa fuit ambulatio , & monumentum , & iſta Tanagræa , oppreſſa libertate , Libertas* . Nullam , inquit , P. Clodius religionem excogitavit ; meas ille Ædes occupare voluit , easque cum Sejana domo conjungere ; aliquam tamen partem addidit ad porticum Catuli duas ob cauſas ; tùm ut mea etiam Domus videretur Libertati dedicata , ne quando per Senatum reſtitui poſſet ; tùm ut Porticum ipſe haberet magis amplam , & ſplendidam , ad deambulandum . Epiſtola 2. lib. 4. ad Atticum , ſic decreviſſe Pontifices dicuntur de Ciceronis domo : *videri poſſe ſine Religione jam partem areæ mihi reſtitui* . cur partem areæ , non totam aream ? quia decima tantùm Ædium pars dedicata fuerat ; & domus propè tota à Religione jam vacua erat . quid enim de eo decernerent , quod non venerat in controverſiam? quod reſtitutum jam fuerat à Senatu?

Sexdecim Menſium exilium Ciceronis fuiſse , teſtatur Appianus ; quàm verò nullo innixus fundamento , contra ſenſerit Vincentius Gallus , qui ex allato numero ſex detrahit Menſes , &

decem

decem facit ; colligitur ex Epiſtolis ad Atticum . Secunda lib. 3. data eſt Naryci Locridis, VI. Idus April. Gabinio , & Piſone Coſs. cum paulo ante profugiſſet ab Urbe. ex Prima lib. 4. habes utrumque , & quo die lata Lex fuerit de illius reditu : *Pridie Nonas Sextiles Dyrrachio ſum profectus , ipſo illo die , quo lex eſt lata de nobis* , Lentulo , & Metello Coſſ. & quo die Urbem intraverit : *Poſtridie in Senatu , qui fuit dies Non . Septemb. Senatui gratias egimus* ; hoc eſt poſtridie ſui ingreſſus. Quòd ſi abſentiæ Menſes numerentur , ſeptemdecim ; ſi verò exilii ſecundùm Appianum , ſexdecim omninò eſſe nemo non videt . Ut quam primùm reſtitueretur , Senatus , cujus ille partes ſemper ſequutus fuerat , maximè perfecit ; & jure quidem gloriatur in Sextiana : *Quid ego illa de me divina S. C. commemorem ?* ſed cum alii aliter ſentiant , ego certè tria omninò video facta Sen. Conſulta de Cicerone . quorum Primum , cujus aliquantò antè meminit : *cum in Templo Virtutis honos habitus eſſet Virtuti , Caiique Marii conſervatoris hujus Imperii monumentum , Municipi ejus , & Reip. defenſori ſedem ad ſalutem præbuiſſet* ; tria complectebatur , 1. ut iis gratiæ agerentur , qui Ciceronem Patria eiectum exceperant ; 2. ut Magiſtratibus provinciarum , & nationibus exteris ſalus ejusdem Conſularibus literis commendaretur ; 3. ut cuncta ex Italia omnes , qui Remp. ſalvam vellent , convocarentur . Alterum , *quod in Templo Jovis Optimi Maximi factum eſt* , ut Conſules legem comitiis Centuriatis ferrent , de Cicerone ab exilio revocando: cum facta fuiſſet diſceſſio in Cn. Pompeii ſententiam , uno diſſentiente P. Clodio . cujus proinde auctor dicitur idem Pompejus . Tertium , *quod eſt poſtridie*

decretum in Curia, *Populi ipſius R. & eorum*, *qui ex Municipiis convenerant*, *admonitu*; ne quis ad impediendam legem de cœlo ſervaret, & ut agerentur iis gratiæ, qui ex Italia convenerant, iidemque rogarentur, ut redirent, quo die Lex de Cicerone ferenda erat. Putat Manutius, hæc duo per ſe diverſa neque eodem die, neque eodem Sen. Conſulto decreta fuiſſe; cui tamen non aſſentior. An non enim ex Italia, & Municipiis omnes convenerant, cum factum eſt S. C. in Curia, ne quis de cœlo ſervaret? eorum ſcilicet admonitu factum dicitur. quid igitur erat, cur alio die, & novo Sen. Conſulto gratiæ iis agerentur, qui ſtatim dimitti poterant, quibusque diutiùs in Urbe retineri maximo fuiſſet incommodo? Hinc Cicero, qui quæ diverſa erant S. C optimè diſtinguit; *vel quod in templo Jovis Optimi Maximi factum eſt*; *vel quod eſt poſtridie decretum in Curia*; hujus ipſius veluti partem aliquam ſubiicit: *decrevit eodem tempore Senatus* (hoc eſt eodem die, eodemque Sen. Conſulto) *ut iis, qui ex tota Italia ſalutis meæ cauſa convenerant*, *agerentur gratiæ*. Idem etiam Manutius quintum profert S. C. factum in Templo Virtutis, C. Marii monumento, quod omitti in ea poſt Reditum, miratur, neque advertit in eo Templo tria illa Senatum ſimul decreviſſe, quæ ſupra retuli; & cum ubique res, de quibus S. C. factum fuerat, commemorentur, locum ipſum alicubi reiiceri. Ter itaque Senatus de Cicerone decrevit; ter etiam omnis Italia, ſicut habetur Oratione poſt Reditum ad Quirites: *at me in Patriam ter ſuis decretis Italia cuncta revocavit*. Non du-

dubito, quin omnia Municipia de Ciceronis ſalute decreverint, quo tempore, primo illo S. C. omnes, qui Remp. ſalvam vellent, Romam convocati ſunt; iterùm, cum ad legem ferendam convenerunt; quando tertia vice decreverint, eſt incertum. Si verò verba Ciceronis attendantur in Sextiana, intelligemus, Italos omnes primò conveniſſe Romam Calendis Januar. etſi nihil agi potuerit propter interceſſionem Tribuni pl. *Veniunt Calendæ Januar. vos hæc melius ſcire poteſtis; equidem audita dico; quæ tùm frequentia Senatus, quæ expectatio populi, qui concurſus Legatorum ex Italia cuncta?* an enim ſine ſuarum Civitatum decretis venerant Legati? Singularem Frigii ſtupiditatem ad hunc locum non poſſum tacitus præterire, à quo tamen omnia oſcitanter dicta ſi vellem enumerare, centeſima pagina non ſufficeret. ſic enim ter ab Italia cuncta decretis revocatum Ciceronem opinatur. *Anno*, inquit, *V. C.* 695. (Piſone & Gabinio Coſſ. juxta Sigonii Chronologiam, quam ſequitur) *Cal. Jun. decrevit Senatus frequens de Ciceronis reditu. Deinde* IV. *Cal. Novemb. octo Tribuni pl. de Ciceronis reditu legem promulgaverunt. Denique Cal. Januar. anno ſequenti Lentulo Conſule referente, S. C. factum eſt de Cicerone ab exilio revocando.* Nihil eſt, quod probem, cum omnia penitùs ſint improbanda. an quòd Senatus de Cicerone quippiam decreverit, ſtatim conſequitur, Italiam ipſam decreviſſe? quid autem decernere potuit Senatus Cal. Juniis? ſiquidem, ut ait Cicero pro Sextio: *interceſſit Ligus iſte neſcio qui, additamentum inimicorum meorum.* Quid, ſi deinde octo Tribuni pl. legem promulgaverunt? non enim

cum promulgaretur, ſed cum ferretur Lex, convenire Itali ſolebant. An poſtea Cal. Januariis aliquod S. C. fieri potuit? Cicero quidem negat: *ſurrexit, ut ſcitis, Aulius hic Gavianus, nec auſus eſt, cum eſſet emptus, intercedere, noctem ſibi ad deliberandum poſtulavit;* & infra: *cum omni mora, ludificatione, calumnia, Senatus auctoritas impediretur.* Sed quamvis eo die actum nihil fuerit, tum primùm Legati ex Italia Romam venerant, ac deinceps iterùm, ac tertiò, quemadmodum dictum eſt.

Nunc ipſe tecum reputa, quid familiares M. Tullii, quid nos etiam facere debuerimus, Vale. XIV. Kal. Febr. A. S. 1699.

EPISTOLA DECIMAQUARTA.

AD AMICUM N. N.

De Legibus Cæſaris, & Antonii.

CUm Philippicas legerem, extremum M. Tullii, adeòque abſolutiſſimum opus, multas animadverti Cæſaris, atque Antonii leges commemorari; iis, qui tulerunt, perquàm utiles; Reip. verò ut plurimùm pernicioſas. Urbis dominæ quondam Gentium vices dolui, Civilibus, hoc eſt ſuis armis oppreſſæ, quam aliena fruſtrà oppugnaverant; hoc tamen fuit commodi, quòd inde floſculos quoſdam carpere potui, ac delibare, quod tibi deferrem munuſculum. Cui enim deferam potiùs? mitto eſſe neminem, qui varia eruditione ſimiliter delectetur, quique ex

omni

omni ſcientiarum, literarumq; humaniorum genere plura ſibi decerpat ad laudem. ſed meminiſtine, quàm pulchrum tribus abhinc Menſibus, quàm variè diſtinctum, quàm ingenioſum, amicis, & Reip. gratiſſimum munus obtuleris? iſtud alterum tibi jure, ac libens repono, plura etiam daturus alio loco.

Philippica I. optima omnium legum Cæſaris habetur: *Ne Prætoriæ provinciæ plus, quàm annum, neve plus, quàm biennium, Conſulares obtinerentur*; eaque utinam multo ante perlata fuiſſet, ac non Cęſari reſervata, poſtquàm Remp. armis jam occupa erat. Qui lege Sempronia cautum fuiſſe putant, ut annua tantùm eſſet Provinciarum omnium adminiſtratio; iidem tradunt, Dictatorem Cæſarem hac altera Lege eſſeciſſe, ut, nulla de Prætoriis mutatione facta, Conſulares certè obtineri jure poſſent biennium. ego contra ſic diſputo. Leges omnes vel aliquid fieri prohibent, vel, ut aliquid fieri liceat, permittunt. ſi quid vetent, talis eſt formula; ne mulieres inſtituantur hæredes, Voconia; ne Tribunis pl. agere cum Populo liceat, Cornelia; ne ſe pro Cive gerat, qui non ſit Civis, Mucia Licinia; aliæque ſexcentæ per particulam *Ne* indicant, quippiam nefas eſſe fieri, quod antea licebat, & nulla lege cavebatur. Si quid autem indulgeant, hoc modo: ut tabella Populus ſuffragium daret, Gabinia; ut priſtinum jus Tribunis pl. reſtitueretur, Pompeja; ut eſſent Cives R. quos Pompejus de Conſilii ſententia civitate donaſſet, Gellia Cornelia; aliæque præſcribentes per particulam *Ut* quippiam fieri licere, quod antea non licebat. Fecerit lex Julia biennalem

pro-

provinciarum Conſularium adminiſtrationem, quæ prius annua erat lege Sempronia; indulſit igitur Proconſulibus aliquid, utque illis fas eſſet, quod uſque ad illud tempus non fuerat, manere biennium in Provincia, permiſit. Cur quaſi caveret, iis verbis ſcripta eſt, quæ prohibendi vim habent? *ne plus, quàm biennium Conſulares provinciæ obtinerentur*. Deinde, cum Cæſar Proconſulibus annum accedere voluerit ad annuam adminiſtrationem lege Sempronia conſtitutam, ut Adverſarii affirmant, & nihil addiderit Proprætoribus; cur, quaſi utriſque ſimul quippiam concederet, *ne Prætoriæ plus, quam annum; Conſulares plus, quàm biennium obtinerentur*, tulit? Poſtremò non video, quam vim, aut ſententiam legis Juliæ eſſe velint. an enim revocabatur Proconſul poſt biennium, niſi Sen. Conſulto, & rogatione Populi prorogatum illi erat imperium? an verò prorogari imperium vetabat Proconſuli ultra biennium? Hoc quidem ridiculum fuiſſet; nam prorogatio ſemper erat extra ordinem, & contra leges; ſolvebatur legibus, cui prorogabatur imperium. nullus Legislator poterat adimere Populo, vel Senatui, ſi jus illud Senatus erat, facultatem ſolvendi legibus quemcumque vellet, cum facultatem adimere non poſſet cujuslibet legis abrogandæ. Ex Oratione pro Cæcina colligitur, in omnibus legibus adſcriptum fuiſſe: *ſi quid jus non eſset rogari, ejus in ea lege nihilum rogatum*; adeòque fuiſse aliquid, quod Populus jubere, aut vetare non poſset. Cujuſmodi tamen illud tandem erat? Cicero ipſe docet eodem loco: *ſed quæro abs te, puteſne, ſi Populus juſserit, me tuum, aut item te meum ſervum eſse, id juſsum ratum,*

tum, atque firmum futurum? negat ſcilicèt libertatem, & Civitatem poſſe à Populo eripi Civibus R. ulla lege; at qui abrogare leges omnes poterat, eidem fas erat quemlibet ſolvere legibus; hoc eſt Proconſulibus ultra biennium contra legem Juliam imperium prorogare. Itaque dicendum eſt, cum lege Cornelia Proconſules, ac Proprætores tamdiù remanerent in Provinciis, donec Succeſſor mitteretur, neque neceſſaria eſſet imperii prorogatio, ſicut alibi oſtendi, tempus utriſque Cęſarem definiviſſe; ita verò, ut Senatus, Populuſque in poſterum etiam prorogare poſſent, quibus videretur, imperium; *Quæ lex melior, utilior, optima etiam Rep. ſæpius flagitata, quam ne Prætoriæ provinciæ plus, quam annum, neve plus, quàm biennium Conſulares obtinerentur?* videbatur enim eſſe è Rep. poſt annum, vel ad ſummum, biennium, revocari Prætores provinciarum, ne quis aliquandò reperiretur, qui negaret deponere, quod diu tenuiſſet. Hanc eandem legem, in gratiam M. Antonii Conſulis, Tribuni pl. abrogarunt non multò poſt; Philip. 5. *Tribuni pl. tulerunt de provinciis contra acta Cæſaris; ille biennium, hic ſexennium.*

Eadem Philip. 1. redarguitur Antonius, quòd legem tulerat, ut damnati de Vi, & de Majeſtate provocare ad Populum poſſent, & appellare Tribunos pl. nihil enim turpius ait eſſe Orator, quàm judicio damnatum *Ad eam ipſam vim reverti, propter quam ſit jure damnatus.* Quomodo autem revertitur ad Vim? revertitur potius ad Majeſtatem Populi R. appellando Tribunos; nam & læſæ Majeſtatis damnatus dicitur. an *Vim* abundare dicendum eſt, ut illa verba *Ad eam ipſam* re-

te-

ferantur ad Majeſtatem ? ſic ratiocinatur Manutius, cui hæc pro contraria parte repono. In explicando loco Cælianæ, docebam alibi, duas omninò diverſas Quæſtiones fuiſſe, de Majeſtate, & de Vi, duabus legibus conſtitutas, Cornelia, & Plautia, quas duo diverſi Prætores exercerent. ex hac prima Philippica idem magis perſpicuum fit: *duæ maximè ſalutares leges quæſtioneſque tolluntur*; & paulo poſt: *quam ad Reip. peſtem impelli non poterit furor Tribunitius, his duabus Quæſtionibus de Vi, & de Majeſtate ſublatis?* Sed tamen ita erant affines, deque iiſdem ferè criminibus conſtitutæ, ut una, atque eadem Queſtio videri poſſent. hinc pro Cælio: *De Vi quæritis, quæ lex ad Imperium, ad Majeſtatem, ad ſtatum Patriæ, ad ſalutem omnium pertinet*; neque enim inferri Vis Reip. poterat, quin lædetur Majeſtas, & ex læſa Majeſtate Vis aliqua ſemper arguebatur. Quapropter Cicero contra M. Antonium: *Quid enim turpius, quàm qui Majeſtatem Populi R. minuerit per Vim* (minuebatur autem, tùm Vi Reip. illatâ contra legem Plautiam, tùm Imperii Majeſtate læſa contra legem Corneliam) *eum damnatum judicio, ad eam ipſam Vim reverti, propter quam ſit jure damnatus?* Nam ſive de Vi, ſive de Majeſtate damnatus eſſet, ſemper fecerat Vim. at quomodo is ad eandem Vim reverteretur, nunc explicandum eſt. Si quis abſens iniquo judicio, & contra leges opprimeretur, poterat more Majorum appellare Tribunos, qui auxilio erant contra injuriam. pro Quinctio, & in judicio privato: *videturne interceſſiſſe, appellatio Tribunorum non more, ſed auxilii cauſa?* ſi quis verò legibus interrogatus Tribunos

bunos appellaſſet, vel ne Reus cauſam diceret; vel ne Damnatus pœnas daret; ille contra leges, & morem Majorum feciſſe videbatur. in Vatinium: *feceriſne, quod in hac Rep. non modò factum ante nunquam eſt, ſed in omni memoria ſit inauditum? appellariſne Tribunos pl. ne cauſam diceres?* & infra de Clodio Tribuno pl. appellato: *qui tamen cum jure, cum more, cum poteſtate judicium impedire non poſſet, redit ad illam Vim*, & cæt. Vatinius igitur, cum jure non poſſet, per vim obtinuit, ne cauſam diceret, Tribuno Clodio appellato. Conſul Antonius damnatis de Vi, & de Majeſtate conceſſit, ut provocarent ad Populum, hoc eſt, quia provocatio ad Populum, & appellatio Tribunorum, ſine aliqua Vi fieri non poterat; ut reverterentur ad eam ipſam Vim, & ea ipſa Vi uterentur, propter quam fuerant damnati.

Ibidem Cicero, cum duas leges à M. Antonio latas nominatim reprehendat, de tertia Decuria Judicum, deque Provocatione ad Populum; alias quaſdam innuit jam latas eſſe ante, quàm ſcriptas, nulla promulgatione: *Illæ enim nulla promulgatione latæ ſunt ante, quàm ſcriptæ*. An revera tulerat has leges Antonius, neq; per trinundinum ex præſcripto legis Juniæ Liciniæ promulgaverat? nequaquàm, ſed ne quamprimùm promulgarentur, id tantùm metuebat: *Ac de iis tamen legibus, quę promulgatæ ſunt, ſaltem queri poſſumus*; de illarum enim iniquitate diſputare poſſum, cum quilibet eas legerit, & quid præſcribant, optimè noverit: *de iis, quæ jam latæ dicuntur, ne illud quidem licuit*; quis autem de aliis queri poſſit, quaſcumque ferre quamprimùm meditatur Antonius, quas nondùm

pro-

ferantur ad Majeſtatem ? ſic ratiocinatur Manutius, cui hæc pro contraria parte repono . In explicando loco Cælianæ , docebam alibi , duas omninò diverſas Quæſtiones fuiſſe , de Majeſtate , & de Vi , duabus legibus conſtitutas, Cornelia , & Plautia , quas duo diverſi Prætores exercerent . ex hac prima Philippica idem magis perſpicuum fit : *duæ maximè ſalutares leges quæſtioneſque tolluntur* ; & paulo poſt : *quam ad Reip. peſtem impelli non poterit furor Tribunitius , his duabus Quæſtionibus de Vi , & de Majeſtate ſublatis* ? Sed tamen ita erant affines , deque iiſdem ferè criminibus conſtitutæ , ut una , atque eadem Quęſtio videri poſſent . hinc pro Cælio : *De Vi quæritis , quæ lex ad Imperium , ad Majeſtatem, ad ſtatum Patriæ , ad ſalutem omnium pertinet* ; neque enim inferri Vis Reip. poterat , quin læderetur Majeſtas , & ex læſa Majeſtate Vis aliqua ſemper arguebatur . Quapropter Cicero contra M. Antonium : *Quid enim turpius , quàm qui Majeſtatem Populi R. minuerit per Vim* (minuebatur autem , tùm Vi Reip. illatâ contra legem Plautiam , tùm Imperii Majeſtate læſa contra legem Corneliam) *eum damnatum judicio , ad eam ipſam Vim reverti , propter quam ſit jure damnatus* ? Nam ſive de Vi , ſive de Majeſtate damnatus eſſet , ſemper fecerat Vim . at quomodo is ad eandem Vim reverteretur, nunc explicandum eſt. Si quis abſens iniquo judicio , & contra leges opprimeretur , poterat more Majorum appellare Tribunos , qui auxilio erant contra injuriam . pro Quinctio , & in judicio privato : *videturne interceſſiſſe appellatio Tribunorum non more , ſed auxilii cauſa*? ſi quis verò legibus interrogatus Tribunos

bunos appellaſſet, vel ne Reus cauſam diceret; vel ne Damnatus pœnas daret; ille contra leges, & morem Majorum feciſſe videbatur. in Vatinium: *feceriſne, quod in hac Rep. non modo factum ante nunquam eſt, ſed in omni memoria ſit inauditum? appellariſne Tribunos pl. ne cauſam diceres?* & infra de Clodio Tribuno pl. appellato: *qui tamen cum jure, cum more, cum poteſtate judicium impedire non poſſet, redit ad illam Vim*, & cæt. Vatinius igitur, cum jure non poſſet, per vim obtinuit, ne cauſam diceret, Tribuno Clodio appellato. Conſul Antonius damnatis de Vi, & de Majeſtate conceſſit, ut provocarent ad Populum, hoc eſt, quia provocatio ad Populum, & appellatio Tribunorum ſine aliqua Vi fieri non poterat; ut reverterentur ad eam ipſam Vim, & ea ipſa Vi uterentur, propter quam fuerant damnati.

Ibidem Cicero, cum duas leges à M. Antonio latas nominatim reprehendat, de tertia Decuria Judicum, deque Provocatione ad Populum; alias quaſdam innuit jam latas eſſe ante, quàm ſcriptas, nulla promulgatione: *Illæ enim nulla promulgatione latæ ſunt ante, quàm ſcriptæ*. An revera tulerat has leges Antonius, neq; per trinundinum ex præſcripto legis Juniæ Liciniæ promulgaverat? nequaquàm, ſed ne quamprimùm promulgarentur, id tantùm metuebat: *Ac de iis tamen legibus, quę promulgatæ ſunt, ſaltem queri poſſumus*; de illarum enim iniquitate diſputare poſſum, cum quilibet eas legerit, & quid præſcribant, optimè noverit: *de iis, quæ jam latæ dicuntur, ne illud quidem licuit*; quis autem de aliis queri poſſit, quaſcumque ferre quamprimùm meditatur Antonius, quas nondùm pro-

promulgavit, ſed ne ſcripſit quidem domi, ac tantummodo habet in animo? quàm pernicioſæ futuræ ſint, nemo novit; ipſe certè ſe laturum eſſe confidit, ac de iis, quaſi jam omninò perlatis gloriatur: *illa enim nulla promulgatione lata ſunt ante, quam ſcripta*. Quòd ſi quis objiciat, hæc nunquàm conſecuturum Antonium, cum neque Tribunus pl. deeſſet, qui intercederet, neque Magiſtratus, qui obnunciaret de rebus iniquis ferenti ad Populum: *quas tu mihi, inquit, interceſſiones? quas religiones?* oſtendit Cicero, non eum eſſe Antonium, qui Tribuno intercedenti, & obnuncianti Magiſtratui parere velit; hanc inanem ſpem eſſe; vim, & arma parari: *atque ego hoc dico de futuris, quod eſt Augurum, ante dicere ea, quæ vitari poſsunt; quæ ſi facta non erunt, refelletur oratio mea. loquor de Legibus promulgandis* (ſic enim lego, non ut antea *Promulgatis*, cum ſermo ſit de legibus nondùm promulgatis ab Antonio, quarum quæ futura eſſet ſententia, ignorabatur) *de quibus eſt integrum vobis*. Cur integrum erat Senatui? poterat decernere aliquid ad impedienda Comitia, quæ ſuarum Legum ferendarum cauſa habiturus eſset Antonius; abrogare eas, quæ jam latæ fuerant, fortaſsè non poterat. Diſputationem concludit, monetque Patres, ut, ſe auctore, caverent in poſterum: *Demonſtro vitia; tollite. denuncio vim, arma; removete.*

C. Cæſar Dictator, lata lege de Provinciis, caverat, *ne Prætoriæ provinciæ plus, quàm annum, Conſulares plus, quàm biennium, obtinerentur*, ut ad Philip. I. ſupra diſputabam; adeòque contra legem Juliam facere videbatur, qui ultra annum Proprętoribus, ultra biennium Proconſulibus prorogabat im-

imperium. At quænam eſt Ciceronis ſententia de provinciis Philip. 3. quam dixit in Senatu? *A D. Bruto, & L. Planco Imperatoribus, Conſulibus deſignatis, itemque à cæteris, qui provincias obtinent, obtineri ex lege Julia, quoad ex S. C. cuique eorum ſucceſſum ſit*.. quam ſententiam explicat Epiſtola 22. lib. 12. ad Cornificium, his verbis: *Ad XIII. Kal. Jan. Senatus frequens mihi eſt aſſenſus, tùm de cæteris rebus magnis, & neceſſariis, tùm de provinciis ab iis, qui obtinerent, retinendis, neque cuiquam tradendis, niſi qui ex S. C. ſucceſſiſſet*. Itaque M. Antonius quidem legem Juliam ſervabat, cum, eo auctore, facta fuerit provinciarum ſortitio, proindeque Proprætoribus poſt annum, Proconſulibus poſt biennium ſuccederetur; Cicero autem, ut Antonii ſortitio nulla eſset, ultra præfinitum tempus, & contra legem Juliam obtineri volebat. Quæ cum ita ſint, quomodo decernit, ab omnibus, *qui provincias obtinent, obtineri ex lege Julia, quoad ex S. C. cuique eorum ſucceſſum ſit*; ſi retinentes Provincias, quoad à Senatu mitteretur Succeſsor, eas contra legem Juliam obtinebant? Scilicet non ea lege Julia, qua Cæſar tulit, ut Prætorum provinciæ annuæ eſsent, Conſulum biennales; ſed illa altera lege Julia, qua idem Cæſar ſingulis nominatim Provincias aſſignaverat. An putamus, omnes, qui tunc temporis erant cum imperio, ex Prætura, aut Conſulatu miſſos in Provincias fuiſse ſorte, & ex præſcripto legum? quin multi privati contra leges, omnes Magiſtratus extra ſortem, & nominatim provincias acceperant à Cæſare, prout ille ſibi expedire crediderat. Quis porrò neſcit, in mandandis extraordinariis Imperiis neceſsariam fuiſse Populi ro-

rogationem? hanc tulerat Cæſar; hac rogatione, unuſquiſque Proconſul obtinebat provinciam; ex eadem Julia rogatione obtineri Cicero decernit, quoad alitèr Senatus cenſuiſſet, ad quem præcipua Provinciarum cura ſpectabat.

Tandèm notanda ſunt ea verba Philip. 5. *nunc non abrogandas cenſeam, quas judico non rogatas?* Manutius enim, qui ad Philip. 1. quaſdam leges Antonii Conſulis latas eſſe ſine ulla promulgatione putabat; idem hoc loco nonnullas fuiſſe, quas ne rogaverit quidem, tradit, cum ait, in exponenda ſententia, quæ modò allata eſt: *abrogari ſolent rogata; non rogatas autem quorsùm attinet abrogari?* perinde, quaſi vel probet Orator non eſſe leges illas abrogandas, quippe minimè rogatas; vel perperam eſſe abrogandas cenſeat non rogatas leges. Sed jam oſtenſum eſt, ne verbum quidem inibi Ciceronem feciſſe de legibus ab Antonio latis, & non promulgatis. nam quamvis id etiam factum queratur hac Philip. 5. *num etiam hanc legem populus R. accepit? quid? non ante lata, quàm ſcripta?* tamen non dubito, quin per Hyperbolem dicatur non promulgata Lex, quam Antonius non promulgaverit ex lege Junia Licinia per trinundinum integrum; & ante lata, quàm ſcripta, ut pote per vim, & contra auſpicia ferenda quoquo modo. Utcumque legem aliquam rogare Magiſtratus per vim poterant ſine promulgatione; quomodo autèm de abrogandis legibus non rogatis diſputet Cicero, hoc non intelligo. an vim legis habere poterat, quod non eſſet rogatum? an aliquid aliud abrogari poterat, quod Lex non eſſet? equidèm opinor, verbum *Abrogo* ſignificare, rem quampiam, quæ rogata fuiſſet, non eſſe ampliùs habendam, ut rogatam. Argumen-

tum

tum hujuſmodi eſt à Comparatione minorum; *Hanc ego, & reliquas ejuſmodi leges, etiamſi ſine vi, ſalvis auſpiciis eſſent rogatæ, cenſerem tamen abrogandas; nunc non abrogandas cenſeam, quas judico non rogatas?* Aſconius ad Orationem pro C. Cornelio, duas præcipuè cauſas affert, proptèr quas Lex aliqua abrogaretur; vel quia res juberet Reip. pernicioſas, vel quia contra auſpicia, & leges lata videretur. Quamobrem Cicero de legibus Antonii: ſi ſalvis auſpiciis, inquit, & jure rogatæ eſſent, adhuc cenſerem eſſe abrogandas, quippe Reip. pernicioſas; quanto magis contra auſpicia, & per vim, hoc eſt non jure latas, abrogare debemus? Patet nimirum *Non rogatas* idem eſſe, ac non jure rogatas, ut ex primo membro habetur.

Verum hæc fortaſse jaceant domi relicta; tua certè in conſpectum non tam Populi, quàm Principum veniant, neceſſe eſt. Vale. Prid. Kal. Dec. A. S. 1698.

EPISTOLA DECIMAQUINTA.

AD ABB. N. N. P. P.

De Lege Voconia.

DE Voconia lege, deque Mulierum hæreditatibus neſcio quid commentatus, id tibi non oſtendo ſolùm, ſed etiam offero. quippe Cenſoriam illam notam non mediocritèr reformido, quę adversùs mittentes falcem in alienam ſegetem ſubicribi ſolet. Quid autem mali facio, ſi de Civilibus etiam controverſiis Canonum Profeſſorem quandoque conſulam? ego fortè debueram juris gurram

aliquam ex Tullianis hauſtam fontibus, meis lucubrationibus aſpergere; tu certè ita vales & magnitudine ingenii, & doctrinæ præſtantia, ut utrique Juri abundè ſufficias.

Cum multi multa annotaverint de lege Voconia, rem univerſam brevitèr attingam. Q. Voconius Tribunus pl. anno V. C. 581. Philippo, & Cæpione Coſſ. legem tulit, quam ſe ſuaſiſſe Cato Major fatetur in Libro de Senectute: *ne quiſpiam, qui cenſus eſſet, hæredem relinqueret filiam*; non autem, ut legit Manutius: *qui cenſus non eſſet*, expreſsè contra mentem Ciceronis. quærendum eſt, cur Lex illum exciperet, qui cenſus non eſſet, & cenſi tantùm prohiberentur filias hæredes relinquere. Quam difficultatem uno verbo ſolvere videtur Aſconius, cum ait: *Ne quis cenſus, hoc eſt pecunioſus*. ii enim tantummodo cenſebantur, qui prædia, aut aliquam pecuniæ vim poſſidebant; tenuiores, & qui cenſum non habebant, cenſeri non poterant. Cum verò lex Voconia lata fuiſſet ad coercendas Mulierum cupiditates, ſatis erat cavere, ne divitis, pecunioſi, & illius, qui cenſus eſſet, filia hæres inſtitueretur; in pauperum, & eorum qui cenſi non eſſent, hæreditatibus, hæc inutilis videbatur eſſe cautio. Hoc tamen inde conſequebatur, quòd, ſi quis legitimo aliquo titulo, puta hæreditatis, vel donationis, dives repentè factus fuiſſet, qui antea cenſum non haberet, & moreretur ante novos Cenſores; is putabatur lege Voconia non impediri, quin inſtituere poſset hæredem filiam; juxta vulgatum illud Juriſperitorum effatum; in favorabilibus leges eſse potius ampliandas. Quarè Cicero Ve-

rina

rina 3. de P. Annio : *quod eum natura hortabatur, lex nulla prohibebat, fecit, ut filiam bonis ſuis heredem inſtitueret. hares erat filia; faciebant omnia cum pupilla, legis equitas, voluntas Patris, edicta Pretorum, conſuetudo Juris*. omnia ſcilicet faciebant cum Annio, ut dives repentè factus, cum neque cenſus antea fuiſset, neque ob celerem mortem cenſeri poſtea potuerit, ut filiam hæredem relinqueret, talis erat æquitas legis Voconię, ſecundùm quam ęquitatem & Edicta ſua ſcripſerant Prætores, & jus dixerant. Quæ cum ita ſe haberent, Verres Prętor Urbanus, ut ibidem refert Orator, ne teſtamentum Annii valeret, edixit hoc modo: *Cum intelligam Legem Voconiam, prohibentem mulierum hereditates* (omiſit autem de induſtria ea legis verba, *ab eo, qui cenſus ſit*) *non ſervari à multis; qui contra, ac lex præſcribit, teſtamenta hujuſmodi faciant; ut cupiditati hominum obviam eam, ſi quis ab A. Poſtumio, Q. Fulvio Cenſoribus, poſtve ea fecit, fecerit, nec petitionem, nec poſſeſſionem dabo*. Ii Cenſores fuerant Anno V. C. 576. quinquennio ante latam Voconiam legem, & in eadem lege nominatos illos fuiſſe, dubium non eſt. Quid novi Verres edixit, ut Anniam pupillam excluderet paterna hæreditate, eamque, ut optabat, addiceret ſecundo hæredi? omiſſis iis verbis, *ab eo, qui cenſus eſſet*, quod ex æquitate legis Voconiæ antea licebat, ipſe novo ſuo Edicto non ſolùm fieri prohibuit in poſterum, ſed quæ facta fuerant per centum integros annos teſtamenta, irrita, & contra leges judicavit.

Hæc ſatis, ne diutius, quàm oportet, videar in ea re verſari, quæ à meorum ſtudio-

cum ratione ſit alieniſſima. Vale. IV. Id. Febr. A. S. 1697.

EPISTOLA DECIMASEXTA.

AD AMICUM N. N.

De Comędia.

CUm una Venetiis eſſemus proximè elapſis Bacchanalibus, & quodam die in Theatro Hiſtriones audiremus; incidit ſermo, non ille quidem loco, & tempori conveniens admodùm, haud tamen inſolens tibi, qui ſeria miſcere jocis ſapienter ſoles: de Perſona primarum Partium, deque Prætextata Comędia. Utramque diſputationis partem ſummis tantum labiis tunc attigi; ſimul autem, ac domum reverſus priſtinam ſtudiorum meorum conſuetudinem, per aliquot intermiſſam dies, repetere potui; & examinavi rem diligentiùs, & quod ego ſentirem, tibi pro veteri noſtra familiaritate perſcribere ſtatim non ceſſavi.

Oratione pro L. Flacco ait Cicero: *quis unquam Græcus Comœdiam ſcripſit, in qua Servus primarum Partium non Lydus eſſet?* quæri ſoles, quiſnam inter Comędiarum, ac Tragędiarum actores, primas partes obtinere dicatur. An ille, cui primæ partes dantur in agendo propter ingenium, & artem; minimè, ſicut colligitur ex Divinatione in Verrem: *ut in actoribus Græcis fieri videmus, ſæpe illum, qui eſt ſecundarum, aut tertiarum partium, cum poſſit aliquanto clarius dicere,* quam

quàm ipſe primarum , multùm ſummittere , ut ille princeps quàm maximè excellat . non igitur ille cæteris ingenio , atque arte præſtabat , licèt primas obtineret partes , cui præripere palmam alii potuiſſent , aliquanto clariùs dicente ; qui porrò , etiamſi clariſſimè dixiſſent , nunquam tamen primarum fuiſſent . An ille , qui nobiliſſimam Perſonam ſuſtineret ? ne id quidem . dicitur enim Servus primarum partium , neque certe dicendus eſt primas agere , ut nobiliſſima Perſona , qui ſerviat alteri ; id autem ſæpe fit apud Plautum , ut per unum , & alterum Servum totam fere Fabulam abſolvat . An denique , ut habet Aſconius ad Verrinam I. qui ſæpiùs in Scenam enit ? multo minus ; nam inde Actoris præſtantia non arguitur . citatus Verrinæ locus oſtendit , perſonam primarum partium maximè omnium excelluiſſe . Rem hanc univerſam definit in Prologo Phormionis Terentius:

Latini Phormionem nominant ;
Quia primas partes qui aget , is erit Phormio
Paraſitus , per quem res agetur maximè .

In eadem Comędia multo ſępiùs & Antipho adoleſcens , & Geta ſervus veniunt in Scenam , quàm Paraſitus Phormio; neque tamen illis a Poeta primæ aſſignantur partes . Itaque nomina am ait Phormionem , quòd Phormio primas partes agat . hinc habes , in Tragędis , & Comędiis omnibus , quæ ab aliqua Perſona nomen deſumunt , eam obtinere primas partes , à qua denominantur . Deinde exponit , quid ſit primas partes agere : *per quem res agetur maximè* ; hinc docemur,

eorum eſſe primas partes, quorum opera abducuntur meretrices, aufertur argentum, decipiuntur Senes in Comędiis; ut Phormionis apud Terentium, Pſeudoli, & Epidici apud Plautum; eorum autem ſimili ratione in Tragędiis, quorum maximæ calamitates, & infortunia repræſentantur, ut Ajacis apud Sophoclem, Herculis, ac Medeæ apud Senecam. Quamobrem Cicero in Divinatione: *& Cæcilius tum denique ſe aliquid facturum putet, ſi Allienus minus vehemens fuerit, & ſibi primas in dicendo partes conceſſerit*: ſi quid ex facultate, quam habet, detrahat Allienus, ne totum judicium ſuſtinere ipſe videatur, tùm per Cæcilium peragetur magna ex parte accuſatio, iſque proinde tum primas partes obtinebit. Quod attinet ad locum, quem explicamus, Orationis pro Flacco; non ait Cicero Perſonam primarum partium ſemper eſſe Lydum, ſed Servum primarum partium. an enim in Comędiis primę ſemper partes Servis dantur? neque Cicero, cum de ignavia, deque improbitate Gręcorum in Aſia commorantium diſputet, qui Flaccum Repetundarum poſtulaverant, dixiſſet quippiam, quod in eorum laudem verti poſſet. In Plauti Milite glorioſo, inter perſonas omnes, primas obtinet partes Pyrgopolinices Miles, cujus maximè res agitur; cumque multi inducantur Servi, Palæſtrio ſervus eſt primarum partium, per quem & Miles decipitur, & abducitur Meretrix.

Vulgatum eſt illud Horatii in Arte Poetica;

Vel qui Prætextas, vel qui docuere Togatas.

Interpretes plerique Prętextam, ſeu Prętextatam

tam Comędiam eam eſſe dicunt, quę Magiſtratus inducat, aliaſque Perſonas habentes jus Prætextę; cum Togata ea ſit, quæ Togatorum, ſeu privatorum hominum facta, geſtaque exhibeat. ſed Poeta, cum demonſtrare velit ibidem, Latinos veſtigia Gręca in Scena deſerere, factaque domeſtica, non, ut antea, Gręcorum, celebrare, perperàm ex Comędia tantùm, ſive illa Prętextata, ſive Togata ſit, exempla peteret, non etiam ex Tragędia. quamplures certè Latinas Tragędias habebant, unamque aut alteram in Sextiana Cicero commemorat. Conſulatur Plautus in Prologo Amphitryonis, ubi ait:

Faciam, ut commixta ſit Tragicocomędia.
Nam me perpetuò facere ut ſit Comędia,
Reges quò veniant, & Dj, non par arbitror.
Quid igitur? quoniam hic Servus quoque partes habet;
Faciam hanc proinde, ut dixi, Tragicocomędiam.

Vides in Scenam venire Reges, Viroſque Prętextatos, & in ſummis Magiſtratibus conſtitutos? dic eam eſſe Tragędiam; adſunt Servi etiam, qui partes agant? docet Plautus, illam dicendam eſſe Tragicomędiam. cęterùm nemo Vir doctus Comędiam Prętextatam appellaverit.

Sed hęc ipſa legendo, te non tantumdem certe voluptatis percepturum arbitror, quantum ludios audiendo percepimus. Vale. X. Kal. Mart. A. S. 1698.

EPISTOLA DECIMASEPTIMA.

AD NOB. N. N.

De Pecunia Publica.

OMnia, ut divinaveram. meam ad te paulo ante miſſam Epiſtolam eo animo legiſti, quo res amicorum intueri ſoles; ea humanitate, quaſi à Pediano exaratam. Neque verò diu paſſus es, in accepti tabulis hoc nomen latere; ſtatim, quod mihi erat in votis, ac tacitè petebatur, perſolviſti cum fœnore; videlicèt, ut dicitur, non carmen pro carmine, ſed pro uno verſiculo totam Iliada. Sacra Bonę Deę, Matronarum fidei, ac Religioni commiſſa Myſteria, Viris Romę vix audita ante Clodianum ſcelus, adeo copiosè, dilucidè, explicatèque tradidiſti, ut ea mihi ſemel, atque iterùm perlegenti, ſenſu percipere, & contrectare oculis videar. Majoris lucri cupidus, quieſcere nequeo, neque retardabit repulſa; juſſus enim à diſputando ſuperſedere, tunc manifeſtè petam ſemper aliquid, & flagitabo. Intereà de pecunia Romanorum publica hęc habeto.

Cicero, cum Flaccum defenderet, Decianum, qui teſtis erat ab Adverſariis productus, eo maximè nomine redarguit, quòd prędia quędam ſibi Romę cenſeri curaſſet, quę poſſidebantur Apollonię in Aſia ab Amynta; atq; eam commiſiſſe, *Ut ex iiſdem prędus & Apollonię, & Romę imperatum eſſet Tributum.* Ex inſtituto Ser. Tullii, centuriatim pendebatur Tributum, ad alendum, & veſtiendum exercitu, neceſſa-

rium;

Digitized by Google

rium; eodemque modo, poſtquàm anno V. C. 350. ex Ærario ſtipendium militibus primùm datum eſt; divites, qui in prima Claſſe ſuffragium ferebant, cum ea majorem partem Centuriarum complecteretur, plus etiam, quàm reliqui Cives omnes pendebant. Victo Perſeo Macedoniæ Rege, ut refert Plutarchus in vita Æmilii: *tantum auri, argentique in Ærarium Æmilius retulit, ut nullum Tributum perſolui à Civibus opus fuerit, usque ad Hirtii, & Panſæ Conſulatum.* de quo quidem Tributo tunc temporis imperato, Civilibus bellis vexata Rep. commemorat Cicero Epiſtola ultima ad Brutum: *Obdureſcunt enim magis quotidie boni Viri ad vocem Tributi, quod ex centeſima collatum, impudenti cenſu locupletum, in duarum Legionum præmiis omne conſumitur.* Ita porrò ſe Romæ res habebat; at in Provinciis longè erat diverſa ratio. nam vel ſtipendium, & certum quoddam vectigal pendebant Quæſtoribus, ii nimirùm Populi, quorum agri publici Populi R. facti fuerant; vel incertum Vectigal, quod locari à Cenſoribus ſolebat Publicanis per quinquennium, ſicuti dictum eſt alibi. Præterea nihil Sociis imperabatur; proindeque ad annum V. C. 577. notat Livius lib. 42. injuriam factam Prænestinis à L. Poſtumio Conſule, atque hæc ſubiicit: *Ante hunc Conſulem, nemo unquam Sociis in ulla re oneri, aut ſumptui fuit; ideò Magiſtratus mulis, tabernaculisque, & omni alio inſtrumento militari ornabantur* (ex Ærario) *ne quid tale imperarent Sociis.* Quamvis autem cœperint deinde Prætores provinciarum aliquid privatim à Sociis exigere, veluti frumentum in cellam, de quo in Verrinis; tamen, præter ordinarium Vectigal, ſi tenebantur illud pendere, nullum publicè Tributum imponebatur. quòd ſi navibus, aliisque hujusmodi

rebus opus eſſet, non ex pecuniâ extraordinaria Sociorum, ſed ex vectigali Populi R. comparabantur. Hinc Verrina 3. *Decem enim naves juſſu L. Murenæ Populus Mileſius ex pecunia vectigali Populi R. fecerat, ſicut pro ſua quaque parte Aſiæ cateræ Civitates*, bello adversùs Mithridatem, quod juſſu L. Syllæ Murena gerebat. Nam ſi Claſſe opus eſſet contra Prædones, cum non Reip. ſed ipſius Provinciæ ſalus ageretur, tùm poterat Prætor ſingulis Civitatibus quendam navium numerum, & pecuniam certam imponere; quod feciſſe Flaccus arguebatur. Si tandem magnum aliquod bellum, & periculoſum ingrueret, cui Ærarium, & Vectigalia non viderentur poſſe ſufficere; Tributum imperabatur cùm Romæ, tùm in Provinciis: quemadmodum accidit Hirtio, & Pansa Coſs. Jam igitur ad explanandum Ciceronem accedo: *Commiſiſti, ſi tempus aliquod gravius accidiſſet*, quo Tributum ubique terrarum imperare neceſſe foret: *ut ex iisdem prædiis, & Apolloniæ, & Romæ imperatum eſſet Tributum*. Apolloniæ quidem Amyntas, qui ea prædia poſſidebat, cuique cenſebantur in Aſia; Romæ verò Decianus, qui eadem prædia ſibi cenſeri voluerat, ſolvere Tributum debuiſſent. Subiungit: *voluiſti magnum agri modum cenſeri, & ejus agri, qui dividi plebi Romanæ non poteſt* per Ironiam. eorum enim agri dividebantur plebi Romanæ per Tribunos, qui contra legem Liciniam Sextiam plus, quàm quingenta jugera poſſiderent; Decianus plura jugera agri habebat in cenſu, non tamen poſſidebat; & propterea metuere non poterat, ne Plebi dividerentur, ſibi erepta, ſi qua forte Agraria lex lata fuiſſet. id non permiſiſſet verus poſſeſſor Amyntas.

Et

Ex Ærario igitur depromi pecunia ſolebat, quę in uſus Reip. erogaretur; hinc illud Verrinæ 5. *Pecunia attributa numerata eſt*, cujus tamen interpretatio non eſt in promptu. Manutius pecuniam intelligit attributam Urbanis Quæſtoribus à Tribunis Ærariis, deinde Verri à Quæſtoribus, ut eam ille daret Militibus; quaſi *Attributa* idem ſit, ac tradita pecunia. Quæ porrò ſententia refellitur primùm auctoritate Aſconii, quem infrà citabo, & Varronis lib. 1. de Lingua Latina: *Tributum*, inquit, *dictum à Tribubus, quòd ea pecunia, quæ Populo imperata tributim à ſingulis pro portione cenſus exigebatur, ab hoc ea, quę aſſignata erat, Attributum dictum*. Unde patet, pecuniam Attributam fuiſſe, quę à Senatu cuilibet Magiſtratui pro publico ſumptu aſſignabatur. Deinde ex ipſo Cicerone illius Verbi vis planè percipitur, qui hæc habet Verrina 5. *primùm eam pecuniam, cum poſita eſſet apud eas Societates, unde erat attributa*, & paulo poſt: *ex vectigalibus Populi R. ad emendum frumentum attributa*. Senſus igitur illius loci eſt, pecuniam, quam Senatus attribuerat, vel aſſignaverat Carboni Conſuli in rem militarem, numeratam fuiſſe C. Verri, qui Conſulis Quæſtor erat. Altera Quæſtionis pars eſt, à quibus ea pecunia numeraretur. Aſconius putat de Ærario à Tribunis ærariis adnumerari Quæſtoribus ſolitam fuiſſe; Varro loco ſupra laudato, vult ab ipſis Tribunis Ærariis datam militibus; & cum hæc diverſis temporibus variè conſtituta fuiſſe Budæus exiſtimet, ego quid ſentiam, breviter exponam. Publicam pecuniam apud Quæſtores fuiſſe antiquitus tùm quæ daretur militibus in ſtipendium, tùm quæ referenda eſſet in Ærarium, ita omnes aſſirmant, ut ne-

mo

no dubitare pręterea poſſit. Hoc idem poſtremis Reip. temporibus uſitatum fuit; nam Verres Queſtor Carbonis eadem Verrina 3. ita refert rationes: *Accepi vicies, ducenta, triginta quinque millia, quadringentos XVII. numos; dedi ſtipendio, Frumento, Legatis*, & cęt. adeòq; non à Tribunis Ærariis, ut Varro opinatur, ſed a Quæſtoribus ſtipendium militibus dabatur. Quod attinet ad Aſconium, Quæſtores Urbanos Ærario præfuiſſe quis neget? Plutarchus in vita Poplicolæ ſcribit: *In Quaſtoria etiam lege ferenda maximam eſt laudem conſecutus; ubi enim opus erat ab bellum pecunias pro cenſu Cives conferre, Ærarium Saturni Ædem conſtituit, itaque hodie manet; conceſſit autem Populo, ut Quaeſtores duos creare poſset*; nimirùm qui Ærarium curarent, dictique ſunt Queſtores Urbani. Livius lib. 3. *Hec omnia adeò mature perfecta accepimus, ut ſigna eo ipſo die à Quaeſtoribus ex Ærario prompta, delataque in campum, quarta diei bora, mota ex campo ſint*. utrumq; enim nulla probabili ratione nititur, vel Quæſtores prompſiſſe militaria ſigna ex Ærario, cui Tribuni ærarii præeſſent; vel Ærarii Signis præfuiſſe Quæſtores, pecuniæ publicę Tribunos. Luculentèr etiam Pomponius de Origine Juris: *cum Ærarium populi auctius eſse cæpiſset, qui illi praeſsent conſtituti ſunt Quaeſtores, dicti ab eo, quòd inquirendae, & conſervandae pecuniae cauſa creati erant*. Neque alitèr factum eſt Ciceronis ætate, qui proinde in Quinctiana hæc habet: *quòd propter ærariam rationem non ſatis erat, in tabulis inſpexiſse, quantum deberetur, niſi à Quaeſtoribus quaeſiſſet, quantum ſolveretur*, utpote qui Ærarium, & pecuniam publicam ſervabant. Inſupèr ab iiſdem probabile eſt numeratam pecuniam

Ver-

Verri fuiſſe; quibus retuliſſe rationes Verres dicitur. quinam autem ii ſunt? infrà Cicero; *P. Lentulo, L. Triario Quæſtoribus Urbanis, rationum relatarum*. Quæſtores igitur Urbani, qui Verris rationes relatas acceperunt, profecturo in provinciam Verri cum Conſule, pecuniam ex Ærario numeraverant. Quid verò de Tribunis Ærariis ſentiendum eſt? Complures fuiſſe illud argumento eſſe poteſt, quòd ex iis lege Aurelia Judicum tertia Decuria conſtituebatur; & eorum opera uſos arbitror Quæſtores Urbanos, tùm in curandis, ac diſtribuendis pecuniis publicis, tùm etiam, ut caverent, ne quippiam ex Ærario clam auferretur. Etenim quod ait Auguſtinus, non ſolùm à Tribunis ærariis datam fuiſſe pecuniam Quæſtoribus Provinciarum, ſed eos quoque fuiſſe Equites R. nullo niti fundamento videtur, ut ex hactenùs dictis manifeſtum eſt. Ultimò notandum eſt pro Corollario, Quæſtores Urbanos præfuiſſe Ærario uſque ad Auguſti tempora, qui primus munus illud ad alios tranſtulit, Tranquillo teſte in Auguſto: *auctor, inquit, & aliarum rerum fuit*, & cæter. *ut cura Ærarii à Quæſtoribus Urbanis ad Pretorios, Pretoreſve tranſiret*.

Cæterùm hæc erat ratio adminiſtrandæ pecuniæ publicæ in Provinciis. Cum tabulas uterque conficeret, tùm Prætor, tùm Quæſtor; hic in ſuas Tabulas acceptum ferebat, quod ab Ærario accepiſſet, vel à ſuo Prætore; expenſum autem, quod ſtipendio, frumento, & alio quocumque nomine dediſſet Prætori. Prætor ſimilitèr pecuniam, frumentum, quicquid à

Civitatibus exegiſſet, ſuo dabat Quæſtori, eidemque expenſum ferebat; acceptum, quicquid ipſe à Quæſtore in publicos ſumptus accepiſſet. Sic Romam reverſi in referendis rationibus, Prætor quidem tenebatur oſtendere, ſe quod à Provincialibus exegiſſet, ſuo Quæſtori dediſse, quod accepiſset à Quæſtore, in publicos uſus inſumpſiſſe; Quæſtor autem palam faciebat, omnem pecuniam ex Ærario depromptam, & collectam in Provincia, aut in rem militarem expenſam, aut Prætori datam fuiſse, ſi nihil in Ærarium referret. Itaque Cicero Verrina 3. tres affert ſummas, in quibus fraudatum à Verre Dolabellam contendit, cum illius Proquæſtor fuiſset. Prima eſt: *quod minus Dolabella Verri acceptum retulit, quàm Verres illi expenſum tulerit HS quingenta triginta quinque millia.* puta Dolabellam in ſuas tabulas retuliſse, HS decies tantummodo ſe à Verre accépiſse, Verres in ſuis perſcripſerat, ſe dediſse quindecies HS triginta quinque millia. Altera eſt hujuſmodi: *quod plus fecit Dolabella Verrem accepiſſe, quàm iſte in ſuis tabulis habuit*, *HS ducenta triginta duo millia.* V. G. ſcripſerit Dolabella data à ſe Verri pecuniæ publicæ HS decies, Verres habuit in ſuis tabulis, ea fuiſse tantùm HS ſeptingenta ſexaginta octo millia. Tertia ita ſe habet: *quod plus frumenti fecit accepiſſe iſtum, HS decies, & octoginta millia.* eodem modo, quo ſupra, niſi quòd in illa, pecunia dicitur data Verri à Dolabella; in hac, pro pecunia frumentum. Hac ratione maximas pecunias publicas averciſse Verrem ait Cicero, quas pecunias vocat extraordinarias, quippe non in ordinem, & in tabulas relatas. Verres enim cum videret, nemini probari poſſe, ſe tantam pecuniam habuiſse

vel

vel de redditibus vel de annonis, vel aliquo alio jure legitimo, donationis, aut hæreditatis; ut furtum celaret, omiſit eam referre in ſuas tabulas. Idcircò Orator paulo poſt: *Homo ſtultiſſime, & amentiſſime, tabulas cum conficeres, & cum extraordinaria pecunia crimen ſubterfugere velles*, hoc eſt cum patereris pecunias illas eſſe extraordinarias, neque referres in tabulas, ut ſic furti crimen ſubterfugeres. Ad hunc locum (ut id etiam obiter dicam) non aſſentior Manutio, qui putat ibi mendum latere, legitque: *& cum extraordinariæ pecuniæ crimen ſubterfugere velles*; quaſi omne Verris crimen in eo eſſet, quòd eam pecuniam eſſe extraordinariam voluiſſet. Sed illud nullum crimen habebat; cur enim id mihi crimini detur, ſi quippiam, quod meum ſit, in tabulas non referam? Pro Comœdo, in Chercam adverſarium ita Cicero invehitur: *quomodo tibi tanta pecunia extraordinaria jacet?* ſtatimque ſe ipſe Orator interpretatur: *quomodo HS centum millia in Codice accepti, & expenſi non ſunt?* illa igitur pecunia erat extraordinaria, quippe non relata in Codicem à Cherea, quam in Adverſaria, ſcilicet tumultuarias Tabulas, quibus nulla in Judicio fides, tantùm retulerat. Hinc Verres, ne Aſiæ furta manifeſta fierent, cum dicere non poſſet, unde ſibi tantæ pecuniæ acceſſiſſent; eas occultare ſtatuit, non referendo in Codicem, quod erat extraordinarium: *cum extraordinaria pecunia crimen ſubterfugere velles, ſatis te elapſurum omni ſuſpicione arbitrabare, ſi quibus pecuniam credebas, iis expenſam non ferres, neque in tuas tabulas ullum nomen referres?* Exprobrat Verri ſtultitiam, quòd crimen furti ſe ſubterfugere poſſe putaverit, ſi non referret eam pe-

pecuniam in tabulas, & jacere extraordinariam ſparetur.

Proconſulibus igitur, & Prætoribus in provincias cum exercitu profecturis pecunia ex Ærario dabatur, in ſtipendium militum, aliisque rebus neceſſariis comparandis ſuffectura. quantam pecuniæ vim datam C. Cæſari putamus, & à Senatu pro Gallia Ulteriore, & à Populo pro Citeriore, periculoſiſſimum bellum in Galliis geſturo cum tot Legionibus? Eam tamen biennium, quo jam fuerat in Provinciis, omnem abſumpſerat; poſtulavitque Marcellino, & Philippo Coſſ. ut nova ſibi ex Ærario aſſigneratur pecunia; & Pompejo, Craſſoque auctoribus, impetravit; quibuſcum veterem illam, ad emenda ſuffragia Populi, & corrumpendos Magiſtratus, partitus fuerat. Plutarchus in Cæſare: *at qui tam grandem à Cæſare pecuniam acceperant, eum indigentem etiam Senatui perſuadebant*, ut ſpoliarent Ærarium, & Remp. in anguſtias redigerent. An verò denegari ſtipendium poterat Imperatori, bellum adversùs barbaros adminiſtranti? ita eſt; nam præda ex hoſtibus parta tanta erat, ut ea ad retinendas legiones ſatis, & abunde eſſe videretur. Cicero Oratione de Provinciis: *illum arbitrabar etiam ſine hoc ſubſidio pecuniæ retinere exercitum præda ante parta, & bellum conficere poſſe*: ſed quo faciliùs Cæſar poſſet, magna corruptos mercede, in Patriam armare turbulentos Cives, ex Ærario dederunt. Hinc apparet, non propterea novo ſtipendio opus fuiſſe, quia novis legionibus exercitum auxerat Cæſar; loquitur enim Orator de retinendo vetere exercitu, non de novis legionibus conſcribendis. Sicut etiam in ea pro Balbo: *idem in anguſtiis Æra-*

rii

rii victorem exercitum ſtipendio affecit; an qui nondùm in conſpectum hoſtium venerat, victor exercitus appellaretur? Imo verò ex Commentariis Cæſaris conſtat, veteribus illum Copiis per multos annos contentum, novis conſcribendis legionibus tùm demum animum adieciſſe, cum jam ſe ad bellum Civile compararet, eosque milites Pompejus repeteret, quos in ſecundo Conſulatu juxta condiciones initæ ſocietatis ad Cæſarem miſerat, ut eſt apud Plutarchum.

Hac ratione ſervatam Romæ, & adminiſtratam in Provinciis fuiſſe Pecuniam publicam arbitror, quæ duo ſunt hujuſce Quæſtionis præcipua Capita; ſi quid tu reprehendas, ultrò emendabo. Vale. X, Kal. Febr. A. S. 1697.

EPISTOLA DECIMAOCTAVA,

AD NOB. N. N.

De Mutatione Veſtis.

Asconium, Patavinum hominem, Commentatorum vetuſtiſſimum, præclarè, atque inſignitè eruditum, tanti facio, quanti alium neminem; ab eo tamen veritatis amore ſæpe diſſentio. Quorſum hoc, inquies? ſcilicet, ne me temeritatis accuſes, quòd Auctorem Commentarii de Re Veſtiaria quandoque non probem. an enim, cum Aſconio non temperem, Viro mihi, ne plurima alia perſequar, jure vicinitatis in primis conjuncto, parcam Ferrario, à me, & ab hac Civitate alieniſſimo? quem certò ſcio, non

ea lege huic noſtræ Juventuti dixiſſe multa, & ſcripſiſſe, ut nihil repudiari fas eſſet.

Quærit igitur Oct. Ferrarius cap. 27. lib. 1. de Re Veſtiaria, quæ Veſtis mutatio eſſet uſitata apud Romanos in magno luctu, & calamitate publica; duo autem ipſe tueri, ac firmare contendit, quorum alterum eſt: Senatores inluctu latum clavum depoſuiſſe, & in veſte Equeſtri anguſticlavia inceſſiſſe; Magiſtratus, depoſita Prętexta, in lato clavo tantùm; Equites omninò ſine clavo, ut reliquam Plebem. Alterum: cæteros Cives poſitis Togis, ſumpſiſſe Saga militaria; hinc etiam in Epiſtola Dedicatoria: *& quod olim*, inquit, *non niſi in luctu publico, Urbiſque periculo uſurpabatur, perpetuò ad ſaga tranſiit*. Ego utrumque redarguo, cum neutrum probem; & ſanè quod attinet ad primum, examinandi ſunt duo loci Dionis Caſſii, tùm lib. 56. ubi hæc habet: *Sequenti die Senatus habitus, & ad eum, reliqui in veſte Equeſtri convenerunt, Magiſtratus verò in Senatoria, demptis Prætextis*, tùm lib. 40. ubi legimus: *Conſules Senatoriam veſtem deponentes, & in veſte Equeſtri Senatum, tanquàm in magno luctu convocantes*. Primo loco narrat Dio, depoſitas fuiſſe à Conſulibus, Prætextas, adeòque Ferrarii ſententiam confirmat; ſecundò refert pariter à Conſulibus depoſitam veſtem Senatoriam, & ſumptam Equeſtrem. Nomine veſtis Senatoriæ quid ſignificat? an Prætextam? hoc nemo dixerit; ſignificat igitur latum clavum, hoc eſt tunicam laticlaviam; quod non animadvertiſſe Virum Doctum ex Dione, quem ipſe citat, vehementer miror. Præterea Macrobius lib. 2. Cap. 11. *Craſſus Cenſor*, ait, *ſupra cæteros diſertus murenam in piſcina domus ſuæ mortuam atratus, tanquàm filiam luxit;*
&

& Cicero Oratione in Vatinium : *atque illud etiam ſcire ex te cupio , quo conſilio , aut qua mente feceris , ut in epulo Q. Arrii familiaris mei , cum toga pulla accumberes ?* paulo poſt : *cedo , quis unquam cœnavit atratus ?* erant autem tùm Craſſus , quippe Cenſor , tùm Vatinius , quippe Tribunus pl. procul dubio Senatores . Conſtat igitur ex Dione , Magiſtratus in luctu non Prætextam ſolummodò depoſuiſſe , ſed aliquandò etiam Senatoriam tunicam ; à Senatoribus autem non ſemper anguſtum clavum ſumptum fuiſſe , ſed togam etiam pullam , atque atratam , maximè in luctu privato , ex Cicerone , & Macrobio . Quod ſpectat ad alteram partem , hoc ſumo : duas fuiſſe Cauſas mutandæ Veſtis ; Calamitatem , ſeu luctum , & ingens periculum . De calamitate , & luctu intelligendi ſunt Auctores ſupra citati ; cum enim vel clades aliqua accepta eſſet , vel fames , aut peſtis ingraveſceret , ſumebatur veſtis lugubris eo modo , quo dictum eſt , & quidem publice ; privatim verò ſimiliter in luctu privato . Quòd ſi ingens Reip. periculum immineret , puta ſi Galli , vel Itali , vel ipſi Cives arma moverent ; ſumebantur Saga pro Togis . de periculo porrò, non de calamitate intelligendus eſt Cicero in Philippicis , Dio quoque , & Nonnius , & ſi qui ſunt alii ab Adverſario producti , qui de Sagis meminere . ubique enim docent ea ſumpta fuiſſe à Populo R. ex Sen. Conſuto , quòd in ultimum diſcrimen adducta eſſe Reſp. videretur , non autem , quòd gravis aliqua accepta eſſet calamitas . Hac neceſſaria diviſione poſita , quam Ferrarius non agnovit ; pergo doctrinam ab eo traditam refellere . Ait igitur primò in ſecunda Capitis parte , omnes aliquando Cives

mutaſſe Veſtem, quod colligit ex Oratione pro Sextio: *quid enim quiſquam poteſt ex omni memoria ſumere illuſtrius, quam pro uno Cive & bonos omnes privato conſenſu, & univerſum Senatum publico conſilio mutaſſe veſtem?* Sed notandum eſt, hoc Oratorie dictum à Cicerone, quippe in laudem ſui ipſius, pro ſe nimirùm pulſo in exilium bonos omnes mutaſſe veſtem. cæterùm Plutarchus narrat, non à Plebe, ſed ab Equitibus R. id factum fuiſſe: *Mutavit veſtem cum ipſo univerſus Equeſter Ordo, & ad viginti millia mutato habitu eum ſequebantur*; & ipſe Cicero conſentire videtur in ea poſt Reditum ad Quirites: *pro me Senatus, & viginti præterea hominum millia veſtem mutaverunt*; qui ſi eſſent ex Plebe, de Equitibus, quorum præcipua benevolentia fuerat, nominatim feciſſet mentionem. neque illa Ciceronis maxima laus fuiſſet, ex tanto Populo viginti millia tantùm mutaſſe veſtem, proque illius ſalute ſupplicaſſe, cum cæteri omnes, quaſi nihil ad eos ſummi Viri infortunia pertinerent, taciti quieverint. Plutarchus igitur melius, qui tradit, viginti millia ex Ordine Equeſtri adhæſiſſe Ciceroni. Quinimo ex Sextiana non patet, in luctu, & calamitate ab omnibus promiſcue Civibus fuiſſe publico conſilio Veſtem mutatam; quo loco peccat etiam Manutius. Vult deinde Ferrarius, eam fuiſſe mutationem veſtis in Plebe, ut, poſitis Togis, ſumerentur Saga militaria, & utitur Ciceronis teſtimonio in Philippicis; neque advertit, Saga ſumpta fuiſſe propter periculum, quod ab Antonio imminebat Reip. Mutinam, & D. Brutum obſidente, non propter publicum luctum, qui nullus erat. Philip. 14. *propter cujus periculum ad Sa-*

ta iſſemus, *propter ejuſdem ſalutem redeundum ad priſtinum veſtitum*; *ſine ulla dubitatione cenſerem*, loquitur de Bruto. Ridiculum enim foret in calamitate, & luctu pro Veſte lugubri ſumere militarem. ſic Oratione poſt Reditum in Senatu: *Cum multitudo bonorum de Capitolio ſupplex ad eum ſordidata veniſſet*; ſordidata, hoc eſt atrata, cum Togis pullis, non Sagata dicitur. vel certè, ſi locus ille de Equitibus R. tantùm intelligendus eſt, ut ſupra oſtendebam, ſignificatur Toga ſine anguſto Clavo, quod erat Equitum inſigne. nam quid ſordidum eſt in Sago? Tertiò, ad illum Tullii locum: *Conſulares togati eſſe ſolent*, *cum Civitas eſt in Sagis*, ſubiungit ipſe: *Togati*, *hoc eſt ſine Prætexta*, qua interpretatione nihil eſſe poteſt abſurdius. An Prætexta toga non erat? quòd ſi Conſulares erant in luctu ſine Prętexta, neceſſe eſt, eos uſos eſſe Prætexta extra luctum; quod hactenus nemo dixit, & idem Ferrarius falſum fatetur lib. 2. Quartò dubitat, an Senatores, præter mutationem clavi, Sagati etiam fuerint, concluditque ex Cicerone, loco citato, aut in ſagis fuiſſe, aut ſaltem ſine togis; cum manifeſtum ſit ex ſupra dictis, in calamitate quidem clavum Senatores mutaſse, aut atram togam ſumpſiſse, aut ſimul feciſse utrumque; in periculo autem Saga induiſse. Ultimò depoſitam in deprecatione Togam docet ex Epiſtola 2. lib. 4. ad Atticum, ubi non de Serano, ſicut perperam opinatur, qui Tribunus pl. Clodio favebat, at de Serani Socero hæc habentur: *abiecta toga*, *ſe ad Generi pedes abiecit*. Quid eſt abiecta toga? mea quidem ſententia, dejecta ab humeris, non depoſita; cum enim Serani Socer Senator eſset in Curia, neque

 tur-

turpiter in terram jeciſset depoſitam Togam, neque Servus aderat, cui eam traderet, niſi forte Genero Tribuno pl. ſervandam dederat.

Utcumque mutata Veſte, luctum ſeu publicum, ſeu privatum teſtari ſolebant Veteres, quem à te, tuisque Deus avertat. Vale. III. Non. Aug. A. S. 1697.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX RERUM,

Quæ hac Priori Parte Epiſtolarum continentur.

A

ABiecta toga quid ſit pag. 437
Abrogatio multarum legum per unam rogationem. pag. 267
Abſentis habita ratio Sacerdotum Comitiis. pag. 167
Acclamatio popularis. 234
Accuſatio Viri Conſularis glorioſa. 87
Accuſator crimina omnia complectitur. 49
Accuſator quàm multa habere debeat. 386
Accuſatores C. Antonii. 80
Accuſatorum numerus. 44
Actio ſecunda in gratiam Accuſatoris inſtituta. 70
Actor quinam eſſet in judicio. 9
Ad aſſem ſolvere quid ſit. 232
Adminiſtratio pecuniæ publicæ in Provinciis. 429
Adoleſcens Vir Prætorius dictus. 330
Adoleſcentia modeſtia. 186
Adoleſcentes etiam cooptabantur in Sacerdotum Collegia. 151

Adoptari Patritii à Plebeiis jure poterant. 174
Adoptati prænomen, & nomen mutabant 249
Adoptio quando eſſet irrita. 174
Adverſaria quænam eſſent. 431
Advocatus idem, ac Conſultus. 28
Advocatus quot modis ſumatur. 23 28
Ædiles Pretexta jus habebant. 223
Ædiles quibus Comitiis creati. 314
Ædilis non habebat Comitia Ædilium. 318
Ædilitas primas Magiſtratus Curulis. 257
Ædilitatis ornamenta. 216 223
Æquatis ſententiis non habebatur Reus pro abſoluto. 35
Æquatis ſuffragijs, quomodo Reus haberetur pro abſoluto. 36
Æraria ratio. 232
Ærarium quot res ſervaret. 342
Æſtimatio litis duplex. 57
Æſtimatio litis non eſt judicium. 59
Agere cum Populo quid ſit. 212
Alio die, Auguris nunciantis verba. 280
Ambitus quodnam Crimen. 100
Ambitus immanis. 103
Ampliatio quid ſit. 12
Ampliatio nunquam ſublata eſt. 75
Amplificatio Oratoria. 71
Anguſtus clavus Equitum R. 150
Annui Magiſtratus, & Provinciæ. 352
Annulus aureus Senatorum, & Equitum. 147
Annulus inſigne Equeſtris Ordinis. 150
Annuli magnitudo. 148
Annulo Aureo Plebeii etiam utebantur. 148
Annulo bene meriti Viri donabantur ab Imperatoribus

bus. 147
Antiquiſſimi Cives quinam eſſent. 154
Antiquiſſimus Conſularium. 336
Appellare Tribunos quando liceret Reo, quando non liceret. 204 412
Aquaria provincia Quæſtoria. 285
Aratores quinam dicantur. 182
Arbitri quinam eſſent. 20
Arbitri quomodo rem cognoſcerent. 8 20
Arbitrium, & Judicium quare differrent. 20
Auctores legum ferendarum. 283
Augur quando eſſet in auſpicio. 273
Augur non dicitur Pontifex. 170
Augures an ſimul etiam eſſe poſſent Pontifices. 168
Augures duo ejuſdem Gentis eſſe non poterant. 169
Augures utebantur Prætexta. 170
Augurum dignitas. 170
Augurum ſpectio, & nunciatio. 273
Auſpicia ad quos non pertinerent. 279

B.

Bellum Centuriatis comitiis indicebatur 377
Bellum Cinnanum. 251 330
Bellum Sociale. 251
Bellum Syllanum. 331
Beneficio Conſulis Quæſtor Vatinius. 296
Beneficium Populi Ordo Senatorius. 134
Biennii ratio in Magiſtratibus gerendis. 216
Biennium non erat neceſſarium poſt Tribunatum. 216
Binis comitiis qua ratione mandarentur Magiſtratus. 305 310
Bis cauſam agere cur moleſtum. 72

Bonę Deę Sacra quænam eſſent 380
In qua Domo fierent. ibid.
Bonæ Deæ Sacra violata. ibid.
Brachium dexterum exeri ſolebat. 187
Brachium toga cohibere. 186
Brutorum genus. 175

C.

C. Antonii privatum Judicium. 203
Ejusdem avaritia, & ignavia. 84
C. Antonius Candidatus Cenſuræ. 82 278
C. Antonius qua lege damnatus. 84
à quo Accuſatore. 85
C. Aquillius Juriſconſultus. 26
C. Cæſar Pontifex Max. 166
C. Cæſar quo jure obtinuerit Gallias per decennium. 363
C. Cæſari quodnam crimen obiiceretur, cum intulit Patrię arma. 365
C. Cotta mors. 336
C. Junius qua lege damnatus. 118 211
C. Marii extraordinaria Imperia. 370
C. Mario cur continuatus Conſulatus. 370
C. Porcii Catonis provincia. 60
C. Porcius Cato cur damnatus. 61
C. Verres cur proſcriptus. 81
Calumniæ pœna. 42
Calumniam jurare. 43
Campeſtre quid eſſet. 188
Candidatorum profeſſio. 287
De Capite Civis quibus Comitiis judicaretur. 199
Carcere quinam includerentur. 200

Ca-

Digitized by Google

Caſtoris Templum refectum . 241
Catilinaria Conjuratio qua lege vindicata . 97 399
Cauſę publicę quænam eſſent . 128
Cenſi quinam dicerentur . 418
Cenſor uterque ex Plebe . 242
Cenſorum dignitas , munus , & poteſtas . 136 190
Cenſores unis Comitiis creati. 311
Cenſura à L. Sylla ſublata . 132
Cenſura duorum Metellorum. 243
Cenſura Gellii , & Lentuli . 136
Cenſura Sempronii , & Papirii. 191
Cenſus Ordines diſtinguebat . 145
Centumvirale Judicium. 18
Centuriæ Equitum ex quibus conſtarent . 146
Centuriæ Juniorum , & Seniorum . 283
Centuriarum numerus . 297
Centuriata Comitia . 282
Centuriatorum comitiorum ratio . 282
Civitas nulla lege eripi poterat . 153
Claſſes Centuriatis comitiis quænam eſſent . 283
Claſſes , quæ maximè valerent . 290
Claſſis nomine imperata pecunia . 426
Cn. Pompeii adoleſcentis victoria . 251
Cn. Pompeii triumphus de Africa . 255
Cn. Pompejo quomodo prorogatum fuerit imperii tempus . 364
Cn. Pompejus cur dictus Eques R. 141 258
Cn. Pompejus quo ætatis anno primùm triumphaverit . 252
Codicis quanta fides . 431
Cœlibes Romæ perquàm rari . 381
Cœpiſſe habere Comitia quis dicatur . 317
Cognitores quinam dicerentur . 24

Co-

Bonę Deę Sacra quænam eſſent 380
In qua Domo fierent. ibid.
Bonæ Deæ Sacra violata. ibid.
Brachium dexterum exeri ſolebat. 187
Brachium toga cohibere. 186
Brutorum genus. 115

C.

C. Antonii privatum Judicium. 203
Ejusdem avaritia, & ignavia. 84
C. Antonius Candidatus Cenſuræ. 82 278
C. Antonius qua lege damnatus. 84
à quo Accuſatore. 85
C. Aquillius Juriſconſultus. 26
C. Cæſar Pontifex Max. 166
C. Cæſar quo jure obtinuerit Gallias per decennium. 363
C. Cæſari quodnam crimen obiiceretur, cum intulit Patrię arma. 365
C. Cotta mors. 336
C. Junius qua lege damnatus. 118 211
C. Marii extraordinaria Imperia. 370
C. Mario cur continuatus Conſulatus. 370
C. Porcii Catonis provincia. 60
C. Porcius Cato cur damnatus. 61
C. Verres cur proſcriptus. 81
Calumniæ pœna. 42
Calumniam jurare. 43
Campeſtre quid eſſet. 188
Candidatorum profeſſio. 287
De Capite Civis quibus Comitiis judicaretur. 199
Carcere quinam includerentur. 200
Ca-

Caſtoris Templum refectum. 241
Catilinaria Conjuratio qua lege vindicata. 97 399
Cauſæ publicæ quænam eſſent. 128
Cenſi quinam dicerentur. 418
Cenſor uterque ex Plebe. 242
Cenſorum dignitas, munus, & poteſtas. 136 190
Cenſores unis Comitiis creati. 311
Cenſura à L. Sylla ſublata. 132
Cenſura duorum Metellorum. 243
Cenſura Gellii, & Lentuli. 136
Cenſura Sempronii, & Papirii. 191
Cenſus Ordines diſtinguebat. 145
Centumvirale Judicium. 18
Centuriæ Equitum ex quibus conſtarent. 146
Centuriæ Juniorum, & Seniorum. 283
Centuriarum numerus. 297
Centuriata Comitia. 282
Centuriatorum comitiorum ratio. 282
Civitas nulla lege eripi poterat. 153
Claſſes Centuriatis comitiis quænam eſſent. 283
Claſſes, quæ maximè valerent. 290
Claſſis nomine imperata pecunia. 426
Cn. Pompeii adoleſcentis victoria. 251
Cn. Pompeii triumphus de Africa. 255
Cn. Pompejo quomodo prorogatum fuerit imperii tempus. 364
Cn. Pompejus cur dictus Eques R. 141 258
Cn. Pompejus quo ætatis anno primùm triumphaverit. 252
Codicis quanta fides. 431
Cœlibes Romæ perquàm rari. 381
Cœpiſſe habere Comitia quis dicatur. 317
Cognitores quinam dicerentur. 24

Co-

Cohors Prætoria quænam eſset . 236
Cohors Prætoria militaris . 237
Collegia Augurum, & Pontificum diverſa. 170
Coloniæ militares . 161
Coloniæ Tranſpadanæ . 161
Coloniæ non dicebantur Civitates . 163
Comites Magiſtratuum quomodo in judicium vocarentur. 237
Comitia Centuriata quinam edicerent . 199
Comitiales dies . 264
Commentarii C. Cæſaris . 342
Comperendinatio quid eſset, & à quo inſtituta. 67
Pernicioſa Reo . 70
Conceſſio mutua Centuriarum, ac Tribuum Competitoribus uſitata . 299
Concionem quis primus Tribunus ad Populum habuerit poſt Syllam . 213
Conficere tabulas quomodo quisque dicatur . 180
Conjuratio in Galbam . 397
Conſilia vindicata legibus . 95
Conſilium Prætoris, & Judicis. 22
Conſulares provinciæ quænam eſsent. 349
Conſularis auctoritas. 220
Conſules comitia omnium Magiſtratuum habebant. 318
Cornelii Romæ quàm multi eſsent . 175
Crimen, de quo nulla lex lata eſset, quomodo vindicaretur . 198
Crimina de Majeſtate, & de Vi quare differrent. 98 412
Cura in gerendis negotiis nimia reprehenditur . 177
Curia an Populo pateret . 141
Curiata comitia an eſsent neceſsaria . 312 315
Curiata comitia adumbrata, & auſpiciorum cauſa retenta . 311
Curiata Lex an ferretur de Tribunis pl. 315

Cu-

Cuſtodes in Comitiis . 304
Cuſtos Accuſatoris . 46
Cuſtos primus . 304
Cuſtos pro Subſcriptore . 47

D.

DAmnati Repetundarum. 81
Damnatus in uno Judicio, abſens & in cæteris damnabatur . 85
Decreta Cæſaris vim legis habebant . 342
Decumani quinam eſsent . 182
Decumanum frumentum . 181
Decuriæ Judicum plures erant . 14
Denarius quatuor Seſtertiis æquivalet . 232
Ad denarium ſolvere quid ſit . 232
Depoſita toga in deprecatione . 437
Deſerere vadimonium turpe eſt . 9
Deſignati Magiſtratus quando dicerentur . 316
Deſignati Magiſtratus qua lege accuſari poſsent ? 386
Dicere priore loco moleſtum eſt . 69
Dies Atri . 396
Dies Comitiorum quomodo protraherentur . 317
Dierum apud Romanos diſtributio . 264
Diremptio Suffragiorum . 286
Diribitio Tabellarum . 286
Diribitio, & Diremptio qua re differant . 286
Diribitores quinam eſsent . 288
Diſceſſio in S. C. faciendis . 334
Dividendæ ſententiæ conſuetudo . 339
Diviſiones Populi Comitiis Centuriatis . 282
Duumviri rerum Capitalium . 111 112

E.

E.

E*Dicta quibus de rebus fierent* . 272
Edictum Conſulum pro Magiſtratuum Comitiis. 272
Edictum Verris de hæreditatibus . 419
Editi ab Accuſatore Judices . 39
Effœminati Reip. nocere nequeunt . 384
Equites R. quinam dicerentur . 145
Equites R. quinquaginta judicabant . 38
Equites R. lege Repetundarum non tenebantur . 77
Equitum duo genera à Servio inſtituta . 146
Equitum R. multitudo . 144
Equus publicus quibus daretur . 144
Excuſatio morbi in judiciis . 102
Exercitatio campeſtris . 188
Exercitus Romam cum ſuo Imperatore redire ſolebat . 373
Exilium decem annorum pœna Ambitus . 101
Explere Centurias , *vel Tribus quid ſit* . 298
Extraordinaria pecunia . 431
Extraordinaria Imperia apud Senatum . 369
Extraordinaria Provincia quomodo deferretur Magiſtratui . 368
Extraordinariæ Provinciæ tria genera . 367 370
Extraordinaria Quæſtio . . 96

F.

F*Aceta dicteria* . 156
Faſtis diebus an liceret agere cum Populo . 265

Fa-

Favonii Ædilitas 320
Fauſtus Sylla de Peculatu accuſatus . 121 212
Feſti dies ex Obnunciatione . 267
Flamines omnes Patritii . 166
Fraus Clodii in Ciceronem . 269
Frumentaria procuratio gratioſa . 234
Fumantis Conjurationis reliquiæ . 97
Funeris excuſatio in Judiciis . 102

G.

G*Allias quomodo Cæſar obtinuerit .* 363
Gens Ælia . 264
Gens Cæcilia . 242
Gens Valeria Patritia . 173
Gentis Cęcilię dignitas . 246
Gradus in renuntiandis Magiſtratibus . 298
Gratia Claſſium in ſuffragiis . 290

H.

H*Abendi Comitia Magiſtratuum ratio .* 292
Habere Comitia utrius Conſulum jus eſſent . 303
Haſtæ in publicis auctionibus quis præeſſet . 194
Hiſpania Pompeii provincia . 360
Hoſtes quinam dicerentur . 251
Hoſtienſis provincia Quęſtoria . 233

I.

I*Mperativæ Feriæ .* 267
Imperium eorum , qui triumphabant . 257

Im-

Imperium adhuc obtinebat, cui non erat prorogatum imperium. 353
Inceſtus quomodo judicaretur. 196
Inceſtus crimen quotuplex. 197
Incolumis Civis *quinam diceretur.* 188
Indicta cauſa damnari quid ſit. 113
Inferre litem quid ſignificet. 63
Injuriarum judicium. 127 207
Inquiſitio Accuſatoris. 63
Interceſſio Prætorum. 205
Interceſſio Tribunorum pl. an ſublata fuerit lege Clodia. 268
Interdictum Prætoris. 10
Interregnum quando eſſet. 318
Interrex ſemper Patritius. 166
Judæorum multitudo Romæ. 159
Judex à Prætore datus. 18
ſumptus à Reo cur diceretur. 8
Judex Pedaneus. 21
Judex Quæſtionis quinam eſſet, & quomodo quæreret. 30 32
Judices de quibus Reis bis ſententiam ferrent. 57
Judices delecti ab Accuſatore 39
Judices in cauſa Verris. 133
Judices an eſſent impari numero. 34
Judices Clodiani. 381
Judices cur indulgentes, & negligentes in æſtimatione litium. 57
Judicum numerus. 15 34 36
Judicum nomina ad Ærarium delata. 343
Judiciariæ leges, & ad quæ judicia referrentur. 1 3
Judicia reſcindi non poſſunt. 59
Judicia publica, & privata quænam eſſent. 3
Ju-

Judicia publica ut fierent antiquitus. 51 119
Judicii Perſonæ. 18
Judicium Capitis quodnam diceretur. 86
Judicium Clodianum. 197
Judicium quomodo definiatur. 18
Judicium tres ob cauſas defferebatur. 12
Judicium de corruptis judiciis ad quam legem ſpectaret. 118
Juriſconſulti aderant in cauſa ſuis Conſultoribus, & aliquando Adverſariis. 27
Juriſconſulti adhibebantur in omnibus Judiciis. 26
Juriſconſulti auctores defenſionis. 26

L.

Latus clavus pro Tunica. 225
Latus clavus quomodo Tunicæ intexeretur. 222
Lautia quænam, & per quos darentur. 234
Legatio cauſa hæreditatis. 236
Legatorum qualis poteſtas. 239
Legem ferre de pluribus rebus non licebat. 265
Leges de Ambitu. 100
Leges Corneliæ de Magiſtratibus. 255
Leges P. Clodii cur valerent. 261
Leges XII. Tabularum quænam dicantur. 52
Leges in æs inciſæ figebantur in Capitolio. 341
Leges non abrogatæ valebant. 262
Leges non rogatæ quænam eſſent. 416
Leges unde denominarentur. 320
Legiſlatoris quanta eſſet poteſtas. 410
Legum apud Veteres formulæ. 51
Legum ferendarum diverſæ formulæ. 409
Lex Acilia de Repetendis. 74
Lex Ælia de Auguriis. 260

Digitized by Google

& quomodo ſublata à P. Clodio.	262
Lex *Antonia de Provocatione.*	411
Lex *Antonia de tertia Decuria.*	413
Lex *Appuleja de Majeſtate.*	123
Lex *Aurelia Judiciaria.*	1
Lex *Aurelia de Tribunis pl.*	212
Lex *Bæbia de Prætoribus.*	129
Lex *Calpurnia de Ambitu.*	252
Lex *Calpurnia de Repetundis.*	252
Lex *Clodia de Cyprio Rege.*	372
Lex *Clodia de Obnunciatione.*	260
Lex *Cornelia de Conſulatu.*	375
Lex *Cornelia de Falſo.*	54
Lex *Cornelia de Imperio.*	353
Lex *Cornelia Judiciaria.*	2 4
Lex *Cornelia de Majeſtate.*	54
Lex *Cornelia de Novis Civibus.*	331
Lex *Cornelia de Peculatu.*	54 121
Lex *Cornelia de Quæſtura.*	132
Lex *Cornelia de Repetundis.*	76
Lex *Cornelia de Sacerdotiis.*	167
Lex *Cornelia inter Sicarios.*	125
Lex *Cornelia de Solvendo legibus.*	369
Lex *Cornelia Teſtamentaria Numaria.*	124
Lex *Cornelia de Tribunis pl.*	210 213
Lex *Curiata de Imperio.*	312
non erat neceſſaria Proconſulibus.	355
Lex *Domitia de Sacerdotiis.*	167
Lex *Fabia de Conſulatu.*	375
Lex *Fuſia de Auguriis.*	260
Lex *Gabinia de Bello Piratico.*	360
Lex *Hortenſia de Plebiſcitis.*	812
Lex *Julia de Civitate.*	157 330

Lex Julia de Patronis. 45
Lex Julia de Provinciis. 558 409
Lex altera Julia de Provinciis. 415
Lex Julia Repetundarum. 76
Lex Licinia de Sodalitiis. 39
Lex Licinia *Mucia de* Civitate. 158
Lex Licinia *Sextia de* Conſulatu. 172
Lex Livia Judiciaria. 2
Lex Lutatia *de Vi.* 53 97
Lex Manilia de Libertinis. 328
Lex Manilia de Suffragiis. 290
Lex Papia de Peregrinis. 158
Lex Plautia Judiciaria. 2 36
Lex Plautia de Vi. 53 95
Lex Plautia Papiria de Civitate. 157
Lex Pompeja de Ambitu. 37
Lex Pompeja de cæde Clodii. 37
Lex Pompeja de Parricidio. 126
Lex Pompeja de Tribunis pl. [illegible]
Lex Porcia de Civibus R. [illegible]
Lex Sempronia de Civibus R. [illegible]
Lex Sempronia Judiciaria. [illegible]
Lex Sempronia de Provinciis. [illegible]
Lex Sempronia de Veneficio. [illegible]
Lex Servilia Judiciaria. [illegible]
Lex Servilia de Repetundis. [illegible]
Lex Sulpicia de Novis Civibus. [illegible]
Lex *Titia Agraria.* [illegible]
Lex *Trebonia de Provinciis.* 360 [illegible]
Lex *Tullia de Ambitu.* 350 [illegible]
Lex *Vatinia de Gallia Citeriore.* [illegible]
Lex *Vatinia de Rejectione.* [illegible]
Lex *Villia Annalis.* [illegible]

Ff 2

Lex Voconia de Hæreditatibus . 418
Libera legatio . 236
Libertas nemini eripi poterat . 419
Liberti quænam nomina uſurparent . 175
Libertini in Urbanis Tribubus ſuffragium ferebant. 328
Locatio Cenſoria . 183
Locationes publicæ per quos fierent . 194
L. *Aurelius Cotta accuſatus Repetundarum à Scipione* . 75
L. *Catilinæ accuſationes* . 387
ejusdem Candidati Conſularis *repulſæ* . 390
L. *Catilinæ impudentia* . 391
L. *Cornelii Syllæ dominatus*. 254
L. *Domitius Prætor* . 329
L. Lentulus *Repetundarum damnatus*, *deinde Cenſor* . 81
L. *Metellus Pont. Max. Cenſor* . 243
L. *Piſo cur in Urbem redierit ante Gabinium* . 350
L. *Piſonis ſordes* . 225
L. *Valerii Flacci duo* . 371
Luſtrum quàm multa complecteretur . 136
Luſtrum quo anni tempore conderetur . 136

M.

Magiſtratus accuſari non poterant 31
Magiſtratus minores Tributis comitiis creabantur. 314
Magiſtratus minores non poterant obnunciare Majoribus . 272
Magiſtratus non rogabantur ſententiam. 223
Magiſtratus omnes Prætexta utebantur . 219
Magiſtratus quid in rogandis ſententiis ſervarent . 337
Majeſtatis Crimen capitale . 200
idemne fuerit , ac illud de Vi . 97
Majeſtatis crimen idem aliquando, ac Perduellionis . 200

Ma-

Majeſtatis crimina . 98 399
M. Cato quo jure fuerit Senator . 133 259
M. Cato cur miſſus in Cyprum à Clodio . 372
M. Cato Prætor ſine tunica . 188
M. Catonis ſententia de Imperiis extraordinariis . 372
Ejusdem conſtantia in cauſa Veſtalium . 388
M. Catonis Cenſorii Pater . 3
M. Cicero cur inimicus Cæſari, & Pompejo. 284
M. Cicero quo jure Senator . 134
M. Cicero Prætor Repetundarum . 205
M. Ciceronis exilium . 404
M. Marius Gratidianus . 232
M. Popillius Majeſtatis reus . 51
M. Silanus apud Populum accuſatus . 201
Menſe Decembri multi dies feſti . 105
Metellorum triumphi . 242
Militaris ætas . 251
Monetæ varietas . 232
Municipium, & Colonia quare differant . 161
Mutandæ veſtis cauſæ duæ . 435

N.

NObiles quinam eſſent . 172
Nocere opinio criminis Reo quomodo dicatur . 87
Novæ Quæſtiones quomodo conſtituerentur . 52
Novi Cives . 153 330
Novum crimen nova quæſtione vindicabatur . 53
Nox Conjurationis acerrima . 97 395
Numaria res incerta . 232
per quem reſtituta in integrum . ibid.
Numerus legitimus ſuffragiorum . 285
Nunciandi falſa Auguri parendum erat . 278

Nunciare non eſt idem, ac ſervare de cœlo. 274 279
Nunciatio Augurum. 273
non erat eadem, ac Obnunciatio, 274

O.

OBnuncianti Magiſtratui parendum erat. 266
Obnunciatio quid eſſet. 267
an ſublata fuerit à P. Clodio. 262
Octavianus Cæſar Pontifex. 169
Omen Prærogativum in Comitiis. 322
Optima condicione quinam ſint in Auctionibus. 194
Optimatium Caput. 391
Ordinaria Provinciarum mandandarum ratio. 367
Ordo appellandi Viros principes. 248
Ordo numerandi legitimus. 394
Ordo, qui in dicenda ſententia ſervabatur. 335

P.

PAlatina Tribus. 326
Parricidarum pœna, & qua lege conſtituta. 125
Patavium cur dicatur Colonia, cum ſit Municipium. 161
Patritii quinam eſſent. 172
Patritii Magiſtratus, & quibus Comitiis crearentur. 314
Patronorum numerus. 42
Pecunia attributa quænam eſſet. 474
Pecunia pro lite depoſita. 10
Pecuniæ publicæ Cuſtodes. 427
Peculatus crimen. 121
Penſio Colonorum. 183
Pœnulæ uſus. 881

Per-

Perduellionis crimen. 108 112
de illo Centuriatis comitiis Populus judicabat. 109
Perduellionis judicium nunquam ſublatum. 110
Peregrini qua lege facti fuerint Cives R. 158
Perendinus dies. 8
Permutatio Provinciæ erat res extraordinaria. 368
Perorare quid ſit. 12
Perorandi locus cur Ciceroni datus. 103
Petitio Ordinis Senatorii. 132
Placentia deducta Colonia. 163
Plebeii Magiſtratus quinam eſſent. 313
Plebeii Magiſtratus quo anno creati, & quibus Comitiis. 313
Plebeii quando eſſe cœperint Senatores. 137 172
Plutarchi quanta eſſe debeat auctoritas. 218
Pontificis Max. Comitia. 166
Pontifices minores. 165
Pontifices ex parte dimidia plebeii. 165
Pontificum numerus. 164
Populi judicia quomodo fierent. 212
Populus, & Plebs non ſunt idem. 313
Porticus Catuli in Palatio. 403
Poſteriores leges ſemper acerbiores. 75
Poſterus refertur ad aliquid. 396
Prædes quid ſint. 194
Præmium Accuſatoris de Ambitu. 104
Prærogativæ in Comitiis. 309
Prærogativæ Centuriæ auctoritas. 322
Prætexta quinam uterentur. 223
Prætexta fueritne Tribunis pl. uſitata. 215
Prætexta Quæſtorum in Provinciis. 216
Prætexta talaris. 221
Prætextata ſitne Comœdia. 414

Prætextati quinam dicerentur. 185
Prætor, *&* *Judex quibus rebus differrent*. 30
Prætor primus quinam eſſet. 297
Prætor non judicabat de Perduellione. 111
Prętor unus an quæreret de pluribus criminibus. 49
Prætores adiecti à L. *Sylla*. 128 206
Prætores provinciarum quando decedere poſſent de Provinciis. 230
Prętoris Peregrini poteſtas. 205
ejus Provincia gratioſa. 205
Prætorum numerus. 128
Prętorię provinciæ non decernebantur lege Sempronia. 347
Præturam petebant Senatores tantùm. 132
Prævaricari quid ſit. 385
Pretium proditi Ciceronis. 401
Primas partes quinam habere dicerentur in Scena. 420
Primi Populi concurſus. 308
Principes in Senatu. 333
Prior, *&* *Proxima nox quid ſint*. 396.
Privatæ injuriæ quomodo vindicarentur. 90

Pri

Privatis concio dabatur à Magiſtratu . 64
Privatis quando cœptæ dari Provinciæ . 370
Profiteri apud Magiſtratum quid ſit . 287
Profiteri apud Prætorem . 191
Promulgatio per trinundinum . 416
Prorogatio imperii ad quos ſpectaret . 352
Prorogatio imperii cur inſtituta . 358
Prorogatio imperii apud Ciceronem *quid ſit* . 360
Prorogatio imperii an fuerit ſublata lege Sempronia . 346
Prorogatio imperii nulla lege prohiberi poterat. 410
Provinciarum diviſio . 359
Provinciæ cur annuæ dicantur . 359
Provinciæ, quæ primæ in ditionem Romanam venerunt . 128
Provinciæ in poteſtate Senatus . 344 366
Provinciæ Prætorum, & Quæſtorum qua re differrent . 231
Publica populi R. quænam eſſent . 182
Purpuræ tria genera. 227
Pur-

Purpura plebeja. 225
Purpura dibapha etiam Equitibus uſitata. 226
Purpuram dibapham quis primus uſurpaverit. 226
Purpura pro Tunica. 222
P. Clodius adoptatus contra leges. 174 284
P. Clodii inceſtuoſa libido. 379
P. Scipio à Q. Metello adoptatus. 248
P. Scipionis Æmiliani extraordinaria imperia. 373

Q.

QUeſtio una, & eadem inter Sicarios, & de Parricidio. 124
Queſtio inter Sicarios ante Syllam. 53 122
Quæſtio de Parricidio ante Syllam. 124
Quæſtio de Falſo, & de Veneno an eſſet una, & eadem. 117
Queſtio prima de Repetundis. 52 120
Queſtio de Vi extraordinaria. 96
Queſtio in judicio Repetundarum quando haberetur in eos, ad quos perveniſſet pecunia. 62 77
Queſtio de Bacchanalibus. 51
Queſtio de Civitate R. 158
Quæſtio de pecunia Proſerpinę. 51
Quæſtionem publicam conſtituere quid ſit. 119
Quæſtiones inter Sicarios, & de Veneficio diverſæ. 115
Quæſtiones plures an exercerentur ab uno Prætore. 49
Quæſtiones publicæ quot eſſent. 54 120
& quando conſtitutæ. 120
Quæſtor Cicero anno ætatis. 31. 257
quo Prætore Quæſtor fuerit. 229
Quæſtor quo quiſque anno crearetur. 139
Quæſtoris maior dignitas, quàm Legati. 239
Quæſtores Urbani Ærario præerant. 232
Quæ-

Quaeſtoreſne, an Legatos praeficerent Provinciae diſcedentes Proconſules. 240
Quaeſtoribus numerabatur pecunia publica. 427
Quaeſtura primus gradus honoris. 379
an eſſet Magiſtratus. 257
Quinquennium legis Treboniae quando effluxerit. 363
Quintiliani quanta ſit auctoritas. 218
Q. Fuſius Calenus Tribunus pl. 340
Q. Metellus Creticus Pontifex. 247
Q. Metelli Macedonici praeclara mors. 246
Q. Servilii Caepionis damnatio. 199

R.

Rationes conficere quid ſit. 180
Rationes quando, & a quibus referrentur. 430
Recuperatores non iidem, ac Judices dati. 18
eadem utrorumque poteſtas. 19
quot eſsent numero. 20
Recuperatorum Judicium privatum. 207
Rejectio Judicum quando fieret. 15
quot Judices rejicerentur. 46
Rejectio quare inſtituta. 6
Renuntiari Magiſtratus quando dicerentur. 298
Renunciari primo, & ſecundo loco quid ſit. 299
Renunciari quot modis dicatur. 312
Repellere aliquem a Conſulatu quid ſit. 390
Repetundarum crimen an eſſet capitale. 81
Repetundarum criminis poenae. 1
Repetundarum judicium quare inſtitutum. 67
Repetundarum judicium tarde abſolvebatur. 30
Repetundarum lex ad quos pertineret. 68
Repulſa Vatinii. 326

Re-

Reſtitutio ex Prætoris Interdicto . 91
Reus , Patronus , & Advocati eadem Perſona . 23
Reus quomodo reſpondere arceretur . 16
Rex Sacrorum Patritius erat . 166
Rogare Populum quid ſit . 295
Rogator Comitiorum . 289
Rogatores ſuffragiorum . 289
Romanorum veterum innocentia . 51
Ruſtica plebs quænam eſſet . 324

S.

SAcerdotia plura an unus haberet. 168
Sacerdotia quibus darentur . 151
Sacerdotum Comitia . 167
Saga militaria quando ſumerentur . 436
Sagati nunquam erant Conſulares . 437
Salii Patritii erant . 166
Sarta tecta quinam exigerent . 192
Senator reus plures Judices reiiciebat . 5
Senatores an Comitiis adeſsent . 247
Senatores lecti à Cenſoribus . 131
Senatores pluribus legibus tenebantur . 5
Senatores quando fuerint omnes Patritii . 172
Senatores quinam eſſent poſt Syllam . 132
Senatoria ætas . 139
Senatoria Veſtis non eſt Prætexta. 437
Senatorum filii an eſset Equites R. 151
Senatorum ornamenta . 151
Senatus poſt Syllam auctoritas . 255
S. C. ad Ærarium referebantur. 341
S. C. multa complecti poterant . 405
S. C. de Cicerone . 405

S.

S. C. Conjuratione Catilinæ. 334 392
Sen. Conſultum de Privatis inprovinciam mittendis. 361
Sententia Senatoria.. 338
Servare de cœlo quid eſſet. 267
Servare de cœlo non licebat jam habitis Comitiis. 270
Servus primarum partium. 414
Servus Societatis quinam eſset. 179
Sex. Peducæus Siciliæ Prætor. 230
Signa militaria ſervabantur in Ærario. 428
Socii quot modis dicantur. 179
Solvere legibus quid eſset, & ad quos ſpectaret. 352 369
Sordidati quinam dicerentur. 437
Sorte Provinciæ obveniebant Magiſtratibus. 345
Sortiri Judices cujus munus eſset. 13 15
Spectio Magiſtratuum quid eſset. 274
Sponſionis formula in Cauſa privata. 10
Sponſor eadem condicione eſt, ac Dominus in auctionibus. 194
Stipendiarii Populi. 183
Stipendium exercitus unde haberetur. 425
Subducere ad nummum. 232
Subſcribere cauſæ quid ſit. 49
Subſcriptor a Judicibus datus. 47
Subſcriptores quinam eſsent. 46
Subſortitio quid eſset. 15
ſublata per legem Aureliam. 15
Subſortitio Juniana. 15
Suffragari quid eſset. 290
Suffragia Populus ferebat de omnibus Candidatis ſimul. 294
Suffragia ut ferrentur in Judiciis. 293
Suffragii ferendi ratio Centuriatis Comitiis. 282
Supplicatio Magiſtratuum quid eſset. 287
Supplicatio ſummiſsa Populum Conciliat. 317
Syria Gabinii provincia. 403

T.

T.

TAbellæ in Comitiis quomodo inſcriptę eſſent . 293
Tabula Prerogativæ . 304
Tabulæ privatorum . 180
Tabulas publicas quinam ſervarent . 191
Tarentina Purpura unde dicta . 228
ex quo genere Muricum fieret . 228
Tenujores amici quidnam conferre debeant . 290
Tenſæ Ædilium . 104
Terræ filii quinam dicantur . 154
Teſtes quomodo interrogarentur . 23
T. Quinctio prorogatum imperium . 349
Toga talaris , non Tunica . 222
Transferri in Tribus Urbanas ignominioſum . 324
Tribuni Ærarii . 429
Tribuni pl. quando primùm creati . 313
Tribuni pl. quando Magiſtratum inirent . 329
Tribuni pl. obnunciare poterant omnibus Magiſtratibus . 286
Ipſi non erant Magiſtratus . 219
Tribuni pl. quando vehementes eſse deberent . 209
Tribunitia poteſtas Auguſti tempore . 218
Tribunitia poteſtas cur imminuta à L. Sylla . 210
eadem reſtituta poſt Syllam . 210
Tribunitia poteſtas valebat ad impediendum . 210
Tribunitiæ leges de provinciis . 369
Tribus extremæ ſuffragiorum . 190 308
Tribus illius , qui appellabatur , quando exprimi ſoleret . 327
Tribus Ruſticæ , & Urbanæ . 324
Tribuum mentio Centur. comitiis . 109
Tributa Comitia . 313

Tri-

Tributis comitiis an Populus judicaret . 199
Tributis comitiis Reus abſens mitti in exilium poterat. 200
Tributum unde dictum ſit . 427
quomodo penderetur . 425
Tributi quot genera eſſent in provinciis . 426
Triumphus a quo decerneretur . 256
Triumphi Syllæ , & Pompeii . 253
Tunica an eſſet purpurea . 219 225
Tunica non erat antiquitus uſitata . 187

V.

VAcua Ciceronis domus quomodo dicatur . 403
Vadimonio quando opus eſſet . 7
Vectigal certum pendebatur . 183
Vectigales Civitates . 183
Venire in judicio contra aliquem quid ſit . 28
Veſtalium Judicium . 196
an per Pont. Max. ſemper fieret . 197
Virilis toga quo anno ſumeretur . 186
Vis omnis contra Remp. 92
Vis publica quodnam crimen eſſet . 97
Vis publica , & privata . 94
Vis quot modis inferatur . 90
Vis quælibet vindicanda . 92
Violacea Purpura . 227
Unius Tribus , & Centuriç unum ſuffragium . 326
Urbana plebs Comitiis non valebat . 325
Urbana plebs quænam eſſet . 324
quomodo diceretur valere in Rep. 324
Urbanæ plebis conventicula . 324
Urbanę provincię Pretorum . 52
Urbanus Prætor an Quæſtionibus publicis praeſſet . 202
Urbium laus . 155

ERRATA CORRIGE.

pag. 61. lin. 6. Sororis .
pag. 71. lin. 9. opus .
pag. 96. lin. 25. extra .
pag. 110. lin. 33. legis .
pag. 147. lin. 9. ad reliquum .
pag. 151. lin. 34. Judex.
pag. 194. lin. 34. quorumdam .
pag. 229. lin. 15. ductum.
pag. 259. lin. 6. quia.
pag. 263. lin. 3. illæ .
pag. 266. lin. 25. non video , ſicut .
pag. 267. lin. 16. indixit .
pag. 306. lin. 29. reprehendendi .
pag. 373. lin. 5. differrentur .
pag. 391. lin. 22. quod dicitur .
pag. 393. lin. 13. in ante diem .

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google